THEOLOGIAE DOGMATICAE INSTITUTIONES.

AUCTORE

P. MANNENS,

S. THEOL. DOCTORE,

EJUSDEM S. THEOL. IN SEMINARIO RURÆMUNDENSI PROFESSORE.

TOMUS I.

Theologia Fundamentalis.

RURÆMUNDÆ,
Typis J. J. ROMEN & FILIORUM,
1901.

THEOLOGIA FUNDAMENTALIS

COMPLECTENS

TRACTATUS DE VERA RELIGIONE

DE FONTIBUS REVELATIONIS

DE ECCLESIA CHRISTI

DE FIDE DIVINA.

AUCTORE

P. MANNENS,

S. THEOL. DOCTORE,

EJUSDEM S. THEOL. IN SEMINARIO RURÆMUNDENSI PROFESSORE.



210.2
M316

RURÆMUNDÆ,
Typis J. J. ROMEN & FILIORUM,
1901.

6152

Cum opus cui titulus : **Theologiæ Dogmaticæ Institutiones** auctore P. Mannens, S. Th. Doct. et professore, nihil contra fidem et mores contineat, et simul doctrinam solide et perspicue exponat atque demonstret, dignum illud judicamus quod typis edatur et clero enixe commendetur.

Ruræmundæ, 8 Aug. 1901.

Dr. A. DUPONT,
prof. emeritus S. Fac. theologicæ Lovaniensis.
Ad hoc delegatus.

Opus quod **Theologiæ Dogmaticæ Institutiones** inscribitur quodque a P. Mannens, S. Th. Doctore ejusdemque S. Theologiæ in Seminario Nostro lectore, exaratum rerum peritis, quibus illud examinandum commisimus, non solum doctrinæ catholicæ orthodoxia sed et expositionis luciditate atque demonstrationis soliditate summopere videtur commendandum. Quocirca et Nos illud venerabili clero Nostro omnibusque ad quos spectat, commendare non dubitamus, sperantes fore ut iis, in quorum gratiam elaboratum est, inserviat ad fidei catholicæ incrementum, spei christianæ firmamen atque zeli sacerdotalis adjutorium.

D. Ruræmundæ in Vigilia S. Laurentii 1901.

+ J. H. Drehmanns

Episcopus Ruræmundensis.

AD LECTOREM.

Has **Theologiæ Dogmaticæ Institutiones,** jam aliquot abhinc annis in usum privatum discipulorum meorum autographice descriptas, ut multorum obsecundarem votis, nunc typis mandare ac publici juris facere opportunum censui.

Quid mihi in his institutionibus edendis propositum sit, quanam in illis scribendis usus sim ratione ac methodo, paucis aperiam oportet. Scripsi non viris doctis, in scientia theologica versatis, sed iis, qui sive in seminariis sacræ theologiæ addiscendæ operam dant, sive absoluto cursu theologico, sacro ministerio tempus et vires impendunt. Quibus non prolixæ et eruditæ dissertationes ac disputationes sunt tradendæ; sed institutiones, quibus fidei fundamenta atque catholica doctrina breviter et perspicue proponantur, demonstrentur, declarentur ac vindicentur; ut ipsi, amplectentes „eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem", possint „exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere" (Tit. I, 9).

Quare in concinnando hoc opere brevitati simul et perspicuitati studui. *Brevitati* ita ut quæ scitu necessaria sunt plenius quidem exposuerim, quæ vero minus necessaria vel minus utilia summatim perstrinxerim vel obiter attigerim, quæ ad dictionis ornatum et eruditionis apparatum magis spectant reliquerim. Nihil tamen eorum prætermisi, quæ eo conducere ratus sum, ut ii, quibus hoc opus scriptum est, debita imbuantur cognitione, et ad uberiora studia præparentur atque excitentur. *Perspicuitati* consului materiam traden-

dam logice dividendo et stylo simplici ac concinno exponendo atque pertractando. Ea generatim usus sum methodo, ut primum veritatem probandam dilucide exponerem; deinde eam, pro majori vel minori ejus pondere, fusius vel minus fuse, ex fontibus theologicis imprimis ex S. Scriptura probarem; ea quæ ad doctrinæ complementum, ad ulteriorem dogmatum intelligentiam et quæstiones scholasticas pertinent demum adjicerem.

In referendis auctoribus, ad quos pro variis quæstionibus ac doctrinæ capitibus lectorem remitto, eos præsertim indicavi, qui iis, quibus hoc opus præcipue destinatur, facilius præsto esse queunt.

Libenter fateor, mihi, in hoc qualicumque opere exarando, maxima auxilia fuisse doctissima et eruditissima opera tum veterum tum recentiorum, nominatim theologorum principis *S. Thomæ.* Inter recentiorum opera maximo mihi commodo fuerunt præclari tractatus theologici Cardinalis *Franzelin* et Cardinalis *Mazzella,* ex quibus plura desumpsi.

Utrum hæ elucubrationes a proposito scopo non nimis abludant, judicet benevolus lector. Demum has institutiones theologicas, licet pluribus laborantes defectibus, Deo, scientiarum Domino, commendo, hoc unice exoptans, ut, divina opitulante gratia, in Ipsius gloriam et animarum salutem cedant.

Ruræmundæ, die festo Assumptionis B. M. V. 1901.

AUCTOR.

N.B. Theologiæ specialis institutiones, quæ duobus comprehendentur voluminibus, Deo favente, in lucem mox edentur.

PROLEGOMENA

DE THEOLOGIAE NOTIONE.

Ut perspicua habeatur sacræ theologiæ notio, distincte est agendum 1) de theologiæ definitione et objecto; 2) de discrimine theologiam inter et fidem; 3) de theologiæ dignitate ejusque ad philosophiam habitudine; 4) de principiis objectivis theologiæ seu de locis theologicis; 5) de variis theologiæ partitionibus; quibus quædam addemus 6) de modo addiscendi theologiam.

Art. I. **De theologiæ definitione et objecto.**

1. **Vocis theologiæ significatio.** Theologia ex ipso nominis etymo est *sermo* seu *doctrina de Deo.* Ea autem, quæ de Deo nota sunt, tum ratione tum fide cognosci possunt. Hinc duplex distingui solet theologia: una *naturalis*, quæ est illa philosophiæ pars, in qua traditur doctrina de Deo ex principiis solo naturali lumine notis; altera *supernaturalis* seu *sacra,* quæ de rebus divinis disserit ex principiis revelatione cognitis. Nos non nisi de hac posteriori agimus, quæ ceteroquin velut per excellentiam theologia simpliciter dici solet.

2. Porro hujus *theologiæ sacræ* duplex distingui potest acceptio. *a)* Patres præsertim græci vocabulum theologiæ adhibent ad eam tantum sacræ scientiæ partem designandam, quæ de ipsa divinitate, seu de Deo sive secundum naturam sive secundum personas spectato disserit; et theologiam hoc strictiori sensu acceptam distinguunt ab *œconomia*, quo nomine doctrinam de incarnatione et de toto redemptionis opere comprehendunt. Hinc S. Joannes et S. Gregorius Nazianzenus

nomine veluti proprio *theologi* dicti sunt, quia ille præ ceteris Evangelistis Verbi divinitatem, hic præ aliis Patribus doctrinam de SS. Trinitate luculentius tradidit et declaravit. *b)* Inde a sæc. XIII theologia sacra latiorem significationem accepit, secundum quam complectitur non solum quæ de Deo sed etiam alia omnia, quæ ex divina revelatione noscuntur. Hæc posterior significatio jam communiter est recepta et facta *propria;* quare theologiam hoc proprio sensu acceptam hic unice respicimus et declarandam sumimus.

3. **Definitio theologiæ sacræ.** Theologia quoad *rem* definiri potest: *Scientia de Deo hausta ex revelatione.* In hac definitione indicatur objectum tum materiale tum formale theologiæ. Cum omnis scientia determinetur suo objecto materiali et formali, seu materia, circa quam versatur, et specifica ratione, qua materiam attingit, ad declarandam notionem theologiæ, de utroque ejus objecto quædam sunt dicenda.

a) Objectum materiale theologiæ indicatur verbis: *de Deo.* Est autem Deus hujus scientiæ objectum materiale, non quidem totale et adæquatum, *princeps* tamen et *subjectum*, uti vocatur, attributionis. Id jam ipsum nomen theologia indicat. In quavis enim scientia subjectum attributionis dicitur illud, de quo in illa scientia principaliter agitur, et ad quod cetera omnia, quæ in ea traduntur, ordinem habent ac sub cujus ratione considerantur. Jamvero licet objectum adæquatum theologiæ plura alia præter Deum complectatur, ea tamen „omnia, ait *S. Thomas* (1. q. 1. a. 7), pertractantur in sacra doctrina sub ratione Dei, vel quia sunt ipse Deus, vel quia habent ordinem ad Deum, ut ad principium et finem. Unde sequitur quod Deus vere sit objectum hujus scientiæ."

b) Objectum formale theologiæ indicatur verbis: *hausta ex revelatione.* Communis enim ratio, sub qua objectum est cognoscibile in aliqua scientia, dicitur objectum formale hujus scientiæ. Ratio autem formalis, sub qua objectum est cognoscibile in theologia, est *divina revelatio,* per quam illud objectum manifestatur vel immediate in se, vel saltem in suis principiis, ex quibus deducitur. Est itaque objectum formale theologiæ sacræ divina revelatio; ejus autem objectum materiale totale et adæquatum est quidquid ex hac revelatione cognosci potest. Hinc intelligitur essentiale discrimen inter theologiam naturalem

et supernaturalem. Nam, ut ait *S. Thomas* (1. q. 1. a. 1. ad 2): „diversa ratio cognoscibilis diversitatem scientiarum inducit... Unde nihil prohibet de iisdem, de quibus philosophicæ disciplinæ tractant, secundum quod sunt cognoscibilia lumine naturalis rationis, etiam aliam scientiam tractare, secundum quod cognoscuntur lumine divinæ revelationis. Unde theologia, quæ ad sacram doctrinam pertinet, differt secundum genus ab illa theologia, quæ pars philosophiæ ponitur."

4. In definitione theologiam vocamus *scientiam.* Quidam negarunt theologiam esse scientiam, quia nititur principiis non intrinsece evidentibus. Ast immerito; nam ad veram scientiam requiritur et sufficit, ut habeat principia nota et certa, ex quibus suas conclusiones deducit; atqui principia, quibus nititur theologia, licet non sint intrinsece evidentia, sunt tamen certissima, quæ utpote a Deo revelata infallibili certitudine gaudent; ergo theologia est scientia, cum in ea inveniatur specifica ratio scientiæ, quæ est *certitudo discursu acquisita.* Et sane theologia demonstrat, quænam veritates et quomodo in fontibus revelationis contineantur; deinde has veritates declarat, confirmat, defendit atque ex iis ulteriores conclusiones deducit; demum earum mutuum nexum inter se et cum veritatibus rationalibus ostendit: quæ omnia profecto scientiæ propria sunt.

5. **Corollaria.** 1. Theologia etiam recte definitur: *scientia fidei,* quia est scientifica demonstratio, explicatio, confirmatio et defensio veritatum revelatarum, quarum complexus *fides* (objectiva) vocatur.

2. Theologia est *una* scientia, quia unum est tum ejus subjectum, nempe Deus, ad quod omnia referuntur, tum ejus objectum formale, scilicet revelatio.

3. Theologia est *sapientia.* Etenim sapientia vocatur illa scientia, quæ altissimas rerum causas considerat; unde sapiens dicitur in unoquoque genere, qui altissimam illius generis causam contemplatur. Atqui theologia altissimam omnium causam, Deum, contemplatur, et quidem non solum quatenus per creaturas ope rationis est cognoscibilis, sed etiam quatenus in se per revelationem cognoscitur. Ergo theologia maxime sapientia dicitur. *(S. Thomas,* 1. q. 1. a. 6).

Art. II. **Discrimen theologiam inter et fidem.**

6. Quia theologia, uti diximus, est scientia fidei, cujus est veritates fidei ex fontibus revelationis eruere, declarare, confirmare, defendere atque ulteriores ex eis conclusiones deducere, patet theologiam cum fide intimo nexu vinciri; adeoque lumen fidei in theologicam seu scientificam veritatum fidei inquisitionem et expositionem necessario influere. In theologia enim non sola ratione naturali sed ratione fide aucta et illustrata utimur; neque consideramus objectum ut naturaliter manifestatum, sed ut supernaturaliter revelatum. (1)

7. Non obstante tamen hoc intimo nexu theologia a fide divina probe est distinguenda, a qua differt ratione *materiæ, motivi* et *certitudinis*.

a) Materiam fidei solæ veritates formaliter revelatæ constituunt; ad theologiæ vero materiam pertinent non tantum veritates formaliter revelatæ, sed etiam virtualiter revelatæ, seu eæ quæ ex revelatis deducuntur.

b) Motivum fidei est sola auctoritas Dei revelantis; motivum theologiæ est demonstratio scientifica: in fide revelata creduntur, in theologia conclusiones intelliguntur. Unde revelata ad fidem pertinent quatenus propter auctoritatem Dei revelantis creduntur; ad theologiam autem quatenus ex verbo Dei demonstrantur.

c) Certitudo fidei est summa, quia auctoritate Dei unice nititur; certitudo theologiæ est inferioris ordinis, quia non sola veritate divina, sed etiam veritate humana et lumine rationis nititur.

8. **Scholion.** Habitus fidei divinitus infunditur; non ita habitus theologiæ, nam, experientia teste, scientia theologica studio est acquirenda. Licet itaque habitus theologiæ in se sit naturalis, est tamen *radicaliter supernaturalis* propter supradictum intimum ejus cum fide nexum.

(1) Ad scientiam theologicam praerequiritur fides. Hinc illud: *„credo ut intelligam"*; et theologia a Patribus dicitur: *„fides quaerens intellectum"*. Hinc infidelis vel haereticus non potest habere proprie dictam scientiam theologicam, ad summum habere potest quamdam religionis scientiam historicam, quia carens fide divino theologiae fundamento caret.

ART. III. De theologiæ dignitate ejusque ad philosophiam habitudine.

9. I. **Theologiæ dignitas** ejusque præ aliis scientiis excellentia patent ex eo quod, uti dicit *Albertus Magnus*, „theologia *a Deo docetur, Deum docet* et *ad Deum ducit.*" Præstat igitur ceteris scientiis ratione *certitudinis, materiæ* et *finis.*

a) Ratione *certitudinis.* Cum enim theologia sit *a Deo,* ejus principia utpote a Deo revelata majorem certitudinem habent quam principia aliarum scientiarum. „Aliæ scientiæ, scribit *S. Thomas* (1. q. 1. a. 5), certitudinem habent ex naturali lumine rationis humanæ, quæ potest errare; hæc autem certitudinem habet ex lumine divinæ scientiæ, quæ decipi non potest."

b) Ratione *materiæ.* Theologia, ita *S. Thomas* l. c., „est principaliter de iis, quæ sua altitudine rationem transcendunt; aliæ vero scientiæ considerant ea tantum, quæ rationi subduntur."

c) Ratione *finis.* Theologia est *ad Deum* tamquam finem nostrum supernaturalem; ceterarum vero scientiarum finis est naturalis. Fides et fidei scientia seu theologia in hisce terris, tamquam medium ad finem, est quædam inchoatio et præparatio ad theologiam beatorum in cœlis seu ad visionem beatificam. Utraque theologia tum viatorum tum beatorum est quædam participatio et imitatio scientiæ Dei, quæ sola est theologia infinite perfecta: prima adhuc imperfecta nitens revelatione, altera perfecta nitens immediata Dei visione et fruens secundum perfectissimam, quæ fieri potest, participationem eadem visione, qua Deus ipse infinite beatus est.

10. II. **Theologiæ habitudo ad philosophiam.** 1. *Theologiam differre a philosophia,* nominatim ab ea philosophiæ parte, quæ theologia naturalis audit, ex dictis liquet. Differunt enim hæ duæ scientiæ *a)* proprie et essentialiter *ratione formali,* quæ in theologia est revelatio, in philosophia vero est intrinseca evidentia immediata vel mediata. Huic diversitati rationis formalis seu principii cognitionis objectivi respondet etiam diversitas principii cognitionis subjectivi, quod in philosophia est sola ratio humana, in theologia vero est ratio

instructa et adjuta lumine supernaturali fidei. Hinc differunt quoque tum *b) certitudine,* quæ in theologia, utpote nitens lumine scientiæ divinæ, multo major est quam in philosophia, quæ naturali tantum lumine rationis humanæ nititur; tum *c)* amplitudine *objecti materialis*, quod in theologia præter veritates naturales complectitur multas veritates supernaturales seu mysteria, quæ humanæ rationis captum superant ideoque philosophiæ ambitu non continentur.

2. Licet theologia et philosophia differant, *non tamen invicem opponuntur.* „Etsi, inquit *Conc. Vaticanum* (Const. *Dei Filius,* c. 4), fides sit supra rationem, nulla tamen umquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest: cum idem Deus qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indíderit; Deus autem negare se ipsum non possit nec verum vero umquam contradicere. Inanis autem hujus contradictionis species inde potissimum oritur, quod vel fidei dogmata ad mentem Ecclesiæ intellecta et exposita non fuerint, vel opinionum commenta pro rationis effatis habeantur. Omnem igitur assertionem veritati illuminatæ fidei contrariam omnino falsam esse definimus."

3. *Neque sunt scientiæ separatæ.* Nam *a*) idem ex parte est earum objectum materiale, cum multæ veritates revelatæ etiam solo rationis lumine cognosci possint. *b*) Licet utraque propriis suis utatur principiis ac methodo, intimo tamen nexu mutuo vinciuntur, cum theologia multas veritates naturales vel supponat ut præambula, vel assumat ad suadendas et illustrandas veritates revelatas atque ad deducendas ac confirmandas veritates cum revelatis nexas; et vicissim philosophia veritates revelatas normæ instar præ oculis habens contra errores præmuniatur atque multipliciter adjuvetur. Hinc *Conc. Vaticanum* l. c.: „Opem quoque sibi mutuam ferunt, cum recta ratio fidei fundamenta demonstret, ejusque lumine illustrata rerum divinarum scientiam excolat; fides vero rationem ab erroribus liberet et tueatur, eamque multiplici cognitione instruat."

4. *Philosophia est theologiæ subordinata.* Hoc ex supradictis de dignitate ac præeminentia theologiæ manifestum est. Hæc tamen subordinatio non in eo est, ut philosophia sua principia, suas conclusiones ac suam methodum a theologia accipiat;

sed in eo consistit, ut philosophia *negative* nihil doceat theologicis veritatibus contrarium, et *positive* veritates revelatas normæ ac stellæ rectricis instar in suis investigationibus præ oculis habeat. Propter hanc subordinationem pertinet ad theologiam non quidem aliarum scientiarum campum invadere, sed de eis ex suis principiis judicare. „Non pertinet ad eam (sacram doctrinam), ait *S. Thomas* (1. q. 1. a. 6. ad 2), probare principia aliarum, sed solum judicare de eis. Quidquid enim in aliis scientiis invenitur veritati hujus scientiæ repugnans, totum condemnatur ut falsum." Caveant tamen theologi, ne suas opiniones ut veritates theologicas habeant. Ex dicta subordinatione intelligitur, in *Syllabo* merito notatam esse hanc prop. 14: „Philosophia tractanda est, nulla supernaturalis revelationis habita ratione."

Hac subordinatione minime impeditur, sed e contra magnopere promovetur scientia veri. Enim vero *generatim* „divinarum veritatum splendor, animo exceptus, ipsam juvat intelligentiam, cui non modo nihil de dignitate detrahit, sed nobilitatis, acuminis, firmitatis plurimum addit" *(Leo XIII.* Encycl. *Aeterni Patris,* 4 Aug. 1879). *Speciatim a)* revelatione veritatum *rationalium* ratio humana tum citius, communius et certius easdem cognoscit, tum ab errore præmunita expeditius et facilius eas ex suis principiis demonstrat; *b)* revelatione veritatum *superrationalium* novis cognitionibus instruitur, ab erroribus in scientiis præcavetur et ad ipsas veritates rationales profundius cognoscendas ac rimandas plurimum juvatur.

Art. IV. **De principiis objectivis theologiæ seu de locis theologicis.**

11. Principium generatim dicitur „omne id, a quo aliquid procedit quocumque modo" *(S. Thomas,* 1. q. 33. a. 1). Hinc principia sicut cognitionis universim ita et cognitionis theologicæ varia esse intelliguntur. Nos hic agimus de principiis *objectivis* cognitionis theologicæ, iis nempe quæ in se continent veritates theologicas et ex quibus hæ veritates eruuntur. Hæc principia objectiva vocari etiam solent *fontes* seu *loci* theologici, ex quibus veritates in theologia demonstrantur, exponuntur et defenduntur.

Cum autem theologia sit scientia fidei seu scientia veritatum revelatarum sub formali ratione, quatenus revelatæ sunt, patet *sedem argumentorum* et proprium *locum,* ex quo demonstrationes ducuntur, pro theologia generatim esse *verbum Dei revelatum.* Porro universa doctrina et disciplina revelata objective continetur in S. Scriptura et Traditione divina. Quare loci proprie theologici sunt duo: *S. Scriptura* et *Traditio divina.* „Supernaturalis revelatio, ait *Conc. Vaticanum* (Constit. *Dei Filius,* c. 2), secundum universalis Ecclesiæ fidem, a S. Tridentina Synodo declaratam, continetur in *libris scriptis* et sine scripto *traditionibus,* quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante quasi per manus traditæ, ad nos usque pervenerunt." Quia autem Traditio divina decursu temporis consignata fuit in variis antiquitatis documentis et monumentis, uti sunt inter alia definitiones Ecclesiæ, libri liturgici, scripta Patrum et Theologorum, ex his omnibus eruuntur argumenta traditionalia ad probandas et vindicandas veritates theologicas. Quoniam vero integrum verbum Dei seu depositum revelationis, in Scriptura et Traditione contentum, concreditum est authentico et infallibili magisterio Ecclesiæ custodiendum, proponendum et explicandum, veritates theologicæ ex Scriptura et Traditione sunt hauriendæ sub testificatione, propositione et directione infallibili Ecclesiæ. Quare Scriptura et Traditio vocari possunt *principia constitutiva,* Ecclesia vero *principium directivum* cognitionis theologicæ.

Licet autem Scriptura et Traditio sint fontes theologici *proprii,* ex quibus solis argumenta stricte theologica depromi possunt; sunt tamen et alii fontes *subsidiarii* et *externi,* quibus veritates fidei non quidem probari, confirmari tamen, scientifice coordinari, illustrari ac defendi possunt. Tres sunt præcipui fontes subsidiarii: *philosophia, scientiæ naturales, historia profana.*

Art. V. **De variis theologiæ partitionibus.**

12. Ratione *materiæ* theologia dividitur in *theoreticam,* quæ veritates ut credendas et tenendas considerat, et *practicam,* quæ tradit dogmata morum et veritates eatenus complectitur,

quatenus ad usum exercitationemque vitæ pertinent. Prior etiam *dogmatica*, posterior *moralis* vocatur. Ad theologiam moralem pertinet *ascetica,* quæ est institutio ad virtutes christianas, et *mystica*, quæ est scientia Dei ex intima cum Deo conjunctione et conversatione comparata.

Non pauci ad theologiam moralem quoque referunt *jus canonicum* et theologiam *pastoralem,* quæ catecheticam, homileticam, liturgicam aliaque ad curam animarum spectantia comprehendit.

13. Theologia dogmatica alia est *generalis,* alia *specialis. Generalis* seu *fundamentalis* versatur circa principium generale ac fundamentum theologiæ, quod est revelatio divina, cujus existentiam et fontes demonstrat ac vindicat. *Specialis* considerat singula dogmata revelata, quæ ex revelatione scientifice probat, systematice proponit et speculative declarat.

14. Theologia ratione *fontium,* ex quibus sua argumenta depromit, dividi potest in *biblicam* et *traditionalem.*

Theologia *biblica* est ea, quæ veritates revelatas ad fidem et mores pertinentes ex S. Scriptura haurit. Ad hanc referuntur *critica biblica,* cujus est probare authenticitatem et inspirationem librorum S. Scripturæ; *hermeneutica sacra,* quæ tradit regulas recte interpretandi SS. Litteras; *exegesis biblica,* quæ exponit sensum S. Scripturæ. Subsidia theologiæ biblicæ sunt *chronologia, geographia, archæologia* et *philologia biblica.*

Theologia *traditionalis* vocatur ea, quæ veritates fidei et morum ex Traditione depromit. Hæc pro variis mediis, quibus divina Traditio conservatur et cognoscitur, dicitur *patristica, liturgica, synodica*, prouti doctrinam traditam haurit vel ex scriptis Patrum, vel ex liturgia aut symbolis et definitionibus Ecclesiæ.

15. Ratione *modi* tractandi theologia dividitur in *positivam* et *scholasticam.*

Theologia *positiva* veritates fidei ex fontibus revelationis eruit et vere revelatas esse probat, atque adeo principia theologiæ firma ponit ac statuit.

Theologia *scholastica* (1) in veritates demonstratas inquirit,

(1) *Nomen* theologiae „scholasticae" derivatur a magistris „scholae" medii aevi, qui „scholastici" vocabantur, et quorum ideo disciplina, prae disciplina ab aliis tradita, „scholastica" appellata est. Habet hoc nomen simul etiam annexam

earum sensum accurate definiendo, naturam et causas aperiendo, nexum et consequentias ostendendo, eas cum rationis principiis, quantum licet, conciliando, sicque fidei quærens intellectum super fidei fundamentum splendidam veritatis revelatæ cognitionem ædificat. Utriusque notionem præclare ita tradit *Gregorius de Valentia* (In Sum. 1. disp. 1. punct. 1): „Dividitur theologia in positivam et scholasticam. . . . Positiva dicitur, quatenus occupatur potissimum in explicando ipso Scripturæ sacræ sensu, ad eumque eliciendum tum aliis adminiculis tum præcipue auctoritate SS. Patrum utitur. Quo ipso quasi principia firma aliarum conclusionum catholicarum ponit et ideo positiva videtur dicta, quia scilicet ponit et statuit ex Scriptura principia theologiæ firma. Scholastica vero theologia vocatur, prout explicat et confirmat ac defendit uberius et accuratius fidei sententiam, subtiliter iis etiam rebus animadversis, quæ vel ex fide consequentes sunt vel fidei repugnant, et quarum perspicientia velut clarissimum quoddam lumen juvat, ut tenebræ, quas hæretici suis fallacibus argumentis veritati fidei nituntur offundere, facillime dispici atque dispelli possint."

16. Ex tradita notione theologiæ positivæ et scholasticæ liquet, alteram ab altera *plane sejungi non posse*, ideoque eam esse optimam tradendi theologiam methodum, quæ positivam et scholasticam apte conjungat. Hanc methodum, post Conc. Tridentinum, plerique theologi secuti sunt, nosque, utpote nostro tempori maxime accommodatam, sequi proponimus.

17. *Divisio et logicus nexus diversorum tractatuum theologiæ dogmaticæ.* Priusquam theologus singula considerare possit dogmata revelata, requiritur, ut sedulo expendat atque stabiliat principium generale omnium veritatum revelatarum, scilicet factum revelationis, diversosque revelationis fontes, ex quibus deinceps singula dogmata eruere, defendere ac declarare

significationem theologiae eruditae, nam apud veteres scholastici vocabantur, qui doctrina clari essent. Nonnulli, praesertim haeretici, calumniati sunt theologiam scholasticam, dicentes eam veritates revelatas tantum obiter pertractare, immoderato usu philosophiae delectari atque in quaestionibus subtilibus et otiosis maxime versari. Licet non negemus, hujusmodi defectus apud quosdam scholasticos, praesertim saec. XV, inveniri, immerito tamen ideo carpitur ipsa theologia scholastica; nam disciplina quaelibet non ex abusibus sed ex legitimo usu dijudicanda est, et quicumque scholarum principum opera attente inspexerit, maximam theologiae scholasticae praestantiam ac utilitatem facile perspiciet.

possit. Hinc sponte sua fluit partitio theologiæ dogmaticæ in *generalem* seu *fundamentalem* et *specialem*.

I. Theologia *generalis* seu *fundamentalis* quatuor complectitur tractatus, qui respondent quatuor quaestionibus generalibus et fundamentalibus, quæ circa veritates credendas moveri possunt. Hæ quæstiones sunt:

1. *Utrum existat aliqua revelatio divina?* Huic quæstioni respondet tractatus *de vera religione* seu *demonstratio christiana*, in quo tractatu ostenditur, religionem christianam esse divinitus revelatam.

2. *In quibusnam fontibus ista revelatio olim data nunc pura et integra inveniatur?* Quonam veluti canali ad nos pervenerit? Huic quæstioni respondet tractatus *de fontibus revelationis* seu *de locis theologicis*, nempe *de Scriptura et Traditione*.

3. *Cuinam Christus doctrinam a se revelatam in Scriptura et traditione depositam concrediderit custodiendam, docendam, declarandam?* Huic quæstioni respondet *demonstratio catholica* seu tractatus *de Ecclesia Christi*. In hoc tractatu ostenditur, Christum ad conservandam, docendam et transmittendam revelationem instituisse veram societatem, hancque esse *Ecclesiam Romano-catholicam*. Agitur in hoc tractatu etiam de *Romano Pontifice*, quippe qui per suum primatum est principium et centrum unitatis Ecclesiæ. Licet doctrina de Ecclesia partim pertineat ad theologiam specialem, cum de ea plura speciatim credenda in revelatione proponantur; nos tamen pro compendii ratione et perspicuitatis gratia, præeuntibus pluribus theologis, in theologia generali integram doctrinam de Ecclesia tradimus.

4. Demum quæritur, *quinam sit ille actus, quo homo doctrinam revelatam ab Ecclesia ex fontibus revelationis propositam amplecti debeat?* Quænam sit ejus *regula* et *habitudo ad rationem*. Cui quæstioni respondet ultimus theologiæ generalis tractatus *de Fide*. Hisce quatuor tractatibus absolvitur theologia generalis.

II. Theologia *specialis* tota agit de Deo. Deus autem considerari potest vel *in se*, vel secundum suas *communicationes ad extra* seu *relationes ad creaturas*. Porro communicationes Dei ad extra præcipuæ sunt: *creatio* et *elevatio*,

redemptio, sanctificatio, consummatio. Ex hisce sponte sua sequitur obvia ac logica divisio Dogmaticæ specialis in hos tractatus:

1. Tractatum *de Deo ipso,* qui complectitur tractatum *a) de Deo uno* in essentia seu de natura et attributis divinis, et *b) de Deo trino* in personis seu de SS. Trinitate.

2. *De Deo creante et elevante.* In hoc tractatu agitur de creatione *mundi, angelorum, hominis,* et *de elevatione hominis* ad ordinem supernaturalem, hominisque ex hoc ordine lapsu *per peccatum originale.*

3. *De Deo Redemptore* seu *Verbo incarnato,* in quo tractatu consideratur tum ipse Redemptor Christus, quæ pars dicitur *Christologia,* tum opus redemptionis, quæ pars *soteriologia* vocatur.

4. *De Deo Sanctificatore.* Cum autem Deus homines sanctificet proxime et formaliter per gratiam, et instrumentaliter per Sacramenta, hic tractatus in plures dividitur tractatus *a) de Gratia, b) de Sacramentis in genere, c) de singulis Sacramentis in specie.*

5. *De Deo consummatore,* in quo tractatu agitur de hominis novissimis scil. *de morte* et *judicio, inferno, purgatorio, cælo,* atque de mundi novissimis nempe de *resurrectione, judicio universali, mundi innovatione.*

Sic tota doctrina dogmatica organice cohaeret et unum systema scientificum constituit.

Hæc divisio respondet articulis *Symboli Apostolici,* in quo dogmata revelata substantialiter continentur: 1. *De Deo uno = credo in Deum.* 2. *De Deo trino = Patrem . . .* et *Filium . . . Spiritum Sanctum.* 3. *De Deo creante et elevante Creatorem cæli et terræ.* 4. *De Deo sanctificante* per gratiam et Sacramenta = *in Spiritum Sanctum.* 5. *De Deo consummatore = Carnis resurrectionem, vitam æternam.*

Art. VI. **De modo addiscendi theologiam.**

18. Cum scientia theologica finem proximum habeat scientificam religionis cognitionem, remotum et ultimum defensionem et ædificationem Ecclesiæ, salutem animarum et gloriam Dei, liquet, eam, licet non immediate singulis, ipsi tamen Ecclesiæ

universim, et iis, qui ratione sui muneris in Ecclesia alios docere debent, *necessariam esse.* Hinc maxime necessarium est præsertim futuris Ecclesiæ ministris studium theologicum, quod, uti dicit *S. Thomas* (C. G. l. 1. c. 2), „inter omnia studia hominum est perfectius, sublimius, utilius et jucundius." Quare etiam magnopere interest, scire quid ad felicem hujus studii exitum, nominatim ex parte addiscentis, requiratur.

Requiruntur animi dispositiones tum *naturales* tum *supernaturales.* Ad dispositiones naturales quod spectat, prætermissis iis quæ communes sunt alliis scientiis acquirendis, præcipua et plane necessaria est cultura *per solidam philosophiæ institutionem.* Nam „perpetuus et multiplex requiritur philosophiæ usus, ut sacra theologia naturam, habitum, ingenium veræ scientiæ suscipiat atque induat" *(Leo XIII,* Encycl. *Aeterni Patris).*

Prærequisitæ dispositiones supernaturales sunt viva fides, recta intentio, humilitas, puritas cordis et oratio. 1. *Viva fides,* est enim theologia „fides quærens intellectum", ideoque fides prærequiritur, atque „tanto quisque facilius, ait *S. Augustinus* (de agone christ. c. 13), aliquid proficiendo cognoscit, quanto religiosius, antequam cognosceret, Deo credidit." 2. *Recta intentio,* quæ esse debet ardens desiderium promovendi gloriam Dei et salutem animarum; cum enim theologia sit scientia supernaturalis, finis in ea acquirenda intentus supernaturalis quoque sit oportet. 3. *Humilitas,* nam theologia auctoritate nititur et ideo docilem exigit assensum, qui non nisi ab humilibus præstatur; ideo illa fidei intelligentia absconditur alta sapientibus et superbis, ac revelatur parvulis, humilibus (Matth. XI, 25), quare „non plus sapere quam oportet, sed sapere ad sobrietatem" (Rom. XII, 3). 4. *Puritas cordis,* nam „Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt" (Matth. V, 8); et „in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis" (Sap. I, 4). 5. *Fervida oratio,* etenim „Deus scientiarum Dominus est" (1 Reg. II, 3); et „si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter" (Jac. I, 5).

TRACTATUS I.

DE VERA RELIGIONE.

19. I. **Scopus tractatus.** In hoc tractatu inquiritur, quænam sit vera religio, qua Deus sit colendus, quamque proinde homines amplecti debeant. Cum autem teneamus, religionem christianam divinitus revelatam ideoque veram esse, istam inquisitionem instituimus ostendendo divinam revelationem et consequenter veritatem religionis christianæ. Hæc itaque demonstratio constituit proprium scopum tractatus de vera religione, qui ideo etiam inscribitur: *demonstratio christiana,* vel *apologia religionis christianæ.*

20. II. **Ordo dicendorum et partitio tractatus.** Agentes de religione revelata pauca quædam de religione generatim præmittenda sunt; quibus præstitutis ad revelationem gressum facimus. Antequam vero existentiam revelationis probemus, quædam solvendæ veniunt quaestiones generales de revelatione, de ejus scil. possibilitate, necessitate ac cognoscibilitate, ut diluantur objectiones incredulorum, qui omnis revelationis tum possibilitatem et necessitatem, tum cognoscibilitatem negant, et ut sic via sternatur ad planiorem atque efficaciorem revelationis christianæ demonstrationem. Quare præmisso capite prævio *de religione generatim,* tractatum in duas partes dispescimus. Prima erit de *revelatione universim;* altera de *revelationis divinæ existentia.*

21. III. **Momentum tractatus.** Vix necesse erit, multis ostendere hujus tractatus utilitatem atque necessitatem. 1. Quum enim ipse Apostolorum princeps (1. Petr. III, 15) singulos moneat fideles: „Parati (sitis) semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe", sacerdos imprimis ita in fide instructus esse debet, ut suæ fidei rationem reddere possit, aliosque docere, quam firma sint fidei christianæ fundamenta, quam rationabile obsequium fidei nostræ, quam infirmæ omnes adversariorum contra illam exceptiones. 2. Cete-

rum nihil sane sacerdoti jucundius esse potest, nihil utilius, quam accurate et distincte cognoscere rationes atque argumenta, quibus veritas religionis christianæ probatur. 3. Summum hujus tractationis momentum magis etiam innotescit ex eo, quod nostro tempore omnes fere impetus hostium fidei nostræ non amplius diriguntur adversus singularia dogmata, sed adversus ipsum fidei fundamentum, adversus revelationis factum, quo everso omnis Christi Ecclesia atque religio evertetur.

CAPUT PRÆVIUM.

DE RELIGIONE GENERATIM.

ART. I. **Notio religionis.**

22. I. Religio tum ex ratione etymologica tum ex usu communi vocis dicit *ordinem creaturæ rationalis ad Deum.* „Religio, ait *S. Thomas* (2. 2. q. 81. a. 1), sive dicatur a frequenti *relectione,* sive ex *iterata electione* ejus, quod negligenter amissum est, sive dicatur a *religatione,* religio proprie importat *ordinem ad Deum.* Ipse enim est, cui principaliter alligari debemus tamquam indeficienti principio; ad quem etiam nostra electio assidue dirigi debet, sicut in ultimum finem; quem etiam negligentes peccando amittimus, et credendo et fidem protestando recuperare debemus."

23. Porro duplex distingui potest ordo hominis ad Deum seu duplex vinculum hominem Deo uniens: *physicum* scil. et *morale.* Physicum est ipsa relatio physica, qua omnes creaturæ tam rationales quam irrationales a suo creatore ac gubernatore pendent. Morale consistit in eo, quod creaturæ rationales et liberæ Deo ceu primo principio et ultimo fini, suo Legislatori ac justo judici subjiciuntur. Religio consistit in hac relatione morali hominis ad Deum, quæ, uti patet, veritatibus per intellectum cognoscendis innititur, et officiis libere implendis absolvitur. Propter duplex hoc elementum distinguitur religio in *theoreticam* et *practicam,* quæ non sunt duæ religiones, sed duæ partes unius veræ et integræ religionis.

24. Hinc religio *objective* sumpta est summa veritatum et officiorum relationes morales inter Deum et homines determinantium; *subjective* spectata est virtus existens in homine istas morales relationes agnoscente et perficiente. Licet religio, ita generatim accepta et prouti hic a nobis sumitur, latissime pateat et complectatur omnes veritates atque officia, quæ utcumque in Dei obsequium tendunt, prouti tamen est *virtus specialis,* ab aliis virtutibus distincta, restrictiorem habet significationem atque communiter definitur: „virtus moralis inclinans hominem ad debitum cultum et honorem Deo exhibendum ob ejus excellentiam." (1)

25. II. Religio, ut præcipuas ejus *partitiones* innuamus, dividi solet 1. in *veram* et *falsam,* prout cognitio, agnitio et cultus Dei suo objecto respondent vel non. 2. In *naturalem* et *revelatam.* Naturalis ea est, quam sola ratio naturalis dictat, et ad quam natura inclinat. Revelata religio est ea, quæ extraordinaria et supernaturali Dei manifestatione seu revelatione nititur ac innotescit. Religio revelata est vel *supernaturalis simpliciter* quando objectum ipsum revelatum vires et exigentiam naturæ creatæ superat; vel *supernaturalis* tantum *quoad modum* seu *secundum quid,* quando modus quo objectum manifestatur quidem est indebitus, non vero ipsum objectum. Ita supernaturalis secundum quid est ipsa religio naturalis, quia de facto a Deo per revelationem est manifestata. 3. Religio revelata, secundum diversa stadia distinguitur in *primævam, judaicam* et *christianam.*

Art. II. **De necessitate religionis.**

§ 1. De necessitate religionis pro homine.

26. I. **Exponitur quæstio.** In hoc articulo inquirimus, utrum pro homine existat moralis necessitas seu obligatio religionem profitendi. Demonstrata hac obligatione, ex ipsa hominis natura dimanante, simul probatum censeri debet, religionem existere, eamque homini tum utilem tum necessariam

(1) Cf. *S. Thomas,* 2. 2. q. 81; *Suarez,* de virt. religionis, P. 1. tr. 1. l. 2. c. 1; *Mazzella,* de religione et Eccl. Disp. 1. art. 1; *Jansen,* Prael. theol. fund. § 11. sq.

esse necessitate veluti physica, ita ut homo sine religione bene esse nequeat. In hac quæstione generali de obligatione profitendi religionem nondum agitur de religione revelata, sed de aliqua religione in genere.

27. Quæstio instituitur 1) contra omnes illos, qui secundum falsa ac impia sua placita omnem religionem e medio tollunt, uti sunt Athei, Pantheistæ, Materialistæ et Fatalistæ. 2) Præsertim autem agitur contra *Indifferentistas absolutos,* qui religionem ut rem indifferentem ac minime necessariam respuunt, quibus accensendi sunt qui absolutam hominis independentiam, absolutam rationis autonomiam, absolutam conscientiæ libertatem prædicant. 3) Doctrina hic stabilienda evertitur quoque error eorum, qui aliquam quidem religionem agnoscere videntur, sed verum ejus fundamentum tollunt: scil. error *Eudæmonistarum,* qui religionem ideo tantum necessariam esse dicunt, quia est medium necessarium ad felicitatem; falsa et impia doctrina *Machiavelli,* secundum quam religio non requiritur nisi ut medium necessarium ad securitatem externam in societate civili obtinendam.

28. II. **Statuitur doctrina.**

Thesis. 1. Homini inest absoluta obligatio profitendi religionem; 2. imo sublata religione nulla moralis obligatio existere potest.

29. *Prob.* 1ma *pars. 1. Officium religionis sequitur ex essentiali relatione, qua creatura rationalis ad Deum refertur.* Etenim Deus præstat omnibus creaturis excellentia naturæ, quæ infinita est; est primum principium et dominus absolutus, a quo omnes creaturæ existentiam repetunt, et conservantur ac providentia maxima gubernantur; ipse est finis ultimus omnium creaturarum. Excellentiæ autem debetur honor; principio et domino debetur dependentia et servitus; fini debetur maximus amor, et ut omnia in ipsum dirigantur. Ergo creaturæ debent Deum honorare; debent a Deo constanter pendere eique servire; debent Deum super omnia amare et ad eum tendere. Atqui creaturæ rationales, hunc ordinem naturalem cognitione apprehendentes, se ei libere conformare tenentur. Ergo creaturæ rationales essentialiter et absolute tenentur Deo exhibere debitum honorem seu adorationem, debitam dependentiam ac servitutem, debitum amorem, quæ constituunt

religionem. Ergo homini inest absoluta obligatio profitendi religionem. Hæc paucis complectitur *S. Thomas* (2. 2. q. 81. a. 1) dicens: „Ipse enim (Deus) est cui principaliter alligari debemus tamquam indeficienti principio, ad quem etiam nostra electio assidue dirigi debet, sicut in ultimum finem."

30. Ex modo dictis colligitur, *religionem omnino requiri ad hominis perfectionem et felicitatem.* Etenim *a*) homo suam perfectionem consequi nequit, nisi servando ordinem consequatur suum bonum, neque ultimam suam perfectionem assequi potest, nisi assequendo suum summum bonum, quod est ultimus ejus finis, nempe Deus. *b*) Homo beatus et felix esse nequit, nisi adepto ultimo fine, quo possesso demum quiescit. Hinc increduli, qui hominem religione exspoliare nituntur, ipsius hominis perfectioni ac felicitati maxime adversantur.

31. 2. *Ex communi naturæ sensu,* qui innotescit *a*) ex naturali inclinatione, qua homines impelluntur, ut, præsertim in periculis, per orationem ad Deum confugiant. *b*) Ex sacrificiis apud omnes populos vigentibus. *c*) Istum consensum totius generis humani testantur diserta vel ipsorum scriptorum gentilium testimonia. Talis autem consensus communis et constans manifeste ostendit religionis existentiam atque necessitatem.

32. *Prob. 2da pars. 1.* Officia religionis non solum præcipua sunt, quia essentiali hominis ad Deum relatione nituntur, sed et *fundamentum sunt omnium officiorum.* Etenim omnis obligatio moralis ex lege nascitur; atqui sublata religione tollitur omnis lex; ergo sublata religione tollitur omnis obligatio moralis. *Major* probatione haud indiget, ideo Apostolus Paulus uti principium omnibus notum enuntiat (Rom. IV, 15): „ubi non est lex, nec prævaricatio." *Minor probatur* ex eo, quod sublata religione aufertur Deus, quia cum conceptu veri Dei, creatoris et ultimi finis omnium, necessario nectitur religio; sublato autem Deo nulla consistere potest lex, quia Deus est ipsa lex æterna, in qua omnis alia lex fundatur et a qua omnis lex derivatur.

33. 2. Qui negant Deum, verum obligationis moralis fontem, ei substituunt rationem humanam. Atqui ratio humana nequit esse supremus obligationis moralis fons. Nam, ut quædam tantum innuamus, *a*) ratio humana, sicut ipsa natura

humana cujus est facultas, est creata et finita adeoque essentialiter dependens; atqui quod est essentialiter dependens nequit esse supremus obligationis fons, subjicitur enim illi a quo dependet. *b*) Nemo obligari potest nisi a suo superiore; ratio autem humana homine non est superior. *c*) Ratio humana suum objectum non producit sed cognoscit illique supposito conformari debet ut vera ac recta sit; ergo moralem obligationem, quam cognoscit et refert, non producit sed supponit. (1)

34. **Corollarium.** Ex dictis liquet, *religionem homini maxime utilem esse*, quæ utilitas 1) præcipue in eo est, quod homo religionem profitendo legem adimplet et Deo ultimo fini adhaeret. Deinde 2) quo religiosiores sunt homines, eo magis se invicem diligunt, et cavent ne sibi noceant, eo magis solliciti sunt ut sibi mutuam opem ferant. 3) Sola religio hominibus verum affert solatium in calamitatibus, infortuniis, morbis et doloribus hujus vitæ, hominis animum erigit spe præmii a Deo consequendi etc.

§ 2. De necessitate religionis pro societate.

35. I. **Exponitur quæstio.** Sunt qui licet religionis necessitatem pro homine individuo agnoscant, eam tamen negant pro societate, autumantes hanc sine religione salvam consistere ac tuto gubernari posse, nullumque ipsi ex religione emolumentum obvenire. Gravissimus hic error ex atheismo philosophico sæculi proxime elapsi originem duxit. Cum enim increduli hominem religione exspoliare vellent, quod directe consequi nequirent, illud indirecte efficere conati sunt, religionem a publica rerum administratione separando. Imo eo usque progressi sunt atque hodie progrediuntur, ut non solum religionem societati nec necessariam nec utilem esse proclament, sed insuper dicant, religionis neglectum ad ipsum societatis bonum conducere. Hunc perniciosissimum errorem proscripsit *Pius IX* (Encycl. *Quanta cura,* 8 Dec. 1864) hanc damnans propositionem: „Optimam societatis publicæ rationem, civilemque progressum omnino requirere, ut humana societas constituatur et gubernetur, nullo habito ad Religionem respectu ac si ea

(1) Cf. *Mazzella,* l. c. art. 2; *Tanquerey* Synopsis theol. dogm. de vera relig. n. 8 sqq.

non existeret, vel saltem nullo facto veram inter falsasque religiones discrimine." Contra istum igitur errorem tuenda est vera doctrina de necessitate religionis pro societate, quam necessitatem pro instituto nostro breviter demonstrabimus.

36. II. **Statuitur doctrina.**

Thesis. Religio societati est necessaria et quidem ita ut societas sine religione salva consistere nequeat.

Prob. 1. Sicut homo individuus propter suam essentialem a Deo dependentiam officio religionis necessario obstringitur, ita et societas religionem profiteri tenetur, quia etiam societas qua talis essentialiter dependet a Deo, a quo societas in bonum hominis est ordinata atque instituta.

37. 2. Civilis societas salva esse nequit sine officiis justitiæ, fidelitatis, mutuæ dilectionis etc. Atqui hæc officia non consistunt sine religione. Ergo sine religione civilis societas salva esse non potest.

Minor prob. a) Ista officia necessario supponunt et involvunt *moralem obligationem,* sine qua officium concipi nequit. Sublata autem religione ideoque sublato Deo tollitur omnis moralis obligatio, quia tollitur omnis lex, ex qua obligatio moralis nascitur.

b) Ista officia hominum salva consistere non possunt *absque sufficienti sanctione.* Atqui sine religione deest sufficiens sanctio, neque enim societas civilis omnia delicta sufficienter punire et vindicare, neque omnia bene vel utiliter a civibus acta convenienter remunerari valet. (1)

38. 3. Societas in hominis bonum instituta salva esse non potest, nisi auctoritas socialis multitudinem dirigat ad commune bonum consequendum. Atqui id præstare nequit

(1) *Leo XIII,* in Encycl. *Diuturnum,* dicit; „Vim nullam poenarum futuram tantam, quae conservare respublicas sola possit. Metus enim, ut praeclare docet S. Thomas, est debile fundamentum; nam qui timore subduntur, si occurat occasio qua possint impunitatem sperare, contra praesidentes insurgunt eo ardentius, quo magis contra voluntatem ex solo timore cohibebantur... Itaque obediendi altiorem et efficaciorem causam adhibere necesse est, atque omnino statuere, nec legum esse posse fructuosam severitatem, nisi homines impellantur officio, salutarique metu Dei permoveantur. Id autem impetrare ab iis maxime religio potest, quae sua vi in animos influit, ipsasque hominum flectit voluntates, ut eis, a quibus ipsi reguntur, non obsequio solum, sed etiam benevolentia et caritate adhaerescant, quae est in omni hominum coetu optima custos incolumitatis."

sine religione, uti jam sufficienter liquet ex secundo argumento. Hoc ulterius constat ex eo, quod maximum bonum est honestas et virtus, quæ absque religione consistere nequit, et quod finis proximus (bonum) societatis subordinatus est fini ultimo, qui est Dei ipsius consecutio, ideoque cum hac subordinatione est prosequendus, quod sane absque religione fieri non potest. (1)

39. **Scholion.** *Religio interna et externa* seu *cultus internus et externus.* Cultus *internus* est reverentia et obsequium Deo exhibitum actibus intellectus et voluntatis qui in animo manent; cultus vero *externus* est cultus interni expressio sensibilis et manifestatio. Cultus itaque externus, ut sit verus cultus, ab interno sejungi non potest; externus enim sine interno hypocrisis potius esset quam religio. Porro cultus externus dicitur vel *privatus,* quando exhibetur ab homine individuo suo nomine; vel *publicus,* quando exhibetur nomine societatis, quare etiam socialis vocatur.

Jamvero necessitas religionis seu cultus *interni* manifeste sequitur ex probata religionis necessitate. Necessitas cultus *publici,* qui ex sua natura necessario est externus, constat ex argumentis, quibus probavimus religionem societati necessariam esse.

Necessarius etiam est cultus *externus* privatus tum *a*) *ratione sui:* quia non solum anima sed etiam corpus, adeoque totus homo a Deo dependet, Deum habet supremum principium et ultimum finem; tum *b*) *ratione cultus interni,* ad illum servandum et fovendum: quia propter naturam humanam compositam affectus interni, præsertim quando vividiores sunt, natura duce prodeunt in actus externos et ab his foventur.

ART. III. De indifferentia in re religiosa.

40. I. **Exponitur quæstio.** 1. Hucusque probavimus, *aliquam* religionem tum hominibus individuis, tum societati necessariam esse, ideoque gravissime errare illos, qui *indifferentismum absolutum* in re religiosa prædicant. Sunt autem, qui, licet agnoscant necessitatem alicujus religionis, doceant tamen varias religiones esse æque bonas et utiles, atque in

(1) Cf. *S. Thomas,* de Reg. Princ. l. 1. c. 14 sq; *Mazzella,* l. c. art. 3.

qualibet earum hominem posse salvari. Hic error vocari solet *Indifferentismus relativus,* contra quem in hoc articulo nobis est agendum.

41. Duplex est indifferentismus relativus: unus *universalis,* alter *particularis.* Primus complectitur omnes religiones, quæ in mundo sunt, easque omnes dicit æque bonas atque ad salutem utiles esse. Alter admittit aliquam religionem in mundo veram esse et alias falsas; sed quia quælibet religio habet suas sectas diversas, censet inter religionem et ejus sectas nullum essentiale discrimen esse: ita v.g. omnes sectas christianas utiles esse ad æternam salutem obtinendam.

42. Ad errorem indifferentismi relativi pertinet *tolerantia religiosa* seu *dogmatica,* quæ est expressa vel tacita professio veritatis omnium religionum, qua scil. quis tenet omnes religiones aut sectas æque veras ac bonas, ideoque omnes homini æque salutares esse.

43. Ab hac tolerantia proprie religiosa seu dogmatica sedulo distinguenda est *tolerantia politica* seu *civilis,* quæ est legum dispositio, qua publicum cultus exercitium permittitur, vel etiam æqualis protectio conceditur externæ professioni cujusque religionis. Hæc ultima in certis circumstantiis non solum licite potest sed et debet admitti.

44. Error indifferentismi relativi et tolerantiæ religiosæ proponi etiam solet sub nomine *libertatis conscientiæ*, aut *libertatis cultuum,* qua libertate intelligitur libertas non physica sed moralis, seu exemptio a lege. Si per hanc libertatem cultuum intelligitur exemptio ab omni lege etiam naturali et divina, est idem error ac indifferentismus relativus, aut tolerantia dogmatica; si intelligitur exemptio solum a lege humana, sive ecclesiastica sive civili, habetur error *liberalismi.* „*Liberales* itaque tenent 1) jus inesse cuique homini, quoad societatem tum civilem tum ecclesiasticam, profitendi religionem, quam vult; ac proinde injuste agere auctoritatem sive civilem sive ecclesiasticam, quæ tolleret aut minueret libertatem cultuum. 2) Imo, addunt, libertas cultuum, seu *tolerantia politica* est *per se* bona et *per se* in bonum societatis cedit; adeoque *absolute* et non solum *hypothetice,* seu nulla habita ratione conditionum in quibus versatur ali ua societas, concedenda est. 3) Non desunt tamen qui hunc errorem mitigantes doceant,

quod, licet solum *hypothetice* concedenda sit *libertas cultuum,* ea tamen est præsens temporum conditio, ut non amplius ullibi expediat religionem catholicam tamquam unicam status religionem haberi" (*Mazzella,* l. c. art. 4).

45. 2 Contra exitialem errorem *indifferentismi relativi* seu *tolerantiæ dogmaticæ* tenenda est vera doctrina catholica, *unam esse veram religionem, quam omnes homines amplecti ac profiteri tenentur.* Istum errorem sæpius dammavit Ecclesia. Huc spectant inter alia hæ dammatæ in *Syllabo* propositiones: 15: „Liberum cuique homini est eam amplecti et profiteri religionem, quam rationis lumine quis ductus veram putaverit." 16: „Homines in cujusvis religionis cultu viam æternæ salutis reperire æternamque salutem assequi possunt." 18: „Protestantismus non aliud est quam diversa ejusdem christianæ religionis forma, in qua æque ac in Ecclesia catholica Deo placere datum est."

46. Quid Ecclesia sentiat de *Liberalismo* liquet ex Encyclica *Quanta cura,* in qua Pius IX dicit: „Ex qua falsa socialis regiminis idea haud timent erroneam illam fovere opinionem, catholicæ Ecclesiæ animarumque saluti maxime exitialem, a rec. mem. Gregorio XVI, Prædecessore Nostro, deliramentum appellatam, nimirum libertatem conscientiæ et cultuum esse propium cujusque hominis jus, quod lege proclamari et asseri debet in omni recte constituta societate, et jus civibus inesse ad omnimodam libertatem nulla vel ecclesiastica, vel civili auctoritate coarctandam, quo suos conceptus quoscumque manifestare ac declarare valeant. Dum vero id temere affirmant, haud cogitant et considerant, quod libertatem perditionis prædicant."

Licet systema liberalismi ab Ecclesia merito sit reprobatum, non ideo tamen reprobata est omnis tolerantia civilis; quæ de hac sunt tenenda infra breviter exponemus. His itaque præstitutis

47. **Statuitur doctrina.**

Thesis. Una est vera religio, quam omnes homines amplecti et profiteri tenentur.

Prob. 1. Ex ipsa notione religionis, quæ est relatio hominis ad Deum. Tria in religione spectari possunt 1) Deus, cui debetur cultus; 2) creatura rationalis officium religionis adimplens; 3) ligamen morale hominem Deo conjungens.

Atqui ex quocumque capite consideratur religio non est nisi una. Ergo. Præstat aliquantisper fusius evolvere et probare propositionem minorem quoad singulas partes.

48. *Prob. min. quoad 1^mam part. a)* Uti ipsa ostendit ratio Deus non est nec esse potest nisi unus; ergo quantum ad Deum attinet, cultus ei debitus non est nisi unus; proindeque una tantum est vera religio. *b)* Deo vel in ordine naturæ debetur cultus, quia est in se summe excellens, primum principium et ultimus finis; atqui talis semper et ubique est Deus relate ad omnes homines; ergo unus idemque cultus ab omnibus hominibus Deo semper et ubique debetur. *c)* Deus ut supremus et absolutus Dominus jus habet non solum ut colatur sed ut colatur eo modo quo ipse vult: ergo si supernaturaliter modum colendi revelat et determinat, hoc modo ab omnibus hominibus est colendus; atqui Deus non nisi unum modum quo colatur non nisi unam religionem revelavit. Ergo non nisi una est vera religio ab omnibus amplectenda et profitenda.

49. *Prob. min. quoad 2^dam part.* Ex parte hominis fundatur religio in essentiali et totali dependentia ejus naturæ a Deo; atqui una est specie natura adeoque eadem dependentia in omnibus hominibus; ergo una eademque est omnium religio. Hoc etiam valet in hypothesi religionis supernaturalis a Deo revelatæ, quia homo vi istius dependentiæ tenetur Deum colere eo modo quo ipse coli vult.

50. *Prob. min. quoad 3^tiam part.* Ligamen morale conjungens hominem Deo oritur ex jure Dei et ex essentiali naturæ humanæ a Deo dependentia, his enim relationibus respondet; ergo cum ex parte Dei et hominis una sit religio, etiam ex parte ligaminis necessario una est. Hæc ut melius intelligantur, distinguantur officia religionis *absoluta* et *hypothetica*. Officia *absoluta* oriuntur ex ordine creaturæ rationalis ad Deum, attenta solum Dei perfectione et hominis natura. Hæc officia, absolute fundata in ipsis essentiis rerum, necessario eadem sunt pro omnibus hominibus. Officia *hypothetica* pendere possunt ab hypothesi afficiente omnes homines, uti esset hypothesis revelationis publicæ et universalis; hæc etiam officia sunt omnibus communia, secus enim ipsa officia absoluta nutarent et corruerent. Officia autem hypothetica, verificata hypothesi,

fiunt absoluta. Si vero hypothesis sit particularis, sequuntur tantum officia particularia religionis: e. g. ex voto, quod fundat tantum obligationem religionis pro illo, qui votum emisit *(Mazzella,* l. c.).

51. *Prob. 2.* Indifferentismus aut tolerantia dogmatica supponit aut omnes religiones esse veras, aut omnes esse falsas; nam si una tantum vera est, hæc sane est amplectenda. Atqui utravis suppositio falsa est. Etenim absurde diceretur omnes religiones esse veras, cum sibi invicem opponantur, et contradictoria simul vera esse nequeant; neque dici potest omnes esse falsas, nam Deus, qui vel ipsas creaturas irrationales ad finem perducit, permittere non potest, ut totum genus humanum frustretur fine ultimo, qui per religionem veram obtinetur: talis assertio esset impia in Deum, noxia in societatem.

52. **Scholion.** De *tolerantia politica* hæc breviter adnotasse sufficiet. Politica tolerantia *non absolute* sed tantum *hypothetice* admitti potest. Cum enim unitas in vera religione ad verum civilis societatis bonum per se maxime conducat, et suprema auctoritas jus habeat et officium illam conservandi et promovendi, liquet libertatem cultuum per se illicitam esse adeoque absolute concedi non posse. Possunt tamen circumstantiæ societatis civilis esse tales, ut libertas cultuum licite concedi possit et debeat: *si secus scil. sequerentur majora mala.* Libertas cultuum, ait *Tarquini* (Jur. Eccl. Publ. Instit. ed. 4. pag. 67), „duplici ex causa, seposita lege positiva, est illicita; quia nefas est cooperari superstitioni heterodoxorum; tum quia nefas est catholicos periculo seductionis exponere. Inde consequitur, ad eam honestandam eas conditiones necessarias esse, quæ ad honestandam cooperationem alterius peccato, tum ad licite sese exponendum occasioni, sive periculo peccandi communiter a Theologis traduntur."

53. Veram doctrinam de tolerantia politica ita paucis contrahit *Becanus* (de Virt. Theol. cap. 16. q. 4. a. 2): „De hac re ita statuendum est. 1) Libertatem religionis omnino esse illicitam et divino præcepto repugnantem. 2) Reipublicæ esse perniciosam. 3) Non debere præcipi, approbari aut introduci ab ullo Principe aut Magistratu: sed potius omnibus modis, si commode fieri potest, impediri et profligari. 4) Si autem commode impediri non possit, nisi cum majori

damno aut malo Reipublicæ, aliquo tempore tolerari posse. 5) Et si hoc modo toleretur, et in pactum deducatur, fidem servandam esse. Hæc Catholicorum sententia est." Ultimum autem assertum sic probat: „Fides servari debet in omni pacto licito et honesto; atqui licitum et honestum est tolerare libertatem religionis ad majus malum evitandum; et de ea toleranda licite et honeste pacisci potest Princeps catholicus. Ergo, si paciscitur, fidem servare debet."

54. **Corollarium.** Cum homo teneatur religionem profiteri, cumque vera religio non sit nisi una, sequitur cuilibet incumbere obligationem permanendi in vera religione eamque investigandi et amplectendi.

Art. IV. **Religio naturalis et supernaturalis.**

55. Religio, uti antea diximus, distinguitur in naturalem et supernaturalem. Opportunum itaque erit, in hoc art. supremis lineamentis describere religionem tum naturalem tum supernaturalem, hocque eo vel magis quod, uti probabimus, religio christiana est vera religio et quidem religio supernaturalis. Ut hæc descriptio, quæ præ instituto nostro non nisi brevis esse potest, plana ac perspicua sit, tria distincte inquiremus: 1) quid sit naturale et supernaturale; 2) quid sit ordo naturalis et supernaturalis; 3) quid sit religio naturalis et supernaturalis.

56. I. **Naturale et supernaturale.** Notionem supernaturalis, alibi diligentius exponendam, hic tantum breviter delibabimus.

1. *Naturale,* a natura dictum, proprie prout opponitur supernaturali significat illud, quod vel *a)* naturam sive essentiam rei constituit, vel *b)* ex natura constituta dimanat aut consequi concipitur, vel *c)* quod natura suis viribus attingere aut efficere potest, vel *d)* quod a natura exigitur eique debetur, ne ipsa vel ejus vires frustra sint. Hinc

57. 2. *Supernaturale negative* est omne illud quod non est naturale, id est quod neque pertinet ad naturam constituendam, neque ex natura constituta necessario sequitur aut sequi concipitur, neque a nativis viribus naturæ attingi potest, neque a natura exigitur ne frustra sit. Supernaturale igitur

positive est illud *quod est super omnem exigentiam et supra omnes vires naturæ creatæ,* ad naturam jam constitutam accedit, eam perficit et perficiendo ad altiorem ordinem transfert; est itaque aliquid naturæ *superadditum* et *indebitum.*

58. Supernaturale vel est supernaturale *quoad substantiam*, si ipse effectus in se est supernaturalis, ut gratia sanctificans, resurrectio mortui; vel supernaturale tantum *quoad modum*, si effectus in se est naturalis, modus autem quo confertur est supernaturalis, uti subitanea sanatio ægroti, revelatio veritatis naturalis. *Absolute* supernaturale est id, quod excedit exigentiam et vires *totius naturæ creatæ; relative* supernaturale est illud, quod est supra exigentiam et vires *alicujus naturæ determinatæ* v.g. humanæ, non vero omnis naturæ v.g. angelicæ; primum est *proprie* et *simpliciter* supernaturale, secundum dicitur frequenter *præternaturale.*

59. II. **Ordo naturalis et supernaturalis.** Ordo generatim est apta rerum ad finem dispositio. Hic per ordinem intelligimus dispositionem rerum, nominatim hominis, ad finem ultimum. „Finis autem, ait *S. Thomas* (1. q. 23. a. 1), ad quem res creatæ ordinantur a Deo, est duplex. Unus qui excedit proportionem naturæ creatæ et facultatem; et hic finis est vita æterna, quæ in divina visione consistit, quæ est supra naturam cujuslibet creaturæ. Alius finis est creaturæ proportionatus, quem scil. res creata potest attingere secundum virtutem suæ naturæ." Ordinatio seu dispositio ad primum finem dicitur ordo *supernaturalis,* ad posteriorem ordo *naturalis* audit.

60. Ut igitur distinctio inter ordinem naturalem et supernaturalem quoad hominem plenius intelligatur, considerandus est hominis finis ultimus. Finis hominis ultimus esse non potest nisi in cognitione Dei, supremæ veritatis, et amore Dei, summi boni, ita ut destinationi intellectus ac voluntatis ad verum et bonum plene satisfiat, utque ex hoc ipso creatura suam ultimam perfectionem consequatur et fruitione Dei plene beata sit. Modus autem cognitionis et amoris finalis duplex esse potest. 1) Cognitio Dei abstractiva et amor consequens talem cognitionem Dei mediatam, qui modus cognoscendi et amandi Deum non excedit exigentiam creaturæ rationalis, sed ejus viribus in ultima naturali perfectione constitutis est

accommodatus. Hoc modo spectatus finis ultimus hominis est *finis naturalis,* qui supposita creatione consequitur non ex libera Dei destinatione distincta et diversa a voluntate creante, sed ex necessario objectivo ordine, ex necessariis Dei perfectionibus et ex perfectione creaturæ rationalis. Unde hic finis potest lumine naturali rationis ex Dei perfectione, in operibus creationis relucente, cognosci. 2) Cognitio Dei intuitiva et amor consequens talem cognitionem immediatam, ita ut supra omnem exigentiam et omnes vires naturæ, per donum superadditum intellectus creatus elevetur ad essentiam divinam, infinitam veritatem, intuitive (non ideis aliunde depromptis) videndam, et consequenter voluntas supernaturaliter elevetur ad amandum Deum, infinitum bonum, amore respondente intuitivæ visioni, atque sic creatura fruitione Dei supernaturali beata sit. Hoc modo spectatus est *finis supernaturalis,* ad quem supposita etiam creatione potuit creatura non destinari, et non nisi libera Dei benignitate elevata est; adeoque hic finis non nisi ex revelatione Dei per fidem cognosci potest.

61. Jam vero si homo constituitur in via ad illum terminum, requiritur ut status viæ aliqua proportione respondeat statui termini, ut media, quibus dirigitur ad finem, apta sint fini, ut inchoatio in hac vita pertineat ad illum ordinem, in quo est perfectio et consummatio finalis in altera vita. Hinc duplici fini naturali et supernaturali respondet duplex distincta series mediorum, quibus finis attingitur. Ex fine igitur naturali et ex mediis naturalibus illi fini proportionatis et opportunis ad illum consequendum coalescit *ordo naturalis;* ex fine vero supernaturali et ex mediis supernaturalibus huic fini proportionatis atque ad hunc assequendum opportunis coalescit *ordo supernaturalis.* Quare ordo supernaturalis, præter hominis destinationem ad visionem Dei intuitivam, multiplicia alia dona supernaturalia complectitur.

62. III. **Religio naturalis et supernatutalis.** 1. Religio *naturalis* ea est, quæ ex ipsa natura hominis procedit, rationis naturalis lumine innotescit, necessariam hominis ad Deum creatorem relationem constituit, et quæ exercetur usu naturalium hominis facultatum. *Objective* igitur est complexus veritatum et officiorum naturalem hominis ad Deum relationem concernentium, quatenus ista ex Dei et humanæ naturæ consideratione

per rationem cognosci possunt. *Subjective* consistit in actibus intellectus et voluntatis in ordine ad Deum, summum verum et summum bonum, per rationem naturalem ex creaturis cognitum.

63. 2. Religio *supernaturalis objective* complectitur veritates, præcepta, facta et media, supernaturalem hominis ad Deum relationem spectantia, quæ non nisi per extraordinariam Dei manifestationem seu revelationem innotescunt. *Subjective* consistit in actibus intellectus et voluntatis, qui Deum, auctorem superioris ordinis, et beatificatorem per visionem divinæ essentiæ, pro objecto habent, quique procedunt ab intellectu et voluntate elevatis atque auctis viribus altioris ordinis: consistit nimirum in fide, quæ per caritatem operatur.

64. Ex dictis facile liquet, *religionem christianam esse religionem supernaturalem,* imo eam integrum ordinem supernaturalem nobis exhibere. Hæc enim religio nos docet, hominem liberali Dei benignitate destinatum esse ad finem supernaturalem, ut scil. per visionem beatificam Dei possessione fruatur. Cum hoc autem fine integra œconomia supernaturalis intime nectitur. Ut enim ad hunc finem assequendum aptus fiat, homo per gratiam sanctificantem ad statum filii elevatur et multiplici adjutorio supernaturali instruitur; et, gratia per peccatum amissa, per redemptionis mysterium humanum genus in pristinum statum supernaturalem restituitur. Media omnia, quibus homo ad finem suum consequendum adjuvatur, inter quæ præcipua sunt Sacramenta, supernaturalia sunt; supernaturales quoque actus, quibus homo vitam æternam meretur. Multæ veritates superrationales, seu mysteria, proponuntur fide supernaturali credendæ; plurima in ea continentur miracula et prophetiæ, quæ sane ad ordinem supernaturalem pertinent. (1)

65. Totam hanc supernaturalem œconomiam a priori rejiciunt Naturalistæ et Rationalistæ, quibus humana ratio est suprema religionis norma, quæ omnem religionem supernaturalem omnino excludit. Contra hos itaque errores possibilitatem et existentiam religionis supernaturalis adstruemus, demonstrando possibilitatem et existentiam revelationis supernaturalis.

(1) Cf. *Jansen,* l. c. § 14; *Jungmann,* Instit. theol. dogm. de vera relig. n. 42 sqq.

PARS I.

DE REVELATIONE UNIVERSIM.

66. Priusquam ipsum factum revelationis divinæ probetur, quatuor de ipsa revelatione quæri possunt, quæ ab incredulis in dubium vocari solent, scil. utrum sit *possibilis,* utrum *necessaria,* utrum *dignosci* possit, utrum ab hominibus sit *necessario accipienda.* Quare hanc partem in quatuor dispescimus capita: 1um erit de revelationis possibilitate; 2um de ejusdem necessitate; 3um de revelationis cognoscibilitate et criteriis; 4um de officio accipiendi revelationem.

CAPUT I

DE DIVINÆ REVELATIONIS POSSIBILITATE.

67. I. **Notiones præviæ.** *Revelationis notio et partitio.* Revelatio, quæ a revelando i. e. a removendo velum dicta generatim importat manifestationem rei occultæ, hic sumitur pro *manifestatione veritatis.* Cum autem hæc manifestatio fieri possit vel ab homine vel a Deo, revelatio potest esse vel humana vel divina. Hic agimus de revelatione *divina.*

68. Revelatio *divina* distingui solet in *naturalem,* indirectam et impropriam, et in *supernaturalem,* directam ac proprie dictam, quæ ultima simpliciter dici solet revelatio. Revelatio naturalis est ea, quæ fit per medium naturale, per res creatas, ex quibus Deus divinæque veritates naturali rationis lumine cognosci possunt. Revelatio supernaturalis est ea, qua Deus ipse directe hominibus veritates patefacit per medium extra exigentiam et vires naturæ positum, seu per formalem locutionem. De hac supernaturali, quæ sola est proprie dicta revelatio, hic nobis sermo est.

69. Porro revelatio supernaturalis, quatenus spectatur ex parte Dei revelantis, dividi solet in *immediatam* et *mediatam.* Solet nempe Deus quibusdam immediate veritates communicare; deinde vero hisce utitur tamquam legatis suis, qui revelatas veritates aliis hominibus communicent, ad hos igitur ultimos

mediate revelatio Dei pervenit. Ad revelationem immediatam refertur manifestatio veritatis per angelum. Liquet autem hanc rationem immediationis vel mediationis non afficere *revelata* accepta, sed acceptionem. Revelata per revelationem sive immediatam sive mediatam eadem sunt, *medium* accipiendi est diversum. Hinc nos revelanti Deo credimus, revelata autem a Deo accipimus, mediantibus sanctis Dei hominibus quibus revelatio immediate facta est; hi vero et Deo revelanti crediderunt et revelata a Deo immediate acceperunt.

70. Revelatio immediata est vel *interna,* quæ est aut intellectualis, quæ fit immediate in intellectu hominis, aut imaginaria, quæ fit per imagines internas veritatem repræsentantes, ad quas referuntur visiones et somnia; vel *externa,* quando Deus signis externis, sive verbis sive aliis quibuscumque, veritates manifestat. Ut autem revelatio perfecta sit, requiritur tum nominatim ad revelationem imaginariam et externam lumen intellectuale divinum, quo significatio signorum certo cognoscatur ab illo cui revelatio fit, tum ad quamcumque revelationem, ut hæc a recipiente eam tamquam divina certo dignoscatur. (1)

71. Ut accurata habeatur revelationis notio haud abs re erit hic notare a revelatione distinguendam esse *infusionem,* licet sub generico nomine revelationis etiam infusio nonnumquam comprehendatur. Etenim supernaturalis communicatio veritatum per Deum dicitur infusio, quando divinitus per miraculum infunditur veritatum *intellectio et scientia;* ita Adam habuit scientiam infusam omnium veritatum naturalium. Quando autem veritates homini manifestantur a Deo ut *credendæ,* ejusmodi manifestatio, sive interna sive externa, dicitur stricto sensu revelatio.

72. *Revelationis objectum.* Objectum revelationis, uti docet *Concilium Vaticanum,* generatim est duplicis ordinis: hac enim manifestari possunt tum „ea, ad quæ naturalis ratio pertingere potest", quæ revelatio est supernaturalis tantum *quoad modum;* tum „mysteria in Deo abscondita, quæ nisi revelata divinitus innotescere non possunt"; quarum veritatum in se supernaturalium revelatio est supernaturalis *quoad substantiam.* Quia autem quoad mysteria eorumque revelationem

(1) Cf. *S. Thomas,* 2. 2. q. 173. a. 2; C. G. l. 3. c. 154.

peculiaris est difficultas, juverit mysteriorum notionem paucis exponere.

73. *Mysterium* generatim importat rem sive veritatem *occultam.* Jam vero veritas aliqua multiplici modo nobis occulta esse potest: *a) absolute* vel *secundum quid:* absolute occulta est illa, quam mediis naturalibus *nullo modo* assequi possumus; occulta secundum quid est ea, quam mediis naturalibus non quidem cum certitudine aut perfectione, conjecturaliter tamen vel probabiliter cognoscere possumus, ut sunt v. g. quædam futura libera. *b) Per se* vel *per accidens:* per se occulta est ea, ad quam cognoscendam desunt omnino vires in natura, ut e. g. mysterium SS. Trinitatis; per accidens occulta est illa, ad quam cognoscendam non quidem naturales vires desunt, sed quæ cognosci nequit per has vires propter difficultates illarum exercitium impedientes, e. g. numerus stellarum. *c) Quoad existentiam* (an sit) vel *quoad essentiam* (quid sit): veritas quoad existentiam tantum occulta illa est, quam sine revelatione invenire non possumus, supposita tamen ejus revelatione, intelligere valemus, cujusmodi sunt quædam a libera Dei voluntate pendentia e. g. primatus Romani Pontificis; occulta autem quoad essentiam est ea, cujus intrinsecam rationem (cur et quomodo sit), etiam supposita ejus revelatione, intelligere non possumus. Jam vero mysterium sensu theologico *stricte ac proprie dictum* est veritas *absolute et per se occulta tum quoad existentiam tum quoad essentiam,* quæ scil. sua natura ita excedit intellectum creatum, ut neque existentia ejus solo lumine rationis cognosci, neque intrinseca ejus ratio, etiam supposita revelatione, a nobis intelligi possit. Talis veritas vocatur *superrationalis.* Mysterium sensu *latiori* est veritas, quæ absolute et per se est occulta *tantum quoad existentiam,* quæ scil. tantum per revelationem divinam nobis innotescere potest, quam tamen, revelatione posita, facile intelligimus. Hæc veritas dicitur *præterrationalis.* (1)

(1) Ab his mysteriis supernaturalibus distinguenda sunt mysteria ***naturalia,*** pertinentia ad ordinem cognitionis naturalem. Ad haec mysteria naturalia pertinent tum veritates, quae, licet per se rationis vires non superent, ***nobis non sufficienter proponuntur,*** qualia sunt multa in interiore terra et generatim in tota natura; tum veritates, quarum existentiam quidem naturaliter cognoscimus, ***modum tamen, quo sunt secundum propriam suam rationem, intelligere non valemus,*** uti e. g. sunt essentia et perfectiones Dei.

74. Ex tradita mysterii notione facile intelligitur, quomodo intelligendum sit illud: *mysteria sunt incomprehensibilia.* Sane *a)* non sunt incomprehensibilia, quatenus verba, quibus enuntiantur, nullum sensum habeant, et ideo nullam perceptionem in mente excitent; dum enim verbis communi usu adhibitis enuntiantur, conceptibus non quidem propriis sed analogicis apprehendimus quod revelatur, ac proinde quod credendum proponitur. Ideo posita revelatione, plane intelligimus *existentiam* talis veritatis. *b)* Mysteria autem sunt incomprehensibilia quia, etiam posita revelatione eorum existentiæ, non valemus intelligere eorum intrinsecam rationem, *cur et quomodo sint,* e. g. cur et quomodo Deus unus in natura sit trinus in personis. Hujusmodi cognitio est quidem imperfecta, sed, ut ait *S. Thomas* (C. G. l. 1. c. 5), „de rebus nobilissimis quantumcumque imperfecta cognitio maximam perfectionem animæ confert et ideo quamvis ea, quæ supra rationem sunt, ratio humana plene capere non possit, tamen multum sibi perfectionis acquiritur, si saltem ea qualitercumque teneat fide." (1)

75. *Errores.* Revelationis possibilitatem negant *Naturalistæ* ita vocati, quia naturæ seu humanæ rationis vires nimis extollunt. Ipsis humana ratio plene sufficit ad cognoscendas omnes veritates religiosas, quarum ratio unicus est fons ac norma, ita ut non alia nisi naturalis religio admittenda sit; hinc omnem revelationem vel ut omnino impossibilem, vel ut plane superfluam rejiciunt. Ad naturalistas pertinent etiam *Rationalistæ*, licet hi ab illis nostro præsertim tempore distingui soleant, non quod essentialiter inter se differant, sed quod rationalismus mitiorem quamdam naturalismi induit formam, quæ tamen non minus est periculosa et christianismo infensa, quam naturalismus purus.

76. *Naturalistæ* videlicet *puri omnem specialem directionem Dei in negotio religionis negantes*, id tantum admittunt, Deum rerum universitatem produxisse, hominibusque tribuisse facultates intellectuales, per quas iisdem satis provisit, ut rationis viribus utentes ex consideratione universi ipsum agnoscant, necessarias cognitiones religiosas proprio labore acquirant,

(1) Cf. *Mazzella,* art. 5; *Franzelin,* de Trinitate, thes. 17; *Scheeben,* Handb. der kath. Dogm. t. 1. n. 28; *Ottiger,* Theol. fundam. tom. 1. § 11.

easque magis magisque perficiant. *Rationalistæ* vero *admittunt, Deum speciali quadam cura providentiali tum populos tum singulos homines in negotio religionis dirigere,* quatenus eosdem impellat ad veritatem per vires suæ rationis quærendam, ac dispositione providentiæ suæ tum singulis occasiones sese instruendi præbeat, tum viros excitet acriori ingenio præditos, qui veritates, quas ipsi melius cognoverint, etiam alios doceant. *Rationalistæ* loquuntur etiam de revelatione, sed eam nomine tenus tantum admittunt; siquidem ejus nomine intelligunt vel cognitionem per naturalem evolutionem facultatum naturalium, vel cognitionem per mentem specialiter excitam naturalibus eventibus; omnem autem revelationem supernaturalem ac proprie dictam prorsus rejiciunt.

77. Rationalismus, quatenus est systema religiosum, ex protestantium erroribus originem ducit. Hoc testatur *Concilium Vaticanum* (Constit. dogm. *Dei Filius)* præclare docens: „Nemo ignorat, hæreses quas Tridentini Patres proscripserunt, dum, rejecto divino Ecclesiæ magisterio, res ad religionem spectantes privato cujusvis judicio permitterentur, in sectas paulatim dissolutas esse multiplices, quibus inter se dissentientibus et concertantibus, omnis tandem in Christum fides apud non paucos labefacta est. Itaque ipsa sacra Biblia, quæ antea christianæ doctrinæ unicus fons et judex asserebantur, jam non pro divinis haberi, imo mythicis commentis accenseri cœperunt. Tum nata est et late nimis per orbem vagata illa rationalismi seu naturalismi doctrina, quæ religioni christianæ utpote supernaturali instituto per omnia adversans, summo studio molitur, ut Christo, qui solus Dominus et Salvator noster est, a mentibus humanis, a vita et moribus populorum excluso, meræ quod vocant rationis vel naturæ regnum stabiliatur."

78. Rationalistarum principium fundamentale est rationis *independentia et autonomia,* quæ non sinit, rationem aliquid admittere, cujus veritatem intrinsecam ipsa non perspexerit. Cum hoc principio cohæret alterum de *sufficientia* rationis ad cognoscendas veritates religiosas, quæ ostendit revelationem supernaturalem omnino superfluam esse. Tertium eorum principium est de *jugi rationis progressu,* quo fiat, ut veritatum moralium et religiosarum cognitio continuo per rationis evolu-

tionem et inquisitionem perficiatur. Falsis hisce principiis innixi omnem religionem supernaturalem, omnem supernaturalem revelationem, nominatim veritatum superrationalium seu mysteriorum, veluti a priori rejiciunt, eam impossibilem et homine indignam esse dicunt *(Mazzella,* l. c. art. 5). (1)

79. *Doctrina catholica.* Contra prædictos errores definivit Ecclesia catholica, *possibilem esse revelationem.* Hanc doctrinam exponit *Conc. Vatic.* (Constit. dogm. *Dei Filius* cap. 2 et 3), quibus subjungit hos canones (can. 2 ad cap. 2): „Si quis dixerit, fieri non posse, aut non expedire, ut per revelationem divinam homo de Deo, cultuque ei exhibendo edoceatur; anathema sit." Et (can. 1 ad cap. 4): „Si quis dixerit, in revelatione divina nulla vera et proprie dicta mysteria contineri . . . . . a. s." Catholicam doctrinam de possibilitate revelationis modo vindicabimus, qua demonstratione peracta, ut hæc magis clareat, de rationalistico principio de rationis independentia atque autonomia quædam breviter adnotabimus. Quid sentiendum sit de rationis sufficientia liquebit ex revelationis necessitate, quam in capite proxime sequenti adstruemus, ubi etiam de conficto jugi rationis progressu pauca dicemus.

80. **Statuitur vera doctrina.**

Thesis I. Possibilis est revelatio universim spectata.

Prob. 1. Revelatio divina dicenda est possibilis si non repugnat neque ex parte Dei, neque ex parte hominis, neque ex parte rerum revelatarum. Atqui ex nulla parte repugnat. Ergo divina revelatio est possibilis.

81. *Prob. min. a) non repugnat ex parte Dei revelantis.* Etenim Deo non deest veritatum revelandarum scientia, quia est omniscius; ipsi non deest medium manifestandi veritates quas cognoscit, quia est omnipotens; non deest bonum Dei sapientiæ ceterisque attributis conveniens, ad quod revelatio dirigi possit, cum in maximam hominum utilitatem atque ipsius Dei gloriam cedat.

Neque dicatur cum rationalistis, Deum revelando sibi contradicere, quatenus, cum jam dederit homini naturale lumen ad cognoscendas veritates, velit deinde ut illas per aliud

(1) Cf. *Jungmann,* l. c. n. 11 sqq.

medium, per revelationem nempe, cognoscat. Hoc nullius ponderis est; potuit enim ab æterno decernere, ut duplex illa veritatis assequendæ via pateret, quo in casu nulla est contradictio. Et revera quemadmodum Deus ab æterno constituit cursum naturæ modumque naturalis cognitionis humanæ, ita etiam ab æterno decrevit per revelationem supernaturalem homini veritates communicare, atque duplicem hunc tum naturalis tum supernaturalis cognitionis ordinem harmonice disposuit.

82. *Prob. min. b) non repugnat ex parte hominis* revelationem excipientis. Etenim homo facultate cognoscendi præditus capax est cognoscendæ veritatis. Sicut autem ab aliis hominibus, ita multo magis ab ipso Deo, infinite sapiente ac omnipotente, erudiri potest, et dubitari nequit, quin de obtenta hac a Deo eruditione certus reddi possit. Deinde cum vera dignitas rationis humanæ consistat in amplitudine ac certitudine cognitionum, tantum abest, ut, quod dicunt rationalistæ, revelatio sit contra dignitatem humanæ rationis, ut hanc potius promoveat atque evehat, cum ex revelatione multa cognoscat homo, quæ absque revelatione ignoraret, de multis certus reddatur, quæ secus dubia manerent.

83. Nec alicujus momenti est, quod cum Strauss (1) omnes fere rationalistæ opponunt, dicentes immediatam internam revelationem adversari naturæ facultatis cognoscitivæ, quæ de se activa est, sub operatione autem immediata Dei mere passive se habet. Imprimis enim animadvertendum est, animum humanum, licet activitate donatus sit, multiplici tamen sub respectu etiam passivum esse, aliorumque entium actioni et determinationi subjectum. Sic in quavis cognitione quædam passio invenitur. Deinde Deus, licet absoluta activitas sit, non omnem hominis activitatem destruit, sed in animum agit modo ejus naturæ conformi, ita ut sub immediata operatione Dei mens activo modo ideas percipiat atque veritates propositas apprehendat. Homo, revelationem accipiens, non minus vitaliter agit, quam in quavis alia cognitione, licet agat a Deo illustratus. Repugnaret utique revelatio, in qua homo *mere passive* se haberet, qualem rationalistæ sæpe fingunt.

(1) Die christliche Glaubenslehre, B. 1. p. 140.

84. *Prob. min. c) non repugnat ex parte rerum revelandarum.* Sunt enim veritates, veritas autem est objectum intellectus, adeoque ejus naturæ non opponitur, sed potius congruit ut intellectui manifestetur. Nihil autem refert, utrum hæc manifestatio fiat per intrinsecam veritatis evidentiam an per magisterium humanum an per magisterium divinum; utrum fiat quoad existentiam an etiam quoad essentiam; semper enim erit quædam veritatis manifestatio, ipsius veritatis naturæ conveniens.

85. *Prob. 2.* Posse manifestare suas cogitationes, suam scientiam aliis entibus intelligentibus sane est perfectio, quæ vel in ipso homine invenitur, qui aliis hominibus suos conceptus manifestare potest. Atqui omnes perfectiones creaturarum, quæ non involvunt imperfectionem, conveniunt Deo. Ergo potest Deus suas cogitationes manifestare seu revelare hominibus.

86. **Thesis II.** Probari nequit revelationem mysteriorum esse impossibilem.

Prob. Revelatio mysteriorum probaretur impossibilis, si ostenderetur vel 1) nulla esse mysteria, vel 2) ea, etiamsi existant, hominibus a Deo manifestari non posse. Atqui neutrum ostendi potest. Ergo probari nequit revelationem mysteriorum esse impossibilem.

Prob. min. quoad 1^mam^ partem: ostendi nequit nulla esse mysteria. Existere mysteria proprie et stricte dicta *plene* demonstratur ex ipsa revelatione, qua nobis tales veritates superrationales manifestantur; hac tamen demonstratione modo nondum uti possumus. Hic tantum argumentari possumus a priori ex naturalis rationis principiis. Videtur autem dicendum, *a priori probari non posse existere mysteria stricte dicta.* Cum enim hujusmodi veritates nos omnino lateant, pro nostro intellectu naturaliter cognoscente, quoad earum intrinsecam cognoscibilitatem, non magis habent rationem entis quam non entis, et proinde de eis, ante earum revelationem, nihil prorsus scire possumus. Sed ex hoc ipso patet, etiam *non posse a priori probari nulla esse mysteria stricte dicta;* de hac re a priori nihil scimus, nescimus proinde utrum existant hujusmodi mysteria necne. Et sane qui vellet a priori probare nulla esse mysteria, deberet dicere se ens infinitum tam

perfecte cognoscere, ut intelligat, in eo nihil esse quod naturalem rationem absolute et simpliciter superet. Atqui id non nisi absurde quis diceret. Ergo nequit probari a priori non existere mysteria.

87. Licet autem existentia mysteriorum stricte dictorum a priori demonstrari nequeat, est tamen ex ipsis rationis principiis evidens, *quemvis intellectum creatum nominatim humanum naturaliter cognoscentem necessario multa latere,* eumque plurium rationem intrinsecam assequi haud valere; adeoque evidens est existere mysteria universim sumpta, saltem latiori sensu accepta, qualia sunt, uti per se patet, omnia quæ a libera Dei voluntate pendent. Hoc autem amplissime sufficit tum ad evertendam confictam a rationalistis rationis humanæ sufficientiam ac autonomiam, tum ad suadendam revelationis convenientiam et necessitatem. Quod ut magis clareat, pro rei momento unam vel alteram subjiciemus rationem, ex qua patebit, hoc ultimo saltem sensu esse mysteria.

88. 1. *Perfectio cognitionis, objective seu ex parte cogniti spectatæ, respondet medio objectivo cognitionis.* (1) Medium autem cognitionis nostræ naturalis est semper medium creatum, creatura. Atqui creaturæ etiam perfectissimæ non sunt media proportionata Deo, causæ primæ, quia ut effectus ejus non univoci sed analogici Dei perfectiones tantum imperfecte et a longe adumbrant. Quare, etiamsi daretur intellectus qui intelligeret et plene comprehenderet naturas omnium rerum creatarum, non posset per hujusmodi media perfecte cognoscere causam primam, scil. Deum in sua essentia. Est ergo essentia Dei uti in se est veritas excedens vires naturales cujusvis intellectus creati et creabilis, est ipsa primum ac fundamentale mysterium. Cum proinde essentia divina cuivis intellectui creato naturaliter cognoscenti incomperta sit, liquet esse intelligibilia divina, quæ lateant quemvis intellectum creatum ejusque aciem omnino superent.

89. 2. *Confirmatur.* Quia cognitio est actio immanens, id est qualitas et perfectio cognoscentis, *cognitio contingit secundum quod cognitum est in cognoscente.* Objectum autem est naturaliter in cognoscente secundum modum naturæ ipsius

(1) Cf. *S. Thomas,* 3. q. 10. a 4 ad 1.

cognoscentis. Ergo naturalis cognitio cujuslibet cognoscentis est secundum modum naturæ ipsius cognoscentis. Si igitur modus essendi alicujus rei cognoscendæ excedit modum naturæ cognoscentis, necesse est ut cognitio essentiæ illius rei sit supra naturam illius cognoscentis. Atqui modus essendi Dei infinite excedit modum essendi cujuslibet intellectus creati. Ergo essentia divina superat captum omnis intellectus creati naturaliter cognoscentis. (1)

Existunt proinde intelligibilia divina, quæ naturales vires cujusvis intellectus creati et creabilis superant.

90. 3. Suaderi potest *argumento velut a fortiori.* In ipsa rerum natura creata, visibili, finita, quamque manibus palpamus, plurima nos latent, plurima sunt, de quorum existentia dubitare non possumus, quorum tamen intimam naturam haud assequimur. Si autem in ipsa natura quæ sub sensibus cadit sunt plurima arcana, quæ acie mentis penetrare non possumus; a fortiori mysteria inveniemus in Deo, quem non intuemur et de cujus perfectionibus non habemus nisi conceptus analogicos ex creaturis desumptos. (2)

91. *Prob. min. quoad 2^{dam} partem: probari nequit mysteria revelari non posse.* Cum, uti probavimus, revelatio universim spectata possibilis sit, fieri etiam potest, ut veritates superrationales homini a Deo revelentur atque credendæ proponantur. Nec obstat quod adversus revelationem mysteriorum afferunt rationalistæ dicentes: mysteria, fatentibus christianis, comprehendi nequeunt et supra rationem sunt, quare, etiamsi mysteria revelentur, a ratione nihil intelligitur, adeoque ejusmodi revelatio est omnino inutilis. Nam quo sensu mysteria dicantur incomprehensibilia, jam supra notavimus. Mysteria enim, posita eorum revelatione, intelligimus *quoad existentiam,* et licet intima eorum natura nobis impervia maneat, eorum tamen, data revelatione, aliqualem intelligentiam analogicam acquirimus. „Ratio quidem, inquit *Concilium Vaticanum* (Const. *Dei Filius,* c. 4), fide illustrata, cum sedulo, pie et sobrie quaerit, aliquam, Deo dante, mysteriorum intelligentiam eamque fructuosissimam assequitur, tum ex eorum, quæ naturaliter

(1) Cf. *S. Thomas,* 1 q. 12. a. 4.
(2) Cf. *A. Dupont,* Théodicée th. 59.

cognoscit, analogia, tum ex mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo."

92. **Corollarium.** *Possibilis est revelatio mediata.* Demonstrata possibilitate revelationis immediatæ, probata quoque censeri debet possibilitas revelationis mediatæ; nihil enim impedit, quominus Deus quibusdam hominibus immediate veritates communicet atque his utatur tamquam legatis suis, quibus aliis hominibus veritates revelatas communicet, cum vel ipse homo tam per se quam per alium suos conceptus aliis hominibus patefacere possit.

Neque Deo desunt media, quibus tum veritatem istius revelationis hominibus certam reddere, tum veritatis revelatæ corruptionem impedire possit. (1)

93. **Scholion I.** *Rejicitur rationalistarum principium de rationis independentia et autonomia.* Ut demonstrata possibilitas revelationis nominatim mysteriorum firmior sit ac magis clareat, juverit quædam expendere atque explodere, quibus adversarii illam evertere student.

Rationis independentia et autonomia, in quantum respicit revelationem et fidem, non eadem ratione ab omnibus propugnatur. Rationalistæ statuunt *absolutam humanæ rationis independentiam.* Dicunt scil. rationem humanam esse unicum fontem cujuscumque cognitionis ad religionem pertinentis; adeoque eam esse absolute autonomam (sui juris), seu independentem vel ab ipso Deo, Summa Veritate, proindeque jugi, ut dicunt, revelationis impatientem. Sunt alii, qui admittunt quidem revelationem divinam, adeoque aliquam humanæ rationis dependentiam a Deo; sed *rationi tribuunt jus judicandi, utrum revelata ita cum rationis principiis congruant, ut credi possint:* revelationem igitur rationi subjiciunt, et generatim mysteria e medio tollunt. Hinc sequitur, nihil esse credendum, utut de eo ex auctoritate constet, nisi prius ratio demonstraverit ex intrinsecis principiis id esse verum, qui error hodie sat communis est. Error de humanæ rationis independentia vocari etiam solet *libertas conscientiæ.*

94. Non quidem infitiamur eam humanæ rationis autono-

(1) De revelationis possibilitate Cf. *S. Thomas,* C. G. l. 1. c. 3 sqq.; *Perrone,* Prael. theol. de vera relig. P. 1. c. 1; *Mazzella,* art. 5; *Pesch,* Praelect. dogm. t. 1. n. 155 sqq.; *Tanquerey,* n. 39 sqq. *Ottiger,* § 12.

miam et independentiam, quæ illam tantum dicit prærogativam, qua independens est a quavis externa vi et coactione, soloque motivo sufficienti ad assensum moveri potest, nam hæc nullatenus adversatur revelationi mysteriorum; neque enim fides in hanc exigitur absque sufficienti motivo, et hic ipse tractatus de vera religione ostendit, quam rationabile sit obsequium fidei christianæ. Supra descriptam autem rationis autonomiam et independentiam, quam divinæ revelationis adversarii tam alte proclamant, ut falsissimam plane rejicimus.

95. Etenim 1. *quod spectat ad absolutam humanæ rationis autonomiam et independentiam,* eam non nisi humanæ superbiæ commentum esse in propatulo est. Nam *a)* homo, cum a Deo creatus sit, a Deo absoluto Domino totus cum omnibus suis facultatibus essentialiter dependet; tenetur ergo Deo revelanti et hoc ipso ei aliquid credendum præcipienti credere. *b)* Ratio humana, utpote creata et participatio quædam increatæ veritatis, natura sua subordinata ac subjecta est suo archetypo atque ideo pro norma omnis suæ cognitionis necessario habere debet ipsam veritatem increatam. Quare ubi hæc veritas increata sese revelat homini, strictissima urget obligatio, ut ratio illi assentiatur sub imperio voluntatis. Hac ratione radicitus evellitur rationalismus sub quacumque forma absolutam humanæ rationis independentiam proclamans. Utramque rationem urget *Conc. Vaticanum* (Const. *Dei Filius* c. 3.) docens: „Cum homo a Deo tamquam Creatore et Domino suo totus dependeat et ratio creata increatæ veritati penitus subjecta sit, plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium fide præstare tenemur" et in subjecto canone 1: „Si quis dixerit rationem humanam ita independentem esse, ut fides ei a Deo imperari non possit; a. s."

96. Quod dicitur, humanam rationem esse *fontem ac normam* omnis veritatis, ex modo dictis jam sufficienter refellitur. Tantum autem abest, ut ratio humana sit fons et norma omnis veri, ut contra hujus sit tantum speculum sat languidum, et ut ipsa mensuretur ab objectiva veritate atque ultimatim a ratione increata Dei, quæ sola est fons ac norma omnis veri.

97. Quod 2. nominatim attinet ad alteram *mitiorem independentiæ rationis formam, a)* hanc etiam omnino confictam

esse, pariter sequitur ex dictis; nititur enim eodem falso principio de independentia rationis, quæ sit fons ac norma omnis veritatis ad religionem pertinentis. *b)* Præterea istud commentum adversatur ipsi indoli rationis humanæ, cui congruit, ut assentiatur veritati sufficienter propositæ, sive hæc propositio fiat per principium intrinsecum, sive per principium extrinsecum auctoritatis. *c)* Demum, ut cetera prætermittamus, doctrina statuens nihil esse credendum, nisi proprie demonstretur, vel ideo apparet falsa et absurda, quia omnem humanam destruit societatem; si enim nulli auctoritati est credendum destruitur omnis amicitia, omnis societas domestica; nulla consistunt inter homines vincula, præcluditur via ad quamcumque addiscendam disciplinam. Hæc enim absque fide consistere nequeunt.

98. *Solvitur objectio.* Commemoranda hic venit trita rationalistarum objectio: mysteria, aiunt, quia sunt supra rationem, contra rationem sunt. Hoc assertum ita probare nituntur. Quæ sunt supra rationem non sunt rationi conformia; atqui quæ non sunt rationi conformia rationi adversantur, sunt contra rationem; ergo quæ sunt supra rationem sunt contra rationem.

Resp. Hæc objectio est putidum sophisma, nitens misera æquivocatione. Ad eam itaque breviter respondemus *negando assertum.* Ad probationem *dist. maj.* Quæ sunt supra rationem non sunt rationi conformia, id est non eruuntur ex principiis naturali lumine cognitis, *conc.;* id est ostenduntur contraria principiis naturali rationis lumine cognitis, *neg. Contradist. min.* Quæ non sunt rationi conformia ita ut ostendantur contraria principiis naturali lumine cognitis sunt contra rationem, *conc.;* ita solum ut erui non possint ex principiis naturaliter cognitis sunt contra rationem *neg.* Proinde *neg. conseq.* Mysteria christiana, licet ex naturalibus rationis principiis erui non possint atque ideo sint supra rationem, nullatenus tamen principiis rationis adversantur, quæ oppositio nullo modo ostendi potest, imo hanc oppositionem haud adesse ipsa ratio indirecte probare potest. (1)

(1) Cf. *Leibnitz* (Discours de la conformité de la foi avec la raison), qui contra Bayle distinctionem eorum quae sunt supra et contra rationem optime defendit.

99. **Scholion II.** *Revelatio homini maxime utilis et conveniens.* Tam manifesta est hæc utilitas ac convenientia ex ipsa revelationis notione, ut eam operose probare haud sit necesse. Quare pauca tantum indicasse sufficiet. Utilissimum sane et maxime conveniens est homini, ut certo dirigatur in rebus religiosis, ut claram ac facilem adipiscatur cognitionem veritatum rationis, ut ignotarum veritatum patefactione excolatur ac perficiatur; hoc autem fit per divinam revelationem, quæ intellectum excolit ac voluntatem perficit, quæ erudit ad vitam religiosam et moralem et quidem via facillima, omnibus accommodatissima, tutissima, via scil. auctoritatis divinæ. Quanta quoque bona revelatio homini conferat in ordine ad scientias, artes, vitam publicam et socialem, ex ipsa revelationis natura manifestum est, idque tot sæculorum historia luculenter testatur. (1)

Utilis nominatim est revelatio *mysteriorum* quia *a*) per eam cognitio nostra augetur ac perficitur; sublimior nobis de Deo suggeritur idea; solvuntur plurima dubia et problemata maximi momenti. *b*) Practice utilis est, quia fovet humilitatem clare ostendendo nostram rationem esse limitatam; fovet hominis cum Deo familiaritatem, siquidem amicis manifestantur secreta; excitat majorem pietatem et amorem Dei; auget meritum fidei, propter credendorum obscuritatem. (2)

CAPUT II.

DE DIVINÆ REVELATIONIS NECESSITATE.

100. Rationalistæ, omnimodam humanæ rationis sufficientiam in negotio religionis proclamantes, revelationem prorsus inutilem ac superfluam ideoque propter hanc etiam rationem rejiciendam esse dicunt. Ut hic itaque error evertatur et ut vera doctrina de revelationis necessitate exponatur, primo articulo hujus capitis quæstionem de revelationis necessitate paucis exponemus atque solvemus. Quia autem rationalistæ tantopere extollunt jugem rationis progressum, cui, exclusa

(1) Cf. *Ottiger*, § 13.
(2) Cf. *Dupont*, l. c. th. 60.

revelatione, omnem religiosæ veritatis cognitionem attribuunt, ideo altero articulo de isto jugi rationis progressu breviter agemus.

Art. I. **Utrum divina revelatio sit necessaria.**

101. I. **Notiones præviæ.** 1. *Necessitas physica* seu *absoluta* et *necessitas moralis.* Necessitas alicujus auxilii ad actum ponendum supponit in subjecto impotentiam; unde pro diversa ratione impotentiæ diversa etiam est necessitas. Duplex autem in præsenti re est impotentia, *physica* scil. aut *moralis.*

a) Impotentia physica consistit in physica seu entitativa improportione et ineptitudine facultatis ad aliquem actum. Hæc oriri potest vel 1) ex defectu facultatis seu virium actui proportionatarum, seu ex eo quod facultas ad talem actum non est ordinata et facta; e. g. in bruto ex defectu facultatis est impotentia physica ad cognitionem intellectualem, ad quam sensus non est factus; vel 2) ex defectu conditionis aut medii physice seu ex legibus naturæ requisiti, ut facultas possit ponere actum; e. g. ex defectu lucis oculus est physice impotens ad videndum. Hæc impotentia, uti patet, est *absoluta,* cum nullatenus poni possit actus a tali subjecto sibi relicto. Huic proinde impotentiæ respondet *necessitas physica* seu *absoluta.*

b) Impotentia moralis e contra oritur ex difficultatibus, quibus facultas, licet physice capax alicujus actus, impeditur quominus actum ponat. Impotentia itaque moralis 1) nullam involvit improportionem physicam, quinimo potentiam physicam in subjecto supponit; 2) unice fundatur in difficultatibus. Quare hæc impotentia non est absoluta sed relativa et varios admittit gradus pro numero ac intensitate difficultatum, quæ difficultates oriri possunt vel ex parte subjecti, vel ex parte objecti, vel ex utraque parte. Huic impotentiæ respondet *necessitas moralis,* quæ, sicut ipsa impotentia moralis, gradus habet atque major aut minor esse potest. (1)

102. 2. *Veritatum revelatarum discrimen.* Veritates a Deo revelatæ sunt in triplici differentia.

a) Veritates *superrationales,* seu mysteria proprie dicta, quarum existentiam non nisi divina revelatione cognoscere, et

(1) Cf. *Jungmann,* n. 90 sqq.

quidditatem seu intrinsecam rationem, data etiam earum revelatione, haud intelligere valemus.

b) Veritates *præterrationales,* quarum existentia a libera Dei voluntate pendens sola quidem revelatione nobis innotescere potest, quas tamen, posita earum revelatione, intelligere possumus.

c) Veritates *rationales,* quas humana ratio, absolute loquendo, etiam per se solam cognoscere potest, licet earum essentiam seu quidditatem aliquando ideis solum analogicis apprehendat.

103. II. **Exponitur vera doctrina.** Quæritur itaque: *an et quatenus humano generi ad cognoscendas veritates religiosas necessaria sit vel fuerit divina revelatio?*

Resp. 1. Supposito præsenti ordine elevationis hominis ad finem supernaturalem absolute seu *physice necessaria est revelatio* et quidem propter duplicem rationem.

a) Ut cognoscat veritates super- et præterrationales ad hunc supernaturalem ordinem pertinentes, ut cognoscat ea sine quorum cognitione in suum supernaturalem finem tendere nequit. Debet enim homo cognoscere ipsam suam elevationem ad finem supernaturalem et media, quibus in illum tendere potest et debet; atqui hæc utpote supernaturalia et a libera Dei voluntate pendentia homo ex creaturis nullatenus cognoscere valet; ergo ipsi absolute necessaria est illorum revelatio.

b) Ut *modus cognitionis* in via, seu hominis tendentis ad finem, in præsenti ordine respondeat ipsi fini supernaturali, qui consistit in visione Dei intuitiva. Hic enim modus cognitionis in præsenti ordine elevationis est cognitio supernaturalis per *fidem divinam;* atqui fides divina, utpote assensus in veritatem propter auctoritatem Dei revelantis, sine divina revelatione existere nequit. Ergo, ut modus cognitionis respondeat tamquam medium proportionatum fini supernaturali, absolute et physice necessaria est revelatio. Hæc necessitas revelationis, quæ oritur ex modo cognoscendi supernaturali per fidem, non solum valet pro veritatibus super- et præterrationalibus, sed etiam pro veritatibus rationalibus ordinis religiosi et moralis; ideoque in præsenti ordine harum etiam veritatum, ut cognoscantur modo proportionato fini supernaturali, revelatio est absolute necessaria. Cum religio christiana tota supernaturalis sit, liquet eam revelationem necessario supponere. Quare ad demonstrationem christianam conficiendam

non est necesse, de revelationis necessitate ulterius inquirere, sed, demonstrata possibilitate revelationis atque ordinis supernaturalis, sufficeret probare religionem christianam reapse divinam esse. Nihilominus ut funditus subruatur rationalismus et ut vera doctrina integre exponatur, consideranda quoque venit revelationis necessitas ad cognoscendam legem et religionem naturalem. Itaque

104. *Resp. 2. In præsenti generis humani conditione, ipsi* etiam *moraliter necessaria est revelatio ad cognitionem* (simpliciter et quoad substantiam) *veritatum rationalium ordinis religiosi et moralis,* quæ brevitatis causa veritates religionis naturalis vocantur. Hæc doctrina *certa* tuenda est ab una parte contra Rationalistas, qui omnimodam rationis sufficientiam proclamantes omnem revelationis necessitatem infitiantur, et ab altera parte contra Traditionalistas, qui revelationem saltem primitivam etiam harum veritatum rationalium absolute necessariam esse dicunt. Ut autem hæc doctrina rite intelligatur, et ut difficultates præcaveantur, accurate est declaranda.

105. *a*) Non loquimur de omnibus veritatibus rationalibus, *sed tantum de veritatibus theoreticis et practicis ordinis religiosi et moralis,* quæ substantiam religionis naturalis constituunt.

b) Non loquimur de modo supernaturali cognoscendi prædictas veritates, cum ad talem cognitionem, ut supra diximus, earum revelatio sit absolute necessaria; sed loquimur de earum *cognitione simpliciter et quoad substantiam.* Hanc autem ipsam cognitionem non intelligimus qualemcumque sed *sufficientem,* qualis in hypothesi quod homo esset relictus in puris naturalibus ipsi foret necessaria ad vitam religiosam et moralem constanter agendam finemque naturalem assequendum. Nomine itaque sufficientis cognitionis illarum veritatum intelligitur cognitio quæ habeatur *debito tempore, sufficienti amplitudine, sufficienti claritate* et *plena certitudine, sine admixtione errorum.*

c) Dicimus revelationem esse necessariam *humano generi* i. e. hominibus in communi spectatis. Non igitur loquimur de singulis hominibus, quorum forsan aliqui absque adjutorio revelationis possent ad prædictam cognitionem pervenire; sed dicimus, maximam partem hominum adeoque genus humanum in communi spectatum ad illam cognitionem sine revelatione moraliter pervenire non posse.

d) Affirmamus necessitatem revelationis solum *pro præsenti conditione* generis humani, in qua scil. de facto non per aliud auxilium præter revelationem hominum indigentiæ a Deo provisum est. Non igitur dicimus, revelationem esse necessariam generatim et in quocumque ordine providentiæ, nam generatim loquendo ad sufficientem cognitionem veritatum religionis naturalis humano generi moraliter necessarium est *aliquod* speciale auxilium, Deo autem præsto erant plura auxilia, quibus hominum indigentiæ succurrere potuisset; ubi tamen Deus unum determinatum præ aliis elegerit, necessitas ad hoc unum restringitur, illudque humano generi necessariam dicendum est.

e) Adstruimus demum necessitatem non physicam sed *moralem* tantum. Admittimus itaque ab una parte in genere humano potentiam physicam ad prædictam cognitionem assequendam, et merito quidem, ideo enim dicuntur veritates rationales, quia propriis humanæ rationis viribus cognosci possunt. Ab altera vero parte contendimus, pro maxima hominum parte adeoque pro genere humano ad assequendam istam cognitionem tot ac tantas existere difficultates, ut pro modo quo homines in hujusmodi difficultatibus agere solent, maxima hominum pars absque revelatione ad illam cognitionem numquam perventura esset. Ex difficultatibus ita comparatis exsurgit impotentia moralis, cui respondet necessitas moralis alicujus auxilii, quod in præsenti ordine est revelatio.

106. Totam a nobis expositam doctrinam de utraque necessitate revelationis his verbis complectitur *Concilium Vaticanum* (Const. *Dei Filius* c. 2): „Huic divinæ revelationi tribuendum quidem est, ut ea quæ in rebus divinis humanæ rationi per se impervia non sunt, in præsenti quoque generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint. Non hac tamen de causa revelatio absolute necessaria dicenda est, sed quia Deus ex infinita bonitate sua ordinavit hominem ad finem supernaturalem, ad participanda scil. bona divina, quæ humanæ mentis intelligentiam omnino superant."

Restat modo, ut assertam ac declaratam moralem revelationis necessitatem demonstremus. Sit igitur

107. III. **Thesis.** Ad sufficientem cognitionem veritatum religionis naturalis generi humano in præsenti ordine divina revelatio est moraliter necessaria.

Thesim probamus duplici argumento, uno a priori ex conditione scil. hominum, altero ex facto historico.

Prob. 1. ex conditione hominum. (1) Hoc argumentum his verbis breviter proponit *S. Thomas* (1. q. 1. a. 1.): „Ad ea etiam, quæ ratione humana investigari possunt, necessarium fuit hominem instrui revelatione divina, quia veritas de Deo per rationem investigata *a paucis hominibus et per longum tempus et cum admixtione multorum errorum* proveniret, a cujus tamen veritatis cognitione dependet tota hominis salus quæ in Deo est. Ut igitur salus hominibus et convenientius et certius proveniat, necessarium fuit quod de divinis per divinam revelationem instruerentur."

108. Hoc argumentum uberius evolvens præclare exponit *idem S. Doctor* (C. G. l. 1. c. 4), cujus expositionis summa huc redit. „Si veritates rationales de Deo soli rationi inquirendæ relinquerentur, sequerentur tria inconvenientia:

„*Primum* inconveniens est, quod *paucis* hominibus Dei cognitio inesset. Plurimi enim a studiosa veritatis inquisitione retrahuntur tribus de causis: *a*) quidam propter *complexionis indispositionem,* ex qua multi sunt naturaliter indispositi ad sciendum. *b*) Quidam propter *rei familiaris necessitatem* ac curam temporalem. *c*) Quidam *pigritia,* ex qua multi laborem acquirendæ veritatis effugiunt.

„*Secundum* inconveniens est, quod etiam illi pauci *vix post longum tempus* ad prædictam cognitionem pervenirent, tum *a*) propter hujusmodi veritatum *profunditatem;* tum *b)* propter multa quæ *præcognoscenda* exiguntur; tum *c)* propter passionum motus quibus *tempore juventutis* anima fluctuat, quo fit ut eo tempore non sit apta ad tam altæ veritatis cognitionem.

„*Tertium* demum inconveniens est, quod investigationi rationis humanæ plerumque *falsitas admiscetur* propter debilitatem intellectus nostri in judicando et phantasmatum commixtionem. Et ideo apud multos remanerent dubia etiam illa, quæ verissime demonstrata sunt, quia vim demonstrationis

(1) Cf. *Monsabré,* Introd. au Dogme cathol. 6ième Confér. vol. 1. p. 169 sqq.

ignorant et præsertim quia vident a diversis diversa doceri. Et ideo oportuit per viam fidei, fixa certitudine, ipsam veritatem de rebus divinis hominibus exhiberi. Salubriter ergo, concludit Angelicus, divina providit clementia, ut ea etiam, quæ ratio investigare potest, fide tenenda præciperet; ut sic *omnes de facili* possent divinæ cognitionis participes esse, et *absque dubitatione et errore.*"

109. *Prob. 2 ex facto historico.* Genus humanum, historia teste, quamdiu revelationis lumine destitutum fuit numquam veram religionis ac legis naturalis cognitionem habuit, sed econtra in absurdos errores et fœdissima vitia prolapsum est. Certum enim et indubitatum est, ante Christum natum inter gentiles gravissimos errores circa Dei unius existentiam et naturam, cultum divinum, relationem hominis ad Deum, hominis originem atque ultimum finem grassatos esse. Etiam post exortum lumen religionis christianæ populi, ad quos revelatio christiana nondum pervenit, vel qui eam non receperunt aut deseruerunt, iisdem ignorantiæ religiosæ et erroris tenebris involvuntur. (1) Est itaque factum universale et constans, homines generatim lumine revelationis destitutos non habuisse nec habere umquam veram ac sufficientem cognitionem religionis naturalis. Atqui hujusmodi factum, cum supponat aliquam causam inhærentem, constantem et universalem, nobis manifestat modum agendi generalem hominum in difficultatibus, quæ comitantur inquisitionem veritatum religionis naturalis, quo fit ut homines generatim, licet physice possint, numquam tamen sine speciali auxilio ad sufficientem illarum veritatum cognitionem perventuri sint. Ergo tale factum nobis manifestat generis humani moralem impotentiam perveniendi ad sufficientem prædictarum veritatum cognitionem absque revelatione. (2)

110. IV. **Solvuntur objectiones.** *Obj. 1.* Argumenta, quæ pro morali revelationis necessitate afferuntur, probant tantum maximam hominum partem non posse per se cognoscere

(1) Cf. *Leland,* la révélation prouvée par le paganisme (Migne, Démonstr. évang. t. 8; *S. Augustinus,* de civ. Dei, l. 6. c. 9; *Arnobius,* adv. Gentes, l. 4. c. 18 sqq.

(2) De necessitate revel. cf. *Franzelin,* de Trad. et Script. de habit. rationis ad fidem, c. 3. III; *Mazzella,* art. 6; *Tanquerey,* n. 49 sqq.; *Jansen,* § 19 sq.; *Jungmann,* n. 87 sqq.; *Ottiger,* § 14.

veritates religionis naturalis, sed has discere debere via auctoritatis. Atqui rudes potuerunt ac possunt eas discere a sapientibus seu philosophis adeoque per institutionem humanam. Ergo non probatur necessitas institutionis divinæ seu revelationis.

Resp. Negamus minorem ideoque *et consequens,* nam institutio humana non sufficit, ut homines *certo* et *tuto omnes* illas veritates discant. Et revera *a*) ut philosophi possent humanum genus religionem docere, deberent ipsi imprimis quæ ad religionem naturalem pertinent cum certitudine cognoscere. Atqui ipsi præstantiores inter philosophos revelatione destitutos, aut illam respuentes, teste historia, vel dubii hæserunt vel dissenserunt de præcipuis religionis veritatibus et in turpissimos errores prolapsi sunt. Sed *b*) dato etiam philosophos potuisse integram veritatem religiosam sibi comparare, eosque inter se consensisse, nec tamen fuissent idonei ad alios instituendos. Neque enim alios edocere potuissent per scientificam institutionem et philosophicam investigationem, cum hujus pauci tantum sint capaces, uti audivimus ex S. Thoma; neque hoc præstare potuissent via auctoritatis, quæ non nisi humana erat, carens omni authentica missione, cui insuper omnem prorsus vim adimebat eorum vita a doctrina plane dissona. Imo *c*) demus etiam, philosophis non defuisse medium docendi humanum genus, nec inde tamen conficitur, absque revelatione potuisse homines veritates religiosas addiscere. Ad id enim requirerentur plurimi philosophi, et hi deberent esse humani generis amantes ac religiosæ veritatis propagandæ studiosi, parati ad ferendum molestias atque labores necessarios ad humanum genus rite instituendum etc., quæ sane a philosophis revelatione destitutis haud exspectari possunt. (1)

111. *Obj. 2.* Asserta necessitas revelationis nullatenus cohæret cum ordine divinæ justitiæ ac providentiæ. Quomodo enim, si revelatio necessaria est, Deus homines per tot sæcula ea destitutos reliquit?

Resp. Hæc objectio videtur supponere, juxta doctrinam catholicam revelationem tantum datam esse tempore Christi. Doctrina autem catholica juxta Scripturas aliaque monumenta docet, Deum initio rerum se hominibus in protoparentibus

(1) Cf. *Hurter,* Theol. dogm. compend. ed. 9. t. 1. n. 16 sqq.

manifestasse, et ita revera religiosas veritates iisdem revelatas fuisse. Benigne etiam providit Deus, ut hæc primitiva revelatio, renovata in Patriarchis nominatim in altero humani generis parente Noë, conservaretur atque per successivas generationes transmitteretur. Quod autem homines culpa sua hanc revelationem, quæ hæreditatis instar ex parentibus in filios fuisset derivanda, amiserint aut corruperint, id ipsis et non divinæ providentiæ vitio verti debet. Ceterum Deum nemini suo auxilio deesse ostenditur in tractatu de gratia.

112. *Obj. 3.* Si homo non posset absque revelatione cognoscere veritates legis et religionis naturalis, debita homini esset revelatio. Atqui quod debitum est humanæ naturæ, non est supernaturale. Ergo.

Resp. Dist. maj. Si homo non posset potentia physica, *conc.;* si non posset potentia morali, *subdist.,* si aliud esset medium naturæ proportionatum, *neg.;* si deesset tale medium, *trans.* Ut hoc responsum intelligatur, breviter animadvertimus: *a)* Revelatio non est unicum medium, quo Deus *possit* subvenire morali impotentiæ cognoscendi prædictas viritates; sed Deo præsto sunt alia media, tum interna tum externa, uæ in ipso ordine naturalis providentiæ continentur. *b)* Quare moralis necessitas revelationis, uti supra diximus, non est absoluta, sed tantum hypothetica in præsenti scil. providentiæ ordine, in quo Deus non aliis præsidiis, sed revelatione uti voluit. *c)* Nihilominus hæc revelatio etiam nunc est donum indebitum ac supernaturale, et quidem non solum quia ea nunc dirigitur ad ordinem et finem supernaturalem, sed etiam quia in se inspecta est modus cognoscendi veritates superans exigentiam naturæ adeoque ei indebitus. *d)* Si vero quæritur, utrum in alio providentiæ ordine, e. g. in statu naturæ puræ, Deus aliis mediis subvenisset morali hominum impotentiæ; imprimis respondendum est, quod omnes fatentur, id valde *conveniens* fuisse providentiæ Dei boni et sapientis. Et licet non omnibus certo constet Deum hoc *debuisse,* communior tamen sententia tenet, in statu naturæ puræ, si exstitisset, non defuisse alia media naturalia, quibus moraliter possibilis facta fuisset hominibus cognitio veritatum religionis naturalis. (1)

(1) Cf. *Jungmann,* l. c. n. 109 sq.

Art. II. **De progressu humanitario.**

113. I. **Exponitur error.** Ut revelationis necessitas magis confirmetur, breviter refutare debemus impiam illam rationalistarum theoriam, qua, exclusa revelatione, omnem religiosæ veritatis cognitionem jugi rationis progressui attribuunt.

Duplex autem hic distinguendus est error. Alii nomine saltem revelationem admittunt, sed eam ita rationi subjiciunt, ut illi accommodari debeat. Ratio humana, aiunt, quæ legi continui progressus subest, juxta varias ætates revelatas veritates diversimode intelligit et explicat; quapropter, progrediente scientia, a sensu illarum veritatum olim recepto recedendum est. De hoc errore, proscripto in Syllabo et in Concilio Vaticano, hic non directe agimus, de eo enim agetur in tractatu de divina Traditione. Alii ideo humanæ rationis progressum inducunt, ut excludant necessitatem revelationis. Si qua enim, dicunt, præstantia inest religioni christianæ præ religionibus præcedentibus, ea non revelationi, sed rationis progressui est tribuenda; aut si qua fuit vel adhuc est ignorantia quoad religionem, ea non necessario per revelationem, sed per jugem humanæ rationis progressum dispelli debet. Propter hunc enim rationis progressum religio sæculorum cursu necessario mutatur jugiterque formas perfectiores suscipit, donec tandem per philosophiam ad summam perfectionem provehatur. Hunc errorem, qui inde a sæculo præterito apud rationalistas invaluit, hic refutandum suscipimus.

114. Itaque juxta hanc progressus theoriam, quæ præcipue ad religionem applicatur, omnes religiones, quæ variis mundi ætatibus, vel successive vel eodem tempore viguerunt, vel hodie vigent, totidem sunt religionis naturalis formæ. Initio generis humani religionis formæ rudiores fuerunt, deinde successerunt continuo progressu formæ perfectiores, ope præsertim virorum magna sapientia insignium, qui populos suis doctrinis erudiverunt. Etiam eodem tempore, sicut nostris diebus, apud varias gentes, pro diverso culturæ statu variæ formæ obtinent. Quælibet autem religio, pro diversa ætate qua viget, ac pro diverso culturæ et civilisationis statu, bona et *relative* vera, quilibet cultus legitimus et laudabilis est.

115. Impii hujus systematis fundamentum et radix est theoria *de veritate relativa ac mutabili,* quam Eclectici Galliæ

et Pantheistæ etiam diserte asserunt, et multi alii rationalistæ saltem implicite tenent. Veritas juxta istos pseudophilosophos ab hominibus non absolute et uti in se est attingitur, sed tantum relative et quodam veluti gradu. Veritas in se quidem quid unum et determinatum est, sed nos non nisi particulam ejus assequimur, quæ absolutæ veritati plus minusve respondet pro generali conditione progressus cujuslibet ætatis. Hinc quæ vera, honesta, sancta sunt uno tempore, alia ætate falsa, illicita, impia merito habentur, quod cum verum sit de veritate universim, de veritate etiam religiosa est asserendum.

116. Priusquam impiam hanc theoriam refellamus, ad rite definiendum statum quæstionis juverit animadvertere, nos non excludere omnem rationis progressum, sed econtra in cognitionibus nostris multiplicem progressum admittere, præscindendo etiam a revelatione. Huncque rationis progressum admittimus tum in hominibus individuis tum in societatibus, non solum negativum, quo errores antea admissi repudiantur; sed etiam positivum, quo novæ veritates deteguntur et jam notæ profundius ac melius intelliguntur. Sed negamus, ejusmodi humanæ rationis progressum necessario *continuum* esse, multoque magis negamus, hunc progressum eodem modo in religione ac in aliis rebus accidere, quod utrumque asserunt rationalistæ. Deinde theoriam de veritate relativa ac mutabili ut impiam et absurdam prorsus rejicimus.

117. II. **Refellitur error.**

Thesis I. Falsa et conficta est rationalistarum theoria 1. de continuo progressu humanitario, 2. de jugi progressu in religione primitiva, cujus omnes religiones non sint nisi diversæ formæ successive perfectiores.

Prob. 1ma pars. 1. Quoad *scientias* et *artes.* Historia indubie testatur, genus humanum quibusdam sæculis in variis scientiis et artibus non solum non profecisse, thesaurumque cognitionum ipsi ab antecessoribus traditum non auxisse, sed multa perdidisse, ideoque potius regressum esse.

2. Quoad *religionem. a*) Monumenta authentica et historice certissima, scil. libri Moysis, testantur, in primordiis humani generis religionem veram et perfectam, monotheismum, exstitisse; non nisi posterioribus temporibus populos ad polytheismum

deflexisse, et cultui veri Dei multorum deorum falsum ac impium cultum substituisse. Notum est, eo ipso tempore, quo gentiles polytheismum sequebantur, Judæos monotheismum professos esse; sicut monotheismum nunc profitentur non solum populi christiani, sed et multi alii. Sive igitur transitus de monotheismo ad polytheismum dicatur progressus, sive dicatur regressus, sequitur theoriam de religione jugiter progrediente historiæ contradicere.

b) Nostris etiam temporibus conspicimus tam hominum quam nationum discessum a vera religione atque regressum ad antiquos errores materialismi et pantheismi.

118. Facta historica assertæ legi continui progressus tam manifeste opponuntur, ut ipsi ejus propugnatores hoc negare non audeant; sed illud explicare student, dicendo istos regressus esse in cursu humanæ societatis quasdam *anomalias,* quæ nihilominus occulta ratione ad progressum et necessariam humanitatis evolutionem conferant. At quisque videt ejusmodi effugium prorsus arbitrarium et confictum esse. Quomodo enim dici potest, ignorantiam conferre ad augendam scientiam, aut errores per se conferre ad augendam veritatem.

119. 3. Nec difficile est assignare rationem, quæ jugem humani generis progressum impedit. Sicut enim individui homines, variis obstantibus causis, sive voluntariis sive involuntariis, non semper in suis cognitionibus progrediuntur, sed nonnunquam etiam eorum, quæ jam noverunt, obliviscuntur; ita etiam integrarum nationum progressus multis causis impediri potest, et accidere potest, ut status subsequens minus perfectus sit, quam antecedens. Hocque multo adhuc facilius accidere potest in religione, quæ pravis humanæ naturæ passionibus adversatur; imo quandoque ipse materialis progressus, propter nimium ad terrena affectum, progressui religioso obstare potest. Cf. *S. Thomas* (Ethic. I. lect. 11), qui hanc quæstionem de continuo progressu jam præclare illustravit ac solvit. (1)

(1) En verba S. Thomae l. c.: „Ad hominis naturam pertinet ratione uti ad veritatis investigationem. Rationis autem proprium est, non statim apprehendere veritatem. Et ideo ad hominem pertinet, paulatim in cognitione veritatis proficere. Substantiae vero separatae, quae intellectuales dicuntur, statim absque inquisitione notitiam veritatis habent... Eorum, quae bene se habent ad aliquid circumscribendum, videtur tempus esse quasi adinventor, vel bonus cooperator, non quidem, quod tempus per se ad hoc aliquid operetur, sed secundum ea,

120. *Prob. 2da pars.* 1. Si statuitur, omnes religiones, vi legis continui progressus, non esse nisi formas successive perfectiores unius ejusdemque religionis, sequitur omnes pro diversis culturæ stadiis æque veras esse. Atqui absurdum est, religiones, quæ inter se contradictorie vel etiam contrarie opponuntur, simul veras esse; quod vel ipsi antiqui philosophi (e. g. *Cicero,* de natura deorum, l. 1. n. 2) agnoverunt. Ergo.

121. 2. Ista rationalistarum theoria supponit, religionem esse unice opus rationis, et nullam esse revelationem. Atqui hoc suppositum contradicit tum *a*) *historiæ,* quæ indubie testatur, initio genus humanum revelationem a Deo accepisse, sed ab ea paulatim deflexisse; tum *b*) ipsi *rationi,* quæ ostendit possibilitatem revelationis imo et ejus necessitatem etiam quoad ipsam religionem naturalem, quæque proinde respuit quodvis systema a priori excludens omnem revelationem, omnemque in religione progressum solis rationis viribus tribuens.

122. Ceterum 3. error, quem impugnamus, tam logice quam historice tamquam principio nititur absurdo systemate Pantheismi, secundum quod omnes res cunctaque quæ in eis accidunt non sunt nisi necessariæ manifestationes ac evolutiones unius, quæ existit, substantiæ.

123. **Thesis II.** Theoria, statuens omnem veritatem relativam et mutabilem esse, est absurda et omnem humanæ cognitionis certitudinem destruit.

Prob. 1. Est intrincece absurda, uti ex notione veritatis facile patet. Etenim veritas cognitionis seu logica in eo est, ut intellectus adæquet rem intellectam, nempe ut habeat

---

quae in tempore aguntur. Si enim aliquis tempore procedente det operam investigandae veritati, juvatur a tempore ad veritatem inveniendam, et quantum ad unum et eumdem hominem, qui postea videbit, quod prius non viderat, et etiam quantum ad diversos, utpote cum aliquis intuetur ea, quae sunt a praedecessoribus inventa, et aliquid superaddit. Et per hunc modum facta sunt additamenta in artibus, quarum principio aliquod modicum fuit adinventum, et postmodum per diversos paulatim profecit in magna quantitate, quia ad quemlibet pertinet superaddere id, quod deficit in consideratione praedecessorum. Si autem e contrario exercitium studii praetermittatur, tempus est magis causa oblivionis ... et quantum ad unum hominem, qui si se negligentiae dederit obliviscetur, quod scivit, et quantum ad diversos. Unde videmus multas scientias, quae apud antiquos viguerunt, paulatim cessantibus studiis in oblivionem abiisse."

conceptum objecto conformem. „Veritas cognitionis, ait *S. Thomas* (C. G. l. 1. c. 59), est adæquatio intellectus et rei secundum quod intellectus dicit esse quod est, vel non esse, quod non est." Ergo si dantur res, quæ immutabiliter et necessario sunt id quod sunt, et si proinde dantur ontologicæ veritates immutabiles, sequitur etiam immutabilem esse veritatem logicam seu cognitionis, quæ circa easdem versatur. Nam conceptus, quem intellectus de iisdem habet, vel iis respondet, easque exhibet, sicuti revera sunt, vel non respondet. Si primum, profecto veritas cognitionis est immutabilis, sicut ipsa res; si alterum, nulla adest veritas neque perfecta, neque imperfecta aut vitiata. Pariter enunciabilia (judicia) vel immutabilem veritatem continent vel falsa sunt, prouti res ita se habet ut enuntiatur, vel secus. Neque in indivisibili veritate gradus invenire possumus, ita ut judicium falsum aliquem veritatis gradum habeat. Jam vero rerum essentiæ sunt immutabiles, et consequenter immutabiles quoque sunt relationes quæ ex iis necessario dimanant; nam essentiæ creaturarum sunt quædam determinatæ participationes analogicæ essentiæ divinæ, eæque *veræ* dicuntur quatenus respondent ideis exemplaribus intellectus divini, quas ideas Deus habet contemplando suam essentiam ut imitabilem ad extra. Nequit proinde admitti mutabilitas in rerum essentiis neque ideo in earum ontologica veritate, nisi admittatur mutabilitas in intellectu divino et in ipsa essentia divina, quod aperte repugnat; nequit consequenter admitti mutabilitas in vera cognitione essentiarum et relationum quæ eas necessario consequuntur. Porro ubi quæritur de immutabilitate vel mutabilitate veritatis, respiciuntur rerum essentiæ earumque generales relationes, quæ proprium objectum scientiæ constituunt; non vero respiciuntur res singulares, quæ continuis subsunt mutationibus, quarum proinde etiam veræ cognitiones mutari possunt. Concludimus itaque, theoriam de relativa et mutabili veritate intrinsece absurdam esse, quia ipsam veritatis naturam perimit.

124. 2. *Ista theoria omnem humanæ cognitionis certitudinem destruit*, quia ad absolutum scepticismum ducit. Enimvero si objecta eorumque relationes, uti in se sunt, non attingimus sed omnes nostræ notiones mutabiles sunt, ita ut quæ nunc vera existimamus, decursu temporis merito falsa existimentur;

sequitur prudenter nos agere, si nihil ut certum habeamus, sed de omnibus dubitemus. Hanc logicam illationem tristis confirmat experientia, cum videamus illos, qui rationis jura nimis extollunt, de præcipuis veritatibus ordinis religiosi et moralis imo de primis principiis metaphysicis dubitare et ad generalem scepticismum devenire (*Mazzella,* l. c. art. 7; *Jungmann,* l. c. n. 23 sqq.).

CAPUT III.

DE DIVINÆ REVELATIONIS COGNOSCIBILITATE ET CRITERIIS.

125. Probata possibilitate imo et morali necessitate revelationis, jam inquirendum est, an et quomodo possit cognosci, aliquam religionem esse divinæ originis, seu eam esse divinitus revelatam. Requiri autem, ut, si detur revelatio, factum revelationis hominibus sit certo cognoscibile, utque adeo dentur media, quibus revelatio certo cognosci possit, ambigi nequit. Hæc media dici solent *notæ* revelationis, cum ipsa divinam revelationem manifestent; vocantur etiam *criteria* revelationis, quatenus ex iis dijudicatur et discernitur vera revelatio; vel dicuntur *motiva credibilitatis*, quia eo ipso quod factum revelationis certo probant, ostendunt ipsam revelationem (i. e. veritates revelatas) esse credibilem et credendam.

De revelationis igitur notis seu criteriis agimus hoc capite, quod in tres dividimus articulos: 1. de criteriis revelationis generatim spectatis; 2. de miraculis; 3. de vaticiniis.

Art. I. **De revelationis criteriis generatim spectatis.**

126. I. **Errores.** 1. Plerique rationalistæ nostri temporis, qui revelationis nomen adhuc retinent, censent *unicum criterium dignoscendi alicujus doctrinæ divinam originem esse ejus conformitatem cum ratione.*

Hujusmodi criterium omnino rejiciendum esse 1. jam sequitur ex supra data refutatione independentiæ rationis a rationalistis assertæ; nam ideo hoc unicum statuunt criterium, ut

eo semel admisso, nihil aliud credi possit nisi quod ex intrinsecis rationibus verum esse demonstretur. 2. Istud rationalistarum criterium pugnat cum ipsa revelationis indole ac scopo, nam *a)* conformitas alicujus doctrinæ cum rationis principiis ostendit quidem, eam esse veram, non vero probat eam esse revelatam; revelatio est factum, quod legitimis testimoniis est probandum. *b)* Hoc criterio a revelatione excluduntur omnia mysteria, quorum conformitatem cum suis naturalibus principiis ratio positive demonstrare nequit; excluditur omnis doctrina exhibens religionem supernaturalem, nam hæc rationis captum superat.

127. 2. Plures protestantes, quamlibet probationem divinæ originis alicujus doctrinæ ex ratione petitam rejicientes, quibusvis aliis criteriis exclusis, vel supponunt revelationem se ut divinam ostendere per se ipsam; vel externæ revelationi pro singulis adjungunt internam aliquam revelationem, quæ externæ testimonium perhibeat, eamque per internum quemdam gustum ac suavitatem probet, quod spiritus testimonium vocant. Hisce concinunt sentimentalistæ et pietistæ. Inter ipsos etiam catholicos non desunt, qui demonstrationem christianismi infirmant, autumantes ex motivis credibilitatis non certitudinem, sed tantum probabilitatem haberi posse de facto revelationis.

Hæ opiniones prorsus repudiandæ sunt. Et imprimis illi, qui statuunt nullam revelationis probationem esse quærendam, tum ipsius rationis jura lædunt, tum fidem irrationabilem et cæcam adstruunt. Pariter falsum est, ex motivis credibilitatis non posse haberi nisi probabilitatem, cum hac enim firmus fidei assensus in veritates revelatas consistere nequit. Quod demum dicitur, probationem revelationis petendam esse ex interno quodam lumine ac spiritus testimonio, vel ex interno gustu, arbitrarium prorsus est, quotidianæ experientiæ contradicit, et ad subjectivismum ducit, ut vel ipsa dissensio eorum, qui talibus criteriis fidunt, ostendit.

128. II. **Exponitur vera doctrina.** Criteria revelationis imprimis distingui solent in *negativa* et *positiva*. *Negativa* sunt illa, quæ si adsunt probant tantum propositam doctrinam *posse* esse revelatam; si desunt probant eam *non esse revelatam;* tale criterium est doctrinæ propositæ non repugnantia cum evidentibus rationis veritatibus metaphysicis ac moralibus,

vel cum veritatibus alias revelatis. Etenim si quid in ipsa doctrina proposita vel in modo propositionis evidentibus veritatibus rationis aut anterioris revelationis evidenter adversatur, talis utique doctrina a Deo esse nequit. *Positiva* criteria sunt ea, quæ, si in aliqua doctrina inveniuntur illam *divinitus revelatam esse probant.* Hæc criteria positiva sunt vel *interna* vel *externa.* Criteria positiva *interna* sunt characteres quidam, dotes ac prærogativæ ipsi doctrinæ inhærentes, quæ divinam propositæ doctrinæ originem manifestant: cujusmodi sunt doctrinæ propositæ sublimitas, pulchritudo, harmonia, sanctitas et efficacia. Criteria *externa* sunt ea, quæ ab ipsa doctrina distincta, extrinsecus ei superveniunt tamquam testimonium illius divinam originem probans: cujusmodi potissimum sunt facta quædam sensibilia, uti miracula et vaticinia, quæ doctrinam propositam comitantur, quæque cum sint divinæ originis ipsam etiam doctrinam a Deo esse peremptorie ostendunt. (1)

129. Jam de horum diversorum criteriorum *valore* ac *usu* ad probandum factum revelationis hæc breviter notentur.

1. Quoad criterium *negativum* præcipue consistens in conformitate doctrinæ propositæ cum principiis rationis animadvertendum est, *a)* illud non esse *per se* necessario adhibendum; ut enim doctrinam propositam fide divina rationabiliter credere possimus ac debeamus, sufficit legitimo testimonio probari, eam esse a Deo revelatam. *b)* Illud raro cum fructu et sine periculo adhiberi potest; tum quia ratio humana circa ipsas veritates rationales facile fallitur, tum præsertim quia revelatio continere potest mysteria. *c)* Quare usui esse potest hoc criterium, quando statim apparet *evidens* contradictio cum *evidentibus* rationis principiis metaphysicis aut moralibus; et tunc per se non habet nisi vim *negativam.* Ita hoc criterio antiqui Patres et Apologetæ merito utebantur ad ostendendum, religionem gentilium non esse divinam sed falsam, cum absurdos errores et immania crimina illa sanciret. *(Mazzella* l. c. art. 8.)

130. 2. Quoad criteria *positiva interna,* hæc non possunt haberi ut primaria revelationis criteria. „Nam, ita optime

(1) Cf. *Ottiger,* § 16.

Hurter (Theol. dogm. compend. t. 1. n. 18), quamvis criteria interna multum juvare et prodesse possint iis, qui vel sagacis sunt ingenii, vel qui jam credunt, ut magis magisque confirmentur in fide, ea tamen minus sunt opportuna et apta ad tuto cognoscendam veram revelationem. Sunt enim 1) satis *ambigua* et incerta; nam quis determinabit sublimitatis gradum, qui requiritur, ut aliqua doctrina non sit amplius inventionis humanæ, sed revelationis tantum divinæ? Sunt 2) *subjectiva*, ideoque sat arbitraria; quod enim videtur uni sublime, alteri videbitur vulgare et quotidianum, imo absurdum et contradictorium; ita mysteria, quæ fidelibus videntur sublimia, absurda reputantur ab incredulis. Eadem 3) *paucis* sunt accommodata, cum exculto tantum ingenio plerumque innotescant. Contra criteria externa, cum in oculos incurrant ac manibus veluti palpari possint, omnibus sunt accommodata, magisque certa. . . . . Denique 4) ea ut vim exserant suam, fidem plerumque jam supponunt."

131. *Quare præcipua revelationis criteria sunt criteria externa,* quæ ad *miracula* et *vaticinia* reducuntur. Hæc enim facta sensibilia, utpote divina et omnium captui accommodata, pro quovis intellectu divinam originem doctrinæ, quam comitantur, certissime probant. Hinc merito docet *Conc. Vatic.* (Const. *Dei Filius,* c. 3.) „Ut fidei nostræ obsequium rationi consentaneum esset, voluit Deus cum internis Spiritus S. auxiliis externa jungi revelationis suæ argumenta, facta scil. divina, atque imprimis miracula et prophetias, quæ cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinæ revelationis signa sunt *certissima* et *omnium intelligentiæ accommodata.*" De his itaque criteriis externis, miraculis scil. et vaticiniis, quibus præsertim revelationem christianam probabimus, accuratius jam agere debemus, inquirendo eorum indolem, possibilitatem, cognoscibilitatem atque vim probandi.

ART. II. De Miraculis. (1)

§ 1. MIRACULI NOTIO ET DIVISIO.

132. I. **Notio Miraculi.** 1. Miraculum a *mirando* dictum, vi vocis ex communi hominum sensu, significat id quod *admirationem movet.* Admiratio autem, uti docet *S. Thomas,* ex duobus producitur: ex eo quod *causa* illius effectus, quem miramur, nobis sit *occulta;* et quia in re quam miramur apparet aliquid, per quod videtur *contrarium* debere esse ejus, quod miramur. Utrumque vero dupliciter se habere potest. Imprimis causa effectus mirabilis potest esse occulta vel *quoad nos,* vel *simpliciter* seu *secundum se.* „Quia causa una et eadem, inquit *S. Thomas* (C. G. l. 3. c. 101), a quibusdam interdum est cognita et a quibusdam incognita, inde contingit, quod videntium simul aliquem effectum aliqui mirantur et aliqui non mirantur; astrologus enim non miratur videns eclipsim solis, quia cognoscit causam, ignarus autem hujus scientiæ necesse habet admirari, causam ignorans. Sic igitur est aliquid mirum quoad hunc, non autem quoad illum. Illud ergo simpliciter mirum est, quod habet causam simpliciter occultam; et hoc sonat nomen miraculi, ut scilicet sit de se admiratione plenum, non quoad hunc vel quoad illum tantum. Causa autem simpliciter occulta omni homini est Deus. Ejus (enim) essentiam nullus homo in statu hujus vitæ intellectu capere potest." Sic pariter in re ipsa, in qua aliquid miramur, quandoque est dispositio ad oppositum, non secundum rei naturam, sed tantum secundum opinionem admirantis, ut cum puer primum videt ferrum ad magnetem attolli; quandoque vero hæc dispositio ad oppositum est vere et secundum rei naturam, ut si lapis sursum ascenderet. Miraculum itaque, cum sit aliquid vere et de se mirabile, duo requirit: 1. ut ejus causa sit per se et simpliciter occulta, nempe Deus; 2. ut in re, in qua fit effectus miraculosus, sit naturalis ordo ad contrarium effectum vel ad

(1) Cf. inter alios *S. Thomas,* 1. q. 105. a. 6 sqq.; Quaest. disp. q. 6 de miraculis; C. G. l. 3. c. 101; *Mazzella,* disp. 1. art. 9 sq.; *Van Weddingen,* de miraculo; *Jansen,* Prael. theol. fundam. § 22 sq.; *Ottiger,* § 19 sqq.; *Heinrich,* Dogm. Theol. tom. 1. § 41 sqq.; *Tanquerey,* n. 68 sqq.

contrarium modum faciendi, ideoque ut sit effectus præter ordinem communiter servatum in rebus. Quare miraculum a *S. Thoma* (l. c.) definitur: „effectus, qui divinitus fit præter ordinem communiter servatum in rebus."

133. Hinc miraculum ad mentem S. Thomæ recte definiri potest: *effectus supernaturalis, extraordinarius, et aliqua ratione sensibilis.*

Declaratur definitio. Dicitur 1. effectus *supernaturalis* i. e. excedens vires et exigentiam totius naturæ creatæ.

Dicitur 2. effectus *extraordinarius*, qui sit scil. præter ordinem communiter servatum in rebus i. e. præter leges (tum naturales tum supernaturales), quibus præsens rerum ordo regitur.

Dicitur 3. aliqua ratione *sensibilis* i. e. sensibilis vel in se ipso ut resuscitatio mortui, vel ex effectu sive sequelis ut infusio scientiæ. Miraculum autem debet esse aliqua ratione sensibile propter finem suum, qui in eo consistit, ut hominum admirationem excitet, et ut pro ipsis sit *signum* ac testimonium divinum.

134. 2. Ex tradita notione miraculi liquet, *solum Deum* posse facere miracula, ipsum solum esse *causam efficientem principalem* miraculi. Est enim miraculum effectus supra vires et ordinem totius naturæ creatæ. Omnes autem vires creatas sola excedit Dei potentia increata; solus etiam Deus agere potest præter totum ordinem, quem in rebus creatis constituit, et sub quo quævis creatura continetur. Hinc intelligitur, quam diversa sit ratio causalitatis, qua Deus est auctor miraculorum, ab illa qua Deus ut causa prima per concursum generalem in singulos actus creaturarum influit. Nam licet quævis causa creata ad singulos actus indigeat concursu causæ primæ, nihilominus horum actuum creatura est ac dici debet causa principalis, quia propria et insita sua virtute eos producit sub concursu Dei ipsi debito. Hi itaque actus proprie sunt et dicuntur actus creaturæ, quæ eorum est causa vere efficiens ac principalis. Aliud autem obtinet in effectione miraculorum. Hæc enim cum solus Deus propria ac insita sua virtute producere possit, etiam solus Deus vere efficit, ideoque horum causa non tantum prima sed et principalis efficiens solus Deus est dicendus. Miraculum igitur proprie dicitur et est *opus Dei*.

135. Licet autem solus Deus sit causa principalis et proprie efficiens miraculi, nihil tamen impedit, quominus creatura rationalis (angelus vel homo) non solum suis precibus miraculum a Deo impetrare possit, sed etiam sub imperio Dei evadat *causa instrumentalis* miraculi, sicut fuerunt Apostoli atque tot sancti, quibus donum miraculorum a Deo concessum fuit.

136. II. **Miraculorum divisio.** Licet omnia miracula stricte dicta excedant vires et ordinem totius naturæ creatæ, pro diversa tamen ratione, qua vires creatas excedunt, et qua se habent ad ordinem naturæ, varie dividi possunt. Præeunte itaque S. Thoma, miracula 1. quatenus spectantur ut excedentia vires totius naturæ dividuntur in miracula *quoad substantiam, quoad subjectum* et *quoad modum;* prouti vires naturæ superant vel ratione sui, vel ratione subjecti in quo fiunt, vel ratione modi quo fiunt. Hanc distinctionem dilucide exponit *S. Thomas* (1. q. 105. a. 8) scribens: „Excedit aliquid facultatem naturæ tripliciter: uno modo quantum ad *substantiam facti,* sicut quod duo corpora sint simul . . . . aut quod corpus humanum glorificetur; quod nullo modo natura facere potest. Et ista tenent summum gradum in miraculis. Secundo aliquid excedit facultatem naturæ, non quantum ad id quod fit, sed quantum ad *id in quo (subjecto)* fit; sicut resuscitatio mortuorum, et illuminatio cæcorum et similia. Potest enim natura causare vitam, sed non in mortuo et potest præstare visum, sed non in cæco. Et hæc tenent secundum gradum in miraculis. Tertio modo excedit aliquid facultatem naturæ quantum ad *modum et ordinem* faciendi; sicut cum aliquis subito per virtutem divinam a febre curatur absque curatione et consueto processu naturæ in talibus, et cum statim aër divina virtute in pluvias densatur absque naturalibus causis sicut factum est ad preces Samuelis et Eliæ. Et hujusmodi tenent infimum locum in miraculis."

137. 2. Quatenus considerantur miracula respectu ordinis naturæ, quem prætergrediuntur, dividuntur in ea, quæ sunt *supra naturam, contra naturam,* et *præter naturam.*

Miraculum dicitur esse, uti declarat *S. Thomas,* (Quæst. disp. q. de miraculis, a. 2 ad. 3), *„supra naturam,* in quantum in illum effectum, quem Deus facit, natura nullo modo potest;

quod quidem contingit dupliciter, vel quia ipsa forma inducta a Deo omnino a natura induci non potest sicut forma gloriæ, quam inducet Deus corporibus Beatorum et sicut etiam incarnatio Verbi; vel quia etsi talem formam possit in aliquam materiam inducere, non tamen in istam, sicut ad causandam vitam natura potens est, sed quod in hoc mortuo vitam causet, hoc facere non potest. *Contra naturam* esse dicitur, quando in natura remanet contraria dispositio ad effectum, quem Deus facit; sicut quando conservavit pueros illæsos in camino, remanente virtute comburendi in igne, et quando aqua Jordanis stetit, remanente gravitate in ea, et simile est quod virgo peperit. *Præter naturam* autem dicitur Deus facere quando producit effectum, quem natura producere potest, illo tamen modo quo natura producere non potest."

138. **Corollarium.** Tradita vera miraculi notione excluduntur falsæ definitiones deistarum et rationalistarum, juxta quos generatim miraculum non est nisi factum extraordinarium, per quod homo in admirationem rapitur, quia illius facti causam *naturalem* ignorat. Ea excluduntur pariter notiones minus rectæ quas proposuerunt quidam catholici, nominatim Clarckius, Bonnet et Houtteville, ut facilius miracula explicarent ac difficultates declinarent, quæ contra miracula ex legibus naturæ petuntur. Non vacat has falsas notiones hic singillatim referre et refutare; si quidem non miraculi utcumque, sed miraculi a nobis definiti possibilitatem et vim probandi demonstrabimus. De illis conferri possunt, si lubet, inter alios *Jungmann,* l. c. c. 2. art. 3; *Van Weddingen,* De Miraculo P. 1. c. 3. § 5; *Ottiger,* l. c.

§ 2. De possibilitate miraculorum.

139. Declarata genuina miraculi notione, jam de eius possibilitate est agendum. Naturalistæ ordinem supernaturalem negantes, miraculum utpote eventum supernaturalem consequenter negant: alii quidem ipsam miraculi possibilitatem infitiantur; alii vero, seposita quæstione de possibilitate, historice, uti dicunt, affirmant nullum verum miraculum aliquando factum fuisse. De hac criticismi historici affirmatione alibi dicturi, de miraculi possibilitate hic unice agemus. *Dogma*

catholicum, quo credimus miraculorum tum possibilitatem, tum cognoscibilitatem ac vim probandi, solemniter definivit *Conc. Vatic.* (Const. *Dei Filius* cap. 3. can. 4.): „Si quis dixerit, miracula nulla fieri posse, proindeque omnes de iis narrationes, etiam in Sacra Scriptura contentas, inter fabulas vel mythos ablegandas esse; aut miracula certo cognosci numquam posse, nec iis divinam religionis christianæ originem rite probari; a. s." Ut igitur dogma catholicum de miraculorum possibilitate vindicemus, sit hæc

140. **Thesis.** Miracula, seu eventus qui totius naturæ creatæ vires et ordinem excedunt, sunt possibilia.

Prob. Admisso Deo mundi creatore repugnantia miraculorum desumenda esset vel ex *necessitate antecedente*, qua ordo naturæ sit absoluta necessitate talis, qualis esse conspicitur, nihilque præter hunc ordinem fieri possit; vel ex *necessitate consequente,* qua constituto semel aliquo ordine in rebus creatis, jam nulla amplius fieri possit exceptio. Atqui ex neutra parte hæc repugnantia existit. Ergo miracula nullam involvunt repugnantiam, ideoque objective sunt possibilia et consequenter a Deo omnipotente patrari possunt.

141. *Prob. 1ma pars min. Præsens ordo naturæ non fuit antecedenter necessarius* sed est contingens. Etenim certe non est *absolute* necessarius, nam inest rebus contingentibus et libere a Deo creatis, ideoque ordo, sicut ipsæ res mundanæ, contingens ac libere productus sit oportet. Neque præsens ordo est necessarius, *posita existentia rerum quibus inest,* seu ordo rebus mundanis actualiter inditus non est ipsis rebus essentialis et necessarius, sed contingens. Nam ordo mundanus ex tribus potissimum exsurgit: *a)* ex rerum multitudine et diversitate; *b)* ex earumdem rerum dispositione seu juxtapositione; *c)* ex effectibus quibus veluti partialibus finibus sibi propriis res omnes in finem universalem conspirant. Jamvero nullus dicet mundo essentialem esse vel actualem multitudinem sive numericam sive specificam entium quæ existunt, vel præsentem rerum dispositionem aut juxtapositionem; hæc enim, Deo volente, alia esse potuissent, quin mundus periret aut inordinatus evaderet. Neque efficientia rebus mundanis essentialis est, potest enim res aliqua ab actu

exercendo, seu effectu producendo, aliqua causa prohiberi, quin in hoc peculiari casu naturam suam propriam amittat; nam aliud est virtus, aliud virtutis exercitium: illa rei est necessaria, hoc autem contingens. Ergo præsens ordo rebus mundanis seu mundo non est necessarius, sed contingens; hinc jam sequitur, per se non repugnare, si adsit causæ idoneæ virtus, in rebus vel mundo aliquid fieri, quod istum naturæ ordinem prætergrediatur.

142. *Prob. 2da pars min.:* neque constituto semel ordine rerum *necessitate aliqua consequente* miracula repugnant. Etenim omnipotentia Dei ordine naturæ nullatenus ligatur, nec ceteris Dei perfectionibus miracula contraria sunt. Et quidem

a) Quod spectat ad Dei *potentiam,* „Deus potest facere, ait *S. Thomas* (1. q. 105. a. 6), præter ordinem rerum, quia *ordini secundarum causarum ipse non est subjectus, sed talis ordo ei subjicitur* quasi ab eo procedens, non per necessitatem naturæ, sed per arbitrium voluntatis. Potuisset namque et alium ordinem rerum instituere. Unde et potest præter hunc ordinem institutum agere, cum voluerit, puta agendo effectus secundarum causarum sine ipsis, vel producendo aliquos effectus, ad quos causæ secundæ non se extendunt." Quia itaque Deus est creator adeoque et absolutus dominus totius naturæ, ejusque legum ac virium, potest sane activitatem harum virium in certis rerum adjunctis impedire, effectus illarum suspendere, legibus a se libere positis derogare. (1)

143. Ut hoc distinctius declaretur et ulterius confirmetur, effectus supra, contra, vel præter naturam singillatim considerentur. Primo Deus facere potest ea, quæ sunt *supra naturam,* quia vis naturæ est finita, Dei autem virtus infinita, quæ igitur ea omnia efficere potest, ad quæ virtus finita non pertingit. Deinde efficere potest ea quæ sunt *contra naturam,* vel subtrahendo pro aliquo casu suum concursum causæ secundæ e. g. igni ne urat, vel cohibendo sive immediate sive mediate vim causæ creatæ per vim majorem. Demum Deus facere potest ea quæ sunt *præter naturam,* nam cum

(1) Hoc concedunt nonnulli Rationalistae. Ita e. g. *Rousseau* (Lettres de la Montagne, let. 3): „Dieu peut-il faire des miracles, c'est-à-dire peut-il déroger aux lois qu'il a établies? Cette question sérieusement traitée, serait impie si elle n'était absurde: ce serait faire trop d'honneur à celui qui la résoudrait négativement que de le punir, il suffirait de l'enfermer."

ipse sit creator omnium causarum secundarum earumque virium, etiam omnem earum virtutem in se eminenter præcontinet. Hinc quæcumque causæ secundæ operari possunt, ipse sine illis solo nutu voluntatis efficere potest. Potest etiam naturalium causarum efficaciam augere ac modificare, ita ut celerius, intensius, copiosius agant, quam naturales earum vires ferant, aut ut aliquid aliud agant, vel modo diverso.

144. *b) Neque,* etiam statuto semel naturæ ordine, *miracula contraria sunt ceteris Dei perfectionibus*, nominatim *immutabilitati* et *sapientiæ*. Ut autem melius intelligatur, miracula nullatenus pugnare cum Dei perfectionibus, et ut sic facilius ac plenius solvantur difficultates, quæ sive ex ipso ordine a Deo semel constituto, sive ex Dei perfectionibus contra miracula petuntur, quædam breviter adnotare juvabit.

145. Animadvertatur imprimis, per miracula nullatenus mutari ordinem sive *metaphysicum* sive *moralem,* qui uterque est necessarius et immutabilis, utpote nitens essentialibus relationibus. Ordo autem *physicus,* exsurgens ex relationibus, quæ inter entia corporalia hujus universi visibilis existunt quæque legibus physicis a Deo libere constitutis determinatæ fuerunt, est contingens, uti supra ostendimus. Huic ordini physico *essentialis* est duplex *unitas:* una *extrinseca* seu *finalis,* exsurgens ex relatione omnium ad unum finem, nempe gloriam Dei extrinsecam: altera, quam prior supponit, *intrinseca* seu *cosmica,* consistens in eo, quod omnes res visibiles ordinatum quoddam universum constituunt. Hæc unitas intrinseca fundatur in uniformitate legum naturæ, secundum quas substantiæ corporeæ constanter et uniformiter, in similibus circumstantiis, suos effectus producunt, et consequenter requirit *unitatem phænomenicam* seu constantiam et unitatem effectuum.

146. Ut ergo ordo physicus sibi constet, requiritur et sufficit ut maneat duplex unitas essentialis et consequenter requiritur et sufficit ut ea maneat unitas phænomenica, quæ salvet unitatem tum cosmicam tum finalem. Atqui ut salvetur duplex illa unitas essentialis, et ut proinde ordo physicus sibi constet, non requiritur *absoluta* unitas phænomenica, sed sufficit generalis quædam uniformitas effectuum, ita ut nonnumquam exceptiones in hac unitate accidere possint.

Et re quidem vera unitas intrinseca mundi non perit neque

turbatur, etiamsi a Deo nonnumquam producuntur effectus supra, contra, præter naturæ ordinem, et unum alterumve ens pro hoc vel illo casu eximitur ab aliqua lege, qua aliis temporibus ipsum, sicut alia ejusdem speciei individua, regitur; manent enim etiam tunc universalis rerum concentus et ordo.

Neque fini, ad quem omnia diriguntur et qui est gloria Dei, obsunt miracula, sed econtra eidem maxime inserviunt. Ordo enim physicus subordinatus est altiori ordini generalis divinæ providentiæ, qui complectitur ordinem physicum, intellectualem et moralem et cujus finis est gloria Dei et bonum hominum. Huic autem fini maxime inservire etiam miracula, plane manifestum est, cum splendide manifestent Dei perfectiones et in maximum hominum bonum cedant. Deus ergo patrando miracula nullatenus turbat ordinem, semel a se constitutum. *(Jungmann,* l. c. art. 4).

147. Quibus prænotatis jam facile solvuntur tritæ adversariorum contra miracula objectiones. Imprimis nullius ponderis est difficultas petita ex *immutabilitate* Dei, ac si Deus agendo præter ordinem naturæ semel a se constitutum suam voluntatem mutaret. (1) Eodem enim decreto æterno, quo hunc naturæ ordinem statuit, præordinavit quoque et decrevit, se præter illum quod sibi videretur patraturum. „Deus, inquit *S. Thomas* (Quæst. Disp. q. de miraculis a. 1), non facit contra rationes naturales mutabili voluntate: nam Deus ab æterno prævidit et voluit se facturum, quod in tempore facit. Sic ergo instituit naturæ cursum, ut tamen præordinaret in æterna sua voluntate, quod præter cursum istum quandoque facturus erat."

148. Neque dici potest, miracula pugnare cum *sapientia* Dei, vel quia ordinem naturæ turbant, vel quia ostendunt hunc ordinem esse imperfectum, qui miraculis tamquam mediis extraordinariis emendari debeat. Etenim per miracula ordo naturæ non turbatur; dum Deus hinc inde legibus naturæ derogat, ordo physicus nihilominus sibi constat. Neque miracula supplent defectus ordinis physici, hic enim ordo non indiget

(1) Ita e. g. *Spinoza* (Tract. theol. polit. c. 6): „Leges universales mera sunt Dei decreta, quae ex necessitate et perfectione divinae naturae sequuntur. Si quid igitur in natura contingeret, quod ejus universalibus legibus repugnaret, id decreto et intellectui naturae divinae necessario repugnaret."

emendatione, sed est plane sufficiens ad finem suum, scil. ut manifestet gloriam Dei in eo gradu, quem Deus intendit. Finalis autem causa miraculi, uti diximus, non in ordine physico, sed in altiori providentiæ ordine continetur; facit Deus miracula ad clariorem quamdam et excellentiorem manifestationem, ad confirmationem suæ revelationis, ad quam ordo physicus non est institutus.

Possibilitas miraculorum confirmari potest tum ex *consensu humani generis,* tum ex ipsa *miraculorum reali existentia.*

§ 3. De miraculorum cognoscibilitate atque vi probandi.

149. I. **Exponitur status quæstionis.** Probata miraculorum possibilitate, jam ulterius quærendum est, utrum miracula a nobis certo ac tuto dignosci possint, et utrum divinam originem doctrinæ, in cujus confirmationem fiant, certo demonstrent, ideoque sint certa ac tuta revelationis criteria. Utrumque negant increduli, affirmant autem catholici tamquam dogma fidei, quod Concilium Vaticanum in canone supra relato solemniter definivit.

150. 1. Quod ad miraculi *cognoscibilitatem* attinet, animadvertendum est, in miraculo duo distingui posse: *a) ipsum factum sensibile; b) hujus facti characterem supernaturalem*, propter quem est miraculum. Hinc ut certo cognoscamus miraculum duo requiruntur: *a)* ut certo nobis constet, illud factum sensibile, quod ut miraculum proponitur, revera contigisse (veritas *historica* miraculi); *b)* ut certo constet, illud factum ita excedere totius naturæ ordinem ac vires, ut non nisi Deum auctorem habeat (veritas *philosophica* miraculi). Jam vero utrumque nobis impossibile esse contendunt increduli.

151. *a)* Ratio præcipua, qua aliqui impugnant cognoscibilitatem veritatis *historicæ* miraculorum, est illa, quam his verbis proponit *Hume:* „Facilius est mille testes errare aut decipere, quam factum legibus naturæ repugnans existere: primum moraliter tantum impossibile, et experientiæ consonum; secundum vero physice impossibile et experientiæ contrarium est. In omni porro miraculo contra unum testem mille insurgunt; sic. e. g. si unus testetur, mortuum resuscitatum fuisse, milleni testes affirmant, mortuos ad vitam haud redire."

152. *b)* Ideo præsertim negant, posse certo cognosci veritatem *philosophicam* miraculorum, quia, dicunt, nemo perspectas habet omnes vires naturæ, atque ideo nemo discernere potest inter effectum naturalem et miraculum. Cum enim, aiunt, limites virium naturalium ignoremus, jus nobis arrogare non possumus, ut quando causa alicujus effectus nobis est ignota, eumdem tribuamus immediatæ Dei operationi. Id scil. faciunt miraculorum amatores, qui dum causas ignorant arroganter Deo effectum tribuunt. Alteram rationem petunt ex prodigiis dæmonum, a quibus vera miracula discerni nequeant; solutio hujus ultimæ difficultatis patebit ex iis, quæ in paragrapho sequente trademus.

153. Contra illos itaque contendimus et probabimus, non obstantibus istis rationibus, nos certo cognoscere posse miraculorum veritatem tum historicam tum philosophicam. Monemus tamen nos non contendere, de omnibus et singulis factis, quæ dicuntur miracula, semper certum judicium haberi posse, sed tantum generatim et de aliquibus saltem eventibus.

154. 2. Si semel constat, aliquem eventum esse verum miraculum, negari nequit tali eventui inesse vim probandi divinam originem doctrinæ, in cujus confirmationem fit. Ut autem definiantur limites, intra quos contineri debet approbatio per miraculum, animadvertendum est, illud solum confirmari per miraculum, in cujus confirmationem miraculum fit, seu ad quod miraculum ordinatur. Hinc si fiat miraculum in testimonium doctrinæ, non nisi doctrina approbata est; et si fiat in testimonium sanctitatis, sanctitas certissima est, sed non aliud præcise vi miraculi; et sic de ceteris.

His itaque præstitutis

155. II. **Statuitur vera doctrina.**

Thesis. Miracula 1) certo cognosci possunt, et 2) invicta sunt criteria divinæ revelationis, in cujus confirmationem patrantur.

Prob. 1ma *pars*, et quidem 1. *quoad veritatem historicam* miraculorum. Licet miraculum sit eventus supernaturalis, est tamen sicut eventus naturalis factum quoddam sensibile; ergo eisdem mediis et eadem certitudine miraculi existentiam cognoscere possumus ac existentiam alicujus facti naturalis. Quare spectatores facti miraculosi hujus existentiam certo

cognoscere possunt per proprios sensus, illi vero qui facto non interfuerunt per legitimum aliorum testimonium.

156. Neque supra indicata Humii exceptio ullo modo infirmare valet historicam miraculorum certitudinem. Hæc exceptio supponit, leges naturæ absolute immutabiles esse, ita ut nulla earum exceptio adeoque nullum miraculum contingere possit. Si enim, uti probavimus, leges naturæ exceptionem patiuntur et miraculum est possibile, profecto sufficit legitimum testimonium ad certo probandum exceptionem et miraculum revera contigisse. Neque impossibilitas alicujus eventus, quæ oritur ex viribus ac legibus naturæ, pugnat cum certitudine morali orta ex legitimo testimonio de tali eventu. Nam ista impossibilitas physica non est absoluta, sed virtute divina superari potest, et eam in aliquo casu victam esse debitum hominum testimonium sufficienter probat. Quod autem dicitur, contra unum miraculi testem mille insurgere, ridiculum prorsus est et absurdum. Illa enim testimonia sibi non opponuntur, cum non cadant in idem objectum: mille testes, qui facto non interfuerunt, testantur tantum cursum naturæ ordinarium, qui vero miraculo interfuerunt testantur exceptionem ab hoc cursu, quæ duo sane non opponuntur. (1)

157. *Prob. 2. quoad veritatem philosophicam* miraculorum, seu quoad characterem supernaturalem operis. Adhibita communi diligentia, plerumque facile judicari potest, effectum aliquem nullis viribus naturæ, sed sola virtute divina productum esse, adeoque effectum supernaturalem seu miraculum esse. Ad hoc sufficit considerare ipsum effectum et adjuncta ejus, ac videre, an forte in subjecto in quo effectus producitur,

(1) Ut noscatur modus levissimus et inanis, quo increduli miraculorum veritatem eliminare student, audiatur speciminis gratia *Harnack* (Lehrbuch der Dogmengesch. ed. 2. p. 59, nota 2): „Der Historiker ist nicht im stande mit dem Wunder als einem sicher gegebenen geschichtlichen Ereigniss zu rechnen; denn er hebt damit die Betrachtungsweise auf, auf welcher alle geschichtliche Forschung beruht. Jedes einzelne Wunder bleibt geschichtlich völlig zweifelhaft, und die Summation des Zweifelhaften führt niemals zu einer Gewissheit. . . . Uebrigens kommen nach strenger geschichtlicher Prüfung überhaupt nur die Heilswunder Jesu in Betracht. Diese lassen sich allerdings aus den geschichtlichen Berichten nicht eliminiren, ohne diese Berichte bis auf den Grund zu zerstören. Allein wie ungeeignet sind sie an und für sich, um dem, dem sie beigelegt werden, nach 1800 Jahren noch irgend welche besondere Bedeutung zu sichern!"

in producente, in corporibus circumstantibus, vires inveniantur, ex quibus ille effectus provenire potuerit. Si considerato effectu et circumstantiis patet, ejusmodi vires non adesse et in rebus corporeis sufficientem causam non inveniri, opus viribus naturæ adscribi nequit, sed effectum supernaturalem esse, judicandum erit. Illud vero plerumque per se manifestum est, e. g. in resuscitatione Lazari, in multiplicatione panum per Christum Dominum.

158. Et sane si agitur de miraculis primi vel secundi ordinis, quæ scil. superant naturam vel quoad *substantiam* vel quoad *subjectum*, cum natura hujusmodi effectus vel nullo modo, vel non in hoc determinato subjecto producere possit, ut hæc discernantur miracula, satis est certo nosse facta realiter contigisse. Si autem miraculum est tertii ordinis, i. e. *quoad modum* tantum naturam superans, plerumque etiam effectus facile agnoscitur ut miraculum ex eo, quod apparet, nullas causas naturales effectui proportionatas in casu applicatas esse vel interfuisse. Quoad hos tamen ultimos effectus sæpe diligentiori opus est examine, imo aliquando fieri potest, ut res in dubio sit relinquenda in quo imitanda est maxima Ecclesiæ prudentia in approbandis miraculis. Generatim autem ut certo judicemus, aliquem effectum in determinatis adjunctis a causis naturalibus provenire non potuisse, nullatenus requiritur, ut omnes naturæ vires ex integro cognoscamus; sed sufficit, perspicuum esse, *illas causas, quæ effectui interfuerunt, ei præstando pares non fuisse,* quod sine intima omnium naturæ virium cognitione facile apprehendi potest.

159. Hinc apparet, quid respondendum sit tritæ difficultati, quam contra cognoscibilitatem miraculorum adversarii petunt ex eo, quod limites virium naturalium ignoramus.

Ad hanc difficultatem respondemus, *a)* licet nos omnium naturæ virium limites *positive* non cognoscamus, i. e. licet non sciamus quousque in omnibus se porrigant, eos tamen in multis cognoscimus *negative,* i. e. in multis scimus quousque illæ vires se non extendere possint. Atqui hæc cognitio sufficit ad plura dignoscenda miracula. Ita ex principiis metaphysicis scimus, soli Deo convenire posse effectum, ad quem requiritur actio creatrix, vel dominium vitæ et mortis, vel absolutum dominium in naturam; certam cognitionem

futurarum actionum liberarum etc. *b*) Etsi *positive* non cognoscamus omnes naturæ leges et vires earumque efficaciam; cognoscere tamen possumus illas vires quæ de facto adhibentur quoad subjectum, in quo fit miraculum, et illam naturæ legem, quæ in casu debuisset servari. Atqui hoc sufficit ad multa dignoscenda miracula. Sic evidenter scimus, lutum, quo Christus oculos linivit cæci nati, non posse restituere visum cæco; pariter certissime novimus legem generalem, juxta quam cadaver naturaliter reviviscere non potest. *c*) Aliquando ex *modo* ipso, quo effectus producitur, evidens est illum non posse tribui ulli vi naturæ. Ita sanationes, quæ fiunt in instanti sola voce, solo imperio voluntatis, ex hoc ipso modo miraculosæ esse deprehenduntur. (1)

160. *Prob. 2da pars,* scil. miracula esse certa criteria divinæ revelationis, in cujus confirmationem patrantur. 1. Vis probandi, quæ inest miraculo, nititur hac duplici veritate: solus Deus potest facere verum miraculum; Deus non potest confirmare errorem. Prima veritas sequitur ex ipsa notione miraculi; altera manifesta est ex infinita veracitate Dei, qui nec falli nec fallere potest. Itaque argumentum sic breviter proponi potest: Quod Deus testatur nequit esse falsum, sed necessario verum est. Atqui miraculum est testimonium divinum pro re, ad quam probandam patratur. Ergo si in confirmationem divinæ revelationis patratur miraculum, ea nequit esse falsa, sed ea revelatio est vere divina, et consequenter doctrina, quam continet, vera est.

2. Hoc luculenter confirmatur ex persuasione hominum, qui communi consensu censent miracula esse testimonia veritatis.

3. Vim probandi miraculorum plures theologi merito illustrant ex comparatione sigilli. Sicut enim sigillum regium litteris affixum probat has litteras venire a rege; ita miraculum cum aliqua doctrina prædicata connexum, velut sigillum divinum ei affixum, probat doctrinam illam esse a Deo. „Dum aliquis, ait *S. Thomas* (3. p. q. 43. a. 1), facit opera, quæ solus Deus facere potest, creduntur ea, quæ dicuntur, esse a Deo; sicut cum aliquis defert litteras annulo regis signatas, creditur ex voluntate regis processisse, quod in illis continetur."

(1) Cf. *Jungmann,* l. c. art. 5; *Mazzella,* l. c. art. 10; *Van Weddingen,* l. c. P. 2. c. 2.

161. *Objectio.* Contra vim probandi miraculorum opponunt increduli: omnis religio, etiam falsa, sua jactat miracula; atqui id ad quod provocant omnes nequit esse veræ religionis nota; ergo miraculum non est certum revelationis criterium.

Resp. a) Sicut ex eo quod omnes scholæ philosophicæ pro sua doctrina jactant evidentiam nemo inferret, evidentiam non esse veritatis criterium; ita pariter ex eo quod omnes religiones sua jactant miracula minime sequitur, miraculum non esse certum revelationis criterium. Sequitur tantum, opus esse diligentia et examine, ut verum miraculum a falso discernatur, quod nullatenus infitiamur. Imo *b)* illud ipsum factum ostendit, miraculum ex communi consensu hominum esse criterium veritatis, secus enim non omnes ad miraculum provocarent.

162. **Scholion.** 1) Cum gratia miraculorum sit *gratia gratis data* et non gratum faciens, fieri potest, ut etiam christianis malis seu hominibus impiis donum miraculorum a Deo concedatur, sed in *utilitatem* aliorum, ita ut eos decipere nequeant. Ex eo enim, quod Deus semper est causa principalis et auctor miraculi, fieri nequit, ut illi homines impii umquam faciant miraculum ad confirmandum errorem vel ad probandum vitium.

2.) Quod ad facta mirabilia attinet gentilium, animadvertendum est, multa quæ narrantur esse meras fabellas, multa vel artibus præstigiatorum vel dæmonis interventui esse tribuenda. Quædam autem, si fidem merentur, evenire potuerunt Deo auctore, non ad errores gentilium confirmandos, sed ad quorumdam virtutem aut innocentiam commendandam.

3.) Idem fere dicendum est de hæreticis et schismaticis. Si quæ forsan apud ipsos umquam acciderint miracula inferioris ordinis, ea certe non ad confirmandam doctrinam eorum, sed propter alium finem religiosum evenerunt.

§ 4. De miraculis latius dictis et generatim de mirabilibus spirituum, necnon de quibusdam naturæ et artis mirabilibus, deque eorum cum miraculis comparatione.

163. I. **Mirabilia spirituum.**

Præter effectus sensibiles excedentes ordinem et vires totius naturæ creatæ, qui per se et ab intrinseco supernaturales

sunt atque ideo proprio ac stricto sensu seu simpliciter vocantur miracula, dari possunt effectus, qui licet fiant præter ordinem consuetum naturæ visibilis, nativas tamen angelorum vires non excedunt. Negari enim nequit, quod magno consensu docent Theologi et Philosophi, angelos sive bonos sive malos, spectata præcise insita ac propria ipsorum virtute, in hoc mundo aspectabili plurima stupenda ac mirabilia, consuetum naturæ visibilis ordinem prætergredientia, patrare posse. Pollent enim illi spiritus, utpote substantiæ mere spirituales, ab una parte *intelligentia maxima,* qua altissime cognoscunt res corporeas earumque vires; ab altera parte virtute præpotenti tum *locomotiva* qua se de uno in alium locum celerrime transferre, tum *impulsiva* qua in ipsa corpora mundana multipliciter agere innumerasque immutationes producere possunt, sive per motum localem, sive applicando occultas quasdam naturæ vires seu applicando, uti aiunt, *activa passivis.* (1)

164. Quamvis autem spiritibus angelicis ex sua natura competat virtus patrandi in hac natura visibili plurimos effectus stupendos et mirabiles, hæc tamen ipsorum virtus præsenti ordine providentiæ ita ligata ac impedita manet, ut eam *de facto* exserere nequeant *nisi Deo jubente aut specialiter permittente.* Postulat enim notio Dei summe providi, infinite sapientis et sancti, ne ordinem naturæ visibilis a se constitutum ac certis legibus definitum a creaturis superioribus pro lubitu mutari et perturbari sinat; secus enim ipse ordo universi nutaret, politica humani generis gubernatio turbaretur, imo sæpe æterna hominum salus periclitaretur. (2).

165. Quia vero natura malorum spirituum seu dæmonum tota in maligno posita est, facile intelligitur ipsorum mirabilia, quæ Deus justa de causa ipsis quandoque permittit, semper in malum finem atque hominum perniciem dirigi ideoque hæc dæmonum portenta tamquam vera miracula seu criteria revelationis minime haberi posse, sed potius signa esse falsa atque mendacia. Econtra boni angeli sua portenta edere non possunt nisi in spirituale hominum bonum atque veritatis argumentum,

(1) De potestate spirituum patrandi mirabilia in natura visibili cf. inter alios maxime *Suarez,* de angelis, l. 4; de vera religione, l. 2.

(2) Cf. *S. Thomas,* de malo, q. 6. a. 9 ad 2 et a. 10; *Suarez,* de superstitione, l. 2. c. 16.

adeoque ipsorum mirabilia, eo vel magis quod includunt Dei sive jussum sive specialem licentiam, certo probant revelationem doctrinæ, in cujus confirmationem patrantur; quod ceteroquin constat ex praxi Ecclesiæ velut criteria adhibentis hæc bonorum angelorum portenta in causis beatificationis et canonizationis. Bonorum ergo angelorum mirabilia vera sunt miracula *quoad nos* atque certa veritatis criteria; nihilominus, in distinctione ab illis quorum solus Deus auctor esse potest, dicuntur miracula *latiori ac minus proprio sensu* accepta, vel etiam miracula *quoad nos* aut *secundum quid*. Hinc miraculum latiori sensu acceptum definiri potest: *effectus sensibilis, qui præter ordinem consuetum naturæ visibilis fit a bono angelo, Deo vel jubente vel specialiter permittente.*

166. *Criteria ad discernenda miracula a dæmonum portentis.* Ex hucusque dictis liquet, non semper necessarium esse probare aliquod portentum, in confirmationem doctrinæ editum, excedere omnes vires creatas, ut haberi possit pro certa nota seu criterio revelationis. Sufficit enim ostendere, ab una parte intervenisse aliquod ens supermundanum, ab altera vero parte effectum non posse tribui dæmoni; eo ipso enim constat, illum adscribendum esse Deo vel angelo, in utrovis autem casu est certum revelationis criterium. Quapropter si hominibus certa præsto sunt indicia, quibus miracula, sive stricte sive late dicta, a dæmonum portentis tuto secerni queant, hæc dæmonum signa fallacia verorum miraculorum sive cognoscibilitati sive vi probandi officere nullatenus possunt. Atqui ex principio metaphysico de infinita Dei providentis sapientia et sanctitate certi sumus, ipsum non posse permittere, ut dæmones sua portenta in falsi alicujus confirmationem edant, nisi ex indiciis certis mala eorum origo hominibus innotescat. Cum enim opera præter consuetum naturæ ordinem producta et debitis stipata conditionibus sint et in se certa revelationis criteria atque qua talia ab omnibus hominibus natura duce apprehendantur, manifeste postulat notio Dei summe providi ac infinite sancti, ne malis spiritibus sua permittat portenta in talibus adjunctis, in quibus a veris miraculis discerni nequirent et quibus proinde homines invincibiliter deciperentur.

167. Et re [quidem vera dæmonum portenta quæ Deus

in hominum sive probationem sive punitionem aliquando permittit, si in concreto spectantur, a veris miraculis haud operose discerni possunt. Etenim

a) Effectus prodigiosi sæpe tales sunt, qui vel in seipsis vel in modo quo producuntur manifeste excedunt omnes vires creatas, quia arguunt vel intelligentiam infinitam, vel virtutem infinitam, aut expeditum in res mundanas dominium; isti itaque, cum solum Deum habere possint auctorem, hac ipsa sua conditione physica tamquam vera miracula agnoscuntur. Tales sunt plurimi admodum effectus e. g. veræ prophetiæ, resuscitatio mortuorum, repentina membrorum sive perditorum sive aridorum restitutio, subita inveteratorum ac gravissimorum morborum sanatio, aliique his similes.

b) Quando vero factum est tale, ut sua physica indole non necessario postulet immediatam Dei causalitatem, maxime consideranda est hujusmodi facti conditio ethica seu character moralis, ex hocque judicandum utrum effectus aut Deo sive angelo, aut dæmoni sit tribuendus. Si enim in tali effectu, ipsius productionis modo ceterisque circumstantiis (sive personæ thaumaturgi, sive doctrinæ connotatæ, sive finis) nihil nisi Deo aut bono angelo dignum deprehenditur, ille tuto pro vero miraculo habetur. Si vero econtra sive in ipso opere, sive in modo quo efficitur, sive in ceteris circumstantiis aliquid ridiculum, inhonestum, obscœnum, impium, aut saltem Deo minus dignum hominibusque nocivum conspicitur, tale opus dæmoni est referendum. Uno verbo ad recte hac in re judicandum hæc potissimum sunt consideranda: *quid fit*, *quomodo fit*, *a quo fit* et *ad quid fit portentum*. Si tandem omnibus consideratis facti alicujus origo non certo innotescat, judicium est suspendendum et tale factum pro miraculoso non est habendum, talibus enim factis dubiis non indigemus.

168. Ut valor horum criteriorum, ex charactere morali facti desumptorum, melius intelligatur, de cognoscibilitate miraculorum generatim hæc sedulo notentur. Miraculum *sua quidditate physica* constat effectu sensibili excedente vel in actu primo, vel saltem in actu secundo (miracula latius dicta), omnes vires creatas, et *ratione finis*, ad quem efficitur quique non nisi bonus esse potest, conditionem signi *moralis* necessario præ se ferre dicendum est. Hinc in dignoscendis miraculis

duplex illud elementum sollicite est considerandum adeoque attendenda sunt tum eorum quidditas physica, tum eorum adjuncta moralia atque ethicus doctrinæ cui adnectuntur character, ut de eorum origine recte judicetur.

169. II. **De quibusdam naturæ ac artis mirabilibus,** *deque eorum cum miraculis comparatione.* Quia increduli nostri temporis haud raro miraculorum, quibus christiana fulget religio, cognoscibilitatem atque vim probandi infirmare student illa æquiparando variis mirabilibus sive naturæ sive artis, hæc pauca notentur.

170. *A.* **De naturæ mirabilibus.** 1. Inter naturæ mirabilia, quæ potissimum cum aliquibus miraculis, sive Christi sive sanctorum quamdam similitudinem habent, maxime recensenda sunt ea, quæ in humano corpore aliquando producit *phantasiæ, fiduciæ, suggestionis* ac generatim animi affectuum vis. Negari sane nequit, phantasiæ et affectuum in corpus influxum esse magnum, ita ut ex repentino ac vivaci animi motu quandoque morbi, præsertim nervosi, curentur, aliique stupendi effectus consequantur. (1)

171. Nihilominus, quamvis hæc ita sint, ista naturæ mirabilia miraculorum generatim nec realitatem nec cognoscibilitatem ullatenus evertere possunt. Nam *a)* mirabilia illa, quæ ex vivido animi ac phantasiæ motu aliquando contingunt, *sat limitata sunt.* Continentur enim fere sanatione morborum, qui cum nerveo systemate proxime nectuntur, cum in hisce tantum magnum illum influxum phantasia, fiducia exserere possit. Ceteros autem effectus mirabiles, qui vel non constant sanatione morborum, vel consistunt in sanatione morborum qui organismi læsionem includunt nec unice in systemate nerveo radicantur, ex phantasiæ virtute repetere nimis absurdum foret. Hinc in discernendis miraculis a prædictis naturæ mirabilibus tunc solum potest adesse aliqua difficultas, quando

(1) *S. Thomas* (3. q. 13. a. 3 ad 3) scribit: „Imaginationi si fuerit fortis naturaliter obedit corpus quantum ad aliqua, puta quantum ad casum de trabe in alto posita, quia imaginatio nata est esse principium motus localis ... similiter etiam quantum ad alterationem quae est secundum calorem et frigus, et alia consequentia; eo quod ex imaginatione consequenter natae sunt consequi animae passiones secundum quas movetur cor; et sic per commotionem spirituum totum corpus alteratur." Cf. *Benedictus* XIV. De Serv. Dei Beatific. l. 4. p. 1. cap. ult. n. 12 sq.

agitur de sanationibus morborum cum nerveo systemate proxime connexorum. Ideoque in dijudicandis talibus sanationibus majori attentione considerandæ sunt omnes circumstantiæ, ut ex illis deducatur, utrum in concreto productæ fuerint vel produci potuerint necne naturali illa virtute. Quando, omnibus consideratis, non certo constat illas sanationes, uti in concreto acciderunt, non esse productas phantasiæ influxu, judicium est suspendendum et tales sanationes miraculosæ non sunt habendæ. Imitemur in hisce maximam ipsius Ecclesiæ prudentiam; talibus signis dubiis non indiget nostra religio. (1)

172. Ceteroquin *b)* si illa signa Christi et sanctorum, quæ cum prædictis mirabilibus naturæ similitudinem gerunt, *in concreto* respiciuntur, plerumque ab his effectibus naturalibus facile dignoscuntur. Nam sæpe in illis miraculis manifesta conspicitur effectus a thaumaturgi voluntate dependentia, ad quam explicandam minime sufficit ægroti fiducia. Insuper haud raro in illis sanationibus Christi et sanctorum abest magna illa subjecti fiducia, imo aliquando, ut e. g. in energumenis quos liberavit Christus, adest positiva repugnantia atque reluctantia.

173. 2. Naturæ mirabilibus accensendi quoque sunt mirabiles quidam effectus, qui *tum ex imaginationis influxu tum ex singularis temperamenti indole sequuntur*. Tales aliquando sunt præsertim apud personas nervorum debilitate laborantes, et nominatim apud fœminas hysteria vexatas, anomaliæ maxime stupendæ, convulsiones miræ, somnambulicæ et extaticæ passiones, quæ aliquam similitudinem gerunt cum miraculosa sanctorum extasi ejusque variis manifestationibus. Licet forsan in hisce similibusque factis quandoque interveniat dæmonum potestas, nihilominus propter rerum medicalium peritorum

(1) Notentur regulae, quas ad agnoscendas sanationes miraculosas tradit *Benedictus* XIV, l. c. n. 31 aiens: „Ut sanatio a morbis et infirmitatibus inter miracula recenseatur, plura debent concurrere: primum est, ut morbus sit gravis, et vel impossibilis, vel curatu difficilis; secundum, ut morbus qui depellitur non sit in ultima parte status, ita ut non multo post declinare debeat; tertium, ut nulla fuerint adhibita medicamenta, vel, si fuerint adhibita, certum sit ea non profuisse; quartum, ut sanatio sit subita et momentanea; quintum, ut sanatio sit perfecta, non manca, aut concisa; sextum, ut nulla notatu digna evacuatio seu crisis praecedat temporibus debitis et cum causa; si enim ita accidat, tunc vere prodigiosa sanatio dicenda non erit, sed vel ex toto, vel ex parte naturalis; ultimum, ut sublatus morbus non redeat."

testimonium negari non posse videtur, in illis plurimos occurrere effectus naturales, qui endemicis hallucinationibus atque nervei systematis perturbationibus sunt tribuendi.

174. Ut vero pateat, quam parum etiam hæc naturæ mirabilia cognoscibilitati ac vi probandi miraculorum noceant, hæc breviter notentur. *a)* Prædicta naturæ phænomena omnia *mere subjectiva* sunt, quia constant variis subjecti passionibus et affectionibus, quæ nullum effectum *ad extra* producere possunt. Hinc cum plerisque ac præcipuis religionis christianæ miraculis nullatenus comparari illisque proinde nullum præjudicium creare possunt.

Quinimo *b)* ab extasi sanctorum ejusque variis manifestationibus, cum quibus solis aliquatenus affinia sunt et quarum proinde tantum agnitionem difficiliorem reddere possunt, prædicta phænomena naturalia variis sæpe indiciis discerni queunt. Nimirum in extasibus naturalibus aut præexistebat in subjecto quædam morbida dispositio ad spasmata, sensuum alienationes, ac varii generis convulsiones; aut status extraordinarius producitur positiva mediorum naturalium applicatione; aut moralia adjuncta, præsertim gestuum ac sermonum, eorum originem naturalem vel diabolicam manifestant; quæ omnia et singula, uti patet, talibus eventibus rationem miraculi minime convenire ostendunt. Ceterum ultro damus propter illa naturæ mirabilia difficillimum plerumque esse de supernaturali visionum atque extasium charactere judicare, quapropter in istis dijudicandis ad exemplum Ecclesiæ maxima prudentia opus est, imo generatim in illis præter Ecclesiæ judicium et medicorum auctoritatem nihil pro certo est habendum; eo vel magis quod hæc prudentia, nedum noceat religioni christianæ quamplurimis aliis eisque certissimis miraculis confirmatæ, illi potius magnopere prodest, cum inde videant increduli nos non uti signis dubiis aut non omnimode certis.

175. *B.* **De artis mirabilibus.**

1. Opera artis seu magiæ naturalis nullam quoad miracula facescere possunt difficultatem, cum ab omnibus prudentibus qua talia facile agnoscantur. Etenim *a)* illa plerumque constant dynamicis quibusdam phænomenis ac mechanicis, in quibus manifeste deest character transcendentiæ ideoque ratio miraculi. Insuper *b)* consequuntur illi effectus ad usum mediorum

atque multiplicis apparatus, quæ eorum originem naturalem ultro produnt.

176. 2. Maxime hic attendenda veniunt mira *Magnetismi* ac *Spiritismi* phænomena, quia ea præsertim increduli opponunt miraculis, hæc ipsa ad magnetica sive spiritica phænomena impie referentes. Porro juxta triplicem moderni magnetismi inde a suo initio, anno 1773, epocham, triplex istorum phænomenorum distingui potest classis, quorum alia ad magnetismum animalem, alia ad somnambulismum, alia ad spiritismum proprie pertinent. Quænam autem potissima sint illa magnetica et spiritica phænomena hic inquirere haud vacat. Videri possunt apud varios Auctores, nominatim apud *Perrone* qui in præclaro suo opere: *de virtute Religionis deque vitiis oppositis* de tota hac re docte simul ac erudite disserit. Obiter hic monere sufficiet, prædicta phænomena, licet sæpe fraudes haud dubie intervenerint, quoad magnam tamen partem historice vera esse habenda. Nostrum autem est breviter indagare potissima discrimina, quibus miracula a magnetismi phænomenis distinguuntur, ut inde innotescat hæc mirabilia miraculis nostræ religionis nullum inferre nocumentum, et non nisi impie christianismi miracula magnetismo ac spiritismo adscribi. Quæ de illis dicimus eadem fere proportione servata dici debent de effectibus, saltem superioribus, *Hypnotismi,* qui magnetismo, tamquam alia methodus producendi plures ex illis effectibus, recentissime accessit.

177. Jam vero *a*) Licet multa magnetismi, somnambulismi atque spiritismi (hypnotismi) phænomena stupenda prorsus sint, nihilominus ne a longe quidem imitantur characterem *transcendentiæ,* quo manifeste insignita conspiciuntur præcipua miracula, quibus nostræ religionis credibilitas maxime nititur; ideoque hæc ab illis hac ipsa sua indole facile discernuntur, ac velut vera miracula agnoscuntur.

b) Magnum quoque conspicitur discrimen miracula inter et magnetismi phænomena *in ipso concreto operandi modo.* Dum enim spiritæ ad sua producenda experimenta sæpe indigent determinato medio et singulari apparatu, quæ arguunt artificium a miraculis alienum; Christus atque sancti econtra sua patrarunt prodigia vel per simplicem jussum, vel saltem sine usu mediorum artificialium.

Demum *c*) omnem difficultatem solvit maximum discrimen, quod in facti *circumstantiis moralibus* apparet. Enimvero in miraculis christianismi, tum in modo operandi, tum in doctrina connotata, tam in fine operis quam plerumque etiam in vita thaumaturgi, nihil nisi sanctum, virtutem promovens, Deo dignum atque hominibus utile conspicitur. Econtra vero in magnetismi, somnambulismi ac spiritismi phænomenis multa impietatem atque immoralitatem redolent. Qui enim hisce phænomenis operam dant et personæ, quibus tamquam *mediis* seu mediatoribus utuntur, plerumque homines dubiæ famæ existunt. In modo operandi multa sæpe inhonesta ac turpia miscentur, quod nec ipsi perniciosi hujus systematis patroni negare audent. Insuper sæpe profitentur doctrinam plane impiam atque morum eversivam, suaque experimenta ad lucrum comparandum et vanam explendam curiositatem dirigunt. Quod demum morales spectat sequelas, ex magnetismi historia constat inde effectus quam maxime nocivos plurimum consequi, uti sunt infestationes dæmonum, deliramenta, morbi, propensiones ad suicidia, ad libidinem, etc. Cf. *Perrone* op. cit.

178. Porro hæc si in complexu spectantur, manifestum est nostra miracula quam maxime differre a magnetismi phænomenis, quorum licet alia, quæ inferioris sunt speciei, per se naturalibus causis adscribi possint, alia tamen dæmoni sunt referenda. Ad hosce enim effectus præternaturales rite dijudicandos eosque tamquam præstigia vel opera dæmonum agnoscendos et a miraculis dignoscendos valent criteria supra indicata: *quid fit, quomodo fit, a quo fit,* et *ad quid fit* portentum.

179. Postremo coronidis instar notetur, quæ hoc paragrapho prosecuti sumus ad nostram quæstionem de criteriis revelationis non nisi secundarie pertinere. Prodigia enim, quibus fidei christianæ probatio potissimum nititur, sunt maxima illa miracula ac vaticinia, quæ tali charactere *transcendentiæ* gaudent, ut quævis sive spirituum sive naturæ sive artis mirabilia manifeste superent. Hinc licet prædicta mirabilia quibusdam miraculis inferioris gradus, saltem si hæc per se sola spectantur, aliquam difficultatem quandoque creare possint, præcipuis tamen nostræ religionis argumentis nulla ratione opponi possunt. (1)

(1) Cf. *Van Weddingen,* l. c. P. 1. c. 3. § 3.; P. 2. c. 2. § 2 et c. 4.

ART. III. De Prophetiis. (1)

180. **Prophetiæ notio.** Missis aliis nominis prophetiæ significationibus latioribus, prophetia sensu maxime stricto ac proprio, quo hic sumitur, dicitur cognitio et prædictio eventuum futurorum, qui a creaturis naturaliter cognosci non possunt. Itaque prophetia recte definitur: *præscientia et prædictio certa ac determinata alicujus eventus futuri, qui in causis naturalibus præseiri non potest.*

Explanatur definitio. Dicitur 1. *præscientia et prædictio.* Licet enim prophetia primario consistat in præscientia, secundario tamen consistit in locutione, prout propheta ea quæ divinitus edoctus cognoscit, ad bonum aliorum annuntiat. Prædictio seu manifestatio præscientiæ, uti patet, necessaria est, ut prophetia sit hominibus revelationis criterium.

Dicitur 2. præscientia et prædictio *certa* ac *determinata,* ut excludatur tum prædictio dubia vel conjecturalis, tum prædictio vaga, generalis et flexiloqua, quæ omni eventui applicari posset.

Dicitur 3. *alicujus eventus futuri qui in causis naturalibus præsciri non potest,* quibus verbis determinatur objectum prophetiæ. Objectum itaque proprium prophetiæ sunt *futura contingentia* (sive naturalia sive supernaturalia), quæ a libera Dei aut hominum voluntate dependent. (2)

181. II. **Solus Deus est auctor prophetiæ.** Hujus asserti veritas, ex ipsa prophetiæ notione manifeste sequitur. Enimvero ille solus potest esse auctor prophetiæ, cui soli competit cognitio prophetica; atqui hæc soli Deo convenit, ergo.

Prob. min. Cognitio prophetica superat vim omnis intellectus creati naturaliter cognoscentis. Quivis enim intellectus creatus in sua naturali cognitione indiget medio creato, quo objectum cognoscendum ipsi manifestetur. Atqui nullum existit medium creatum intellectui creato certo manifestans objectum prophetiæ, cum hoc sit eventus neque in seipso neque in ulla causa

---

(1) Cf. *Zigliara,* Propaed. ad S. Theol. l. 2. c. 11 sqq.; *Denzinger,* Rel. Erk. tom. 2. p. 150 sqq.; *Perrone,* de vera rel. c. 3. a. 2; *Heinrich,* § 44 sq.; *Mazzella,* art. 11; *Jungmann,* n. 162 sqq.; *Ottiger,* § 22 sqq.

(2) Cf. *S. Thomas,* 2. 2. q. 171 sqq.; *Benedictus* XIV, l. c. l. 3. c. 45; *Suarez,* de Fide, dist. 8. s. 3 sqq.

creata determinate existens. Ergo cognitio prophetica superat vim cujusque intellectus creati naturaliter cognoscentis, proindeque soli Deo competit et consequenter solus Deus auctor prophetiæ esse potest.

182. III. **Prophetia est possibilis.** Ut prophetia dici possit possibilis duo requiruntur et sufficiunt. 1) Ut Deus futura libera certo cognoscat; 2) ut hanc scientiam aliis communicare possit. Atqui utrumque ipso rationis lumine est certissimum. Primo enim ipsa recta ratio certissime probat, Deum ratione infinitæ suæ perfectionis omnia etiam futura libera ab æterno certo cognoscere. Neque hæc Dei præscientia, neque consequenter prædictio prophetica, tollit humanarum actionum libertatem. Nam necessitas qua id fit quod Deus prævidit, non est necessitas *antecedens* quæ *facit rem esse,* sed est *consequens,* quæ *esse* rei, quod ut terminum supponit scientia, *consequitur*. Deus scil. res prævidit quia tales sunt, non vero res tales sunt quia Deus eas prævidit. „Et quidem, ait *S. Joan. Damascenus* in dial. c. Manich., vis Dei præscia a nobis causam non habet, attamen ut ea quæ facturi sumus præsciat a nobis proficiscitur. Nam si facturi non essemus neque Deus quod futurum non esset præsciret." Deum autem posse hanc suam præscientiam communicare, seu futura libera revelare hominibus, consequitur ex iis quibus supra probavimus divinam revelationem generatim esse possibilem.

183. IV. **Cognoscibilitas prophetiæ.** Imprimis animadvertendum est, prophetiam considerari posse præ duplici temporis differentia: præ illo nempe tempore, quo jam eventu completa est; et præ eo tempore, quod impletionem præcedit. Prædictio aliqua ante impletionem agnosci nequit ut vera prophetia neque proinde criterium revelationis esse potest, nisi hoc aliunde constet, nisi scil. propheta suam divinam missionem probaverit, puta miraculis vel aliis prophetiis eventu completis. Ita prophetæ veteris legis, qui tota sua vivendi ratione, miraculis, prophetiis mox impletis se legatos Dei ostendebant et ut tales a legitimis synagogæ præpositis authentice recepti erant, fidem etiam conciliabant suis prophetiis, antequam eventu complerentur. Hinc vaticinia messianica in maximam quoque populi Israelitarum utilitatem cedebant.

Prophetia autem post impletionem sæpissime facile ac tuto qua talis agnosci potest tum *ex modo prædictionis,* tum *ex rei prædictæ natura.* Si enim prædictio est certa, clara ac determinata, si res quæ prædicitur non constituit tantum aliquod factum singulare, sed si eventus sunt multiplices et tempore remoti, si iidem in omnibus vel pluribus saltem adjunctis a libera hominum aut Dei voluntate dependent: jam temerariæ prædictioni quæ casu impleatur aut conjecturali divinationi nullus relinquitur locus, sed talis prædictio manifeste a solo Deo est adeoque vera prophetia. Tales e. g. sunt prophetiæ messianicæ veteris Testamenti. Quod vero nominatim spectat ad discernendas veras prophetias a dæmonum divinationibus, eadem fere, proportione servata, hic applicari possunt, quæ de dignoscendis miraculis a dæmonum portentis supra diximus. Hic etiam valet, quod quoad dijudicanda miracula sæpius monuimus: si scil. in aliquo casu particulari, omnibus attente consideratis, non liqueat, utrum prædictio aliqua a Deo sit, an dæmoni vel viribus naturalibus tribuenda, res in dubio relinquenda est.

184. V. **Vis probandi prophetiæ.** Prophetia, uti ex ejus indole manifestum est, censeri debet certissimum criterium veritatis quam testatur. Ut autem plene innotescat vis probandi revelationem, quæ inest prophetiis, notandum est, prophetiam esse simul et *opus divinum* et *locutionem divinam.* Quatenus enim est extraordinaria manifestatio futurorum eventuum excedens omnes vires creatas adeoque supernaturalis, prophetia est miraculum in ordine intellectuali ac vere opus Dei; quatenus est proprie prædictio futurorum a solo Deo proficiscens est vere locutio divina, qua ipse Deus per prophetam futura loquitur ac prædicit. Hinc duplici ratione prophetia certum revelationis criterium esse potest.

185. 1. Si prophetia comitatur alicujus doctrinæ prædicationem in ejusque confirmationem editur, eodem modo ac cetera miracula manifestat divinum illius doctrinæ originem. Est enim et ipsa miraculum omniscientiæ, ideoque quæ de vi probandi miraculorum generatim dicta sunt, de prophetia pariter valent.

2. Quia prophetia est locutio divina, ejus objectum infallibiliter verum sit oportet utpote a Deo ipso revelatum ac

prædictum. Hinc si veris vaticiniis prædicitur futura quædam religio ut divina vel venturus quidam religionis præco ut legatus Dei, hac ipsa prædictione divina certo innotescit vel divina origo religionis in qua implentur, vel divina missio præconis in quo vaticinia complentur. Utroque modo divina Christi missio per prophetias probata est: ipse enim Christus ad probandam suam missionem varias edidit prophetias, et tamquam legatus divinus per vera vaticinia prædictus atque promissus fuit.

186. **Scholion.** Ad doctrinæ complementum et ad præcavendas quasdam difficultates pauca adjicere præstat.

1. Quia donum prophetiæ, sicut donum miraculorum, est *gratia gratis data,* ideo fieri interdum potest, quod de miraculis diximus, ut etiam hominibus malis donum prophetiæ a Deo concedatur in utilitatem aliorum, non vero ad confirmandum errorem.

2. Quousque pateat *dæmonum* scientia haud facile definiri potest. Negari sane nequit, eos, utpote præditos intelligentia superante intellectum humanum, multa scire, quæ homines latent, eademque, Deo permittente, manifestare posse. Cognoscunt enim præsentia, quæ loco remota vel abscondita sunt, præterita occulta, futura quæ ipsi facturi sunt. Ast non cognoscunt ea, quæ omnino in animo latent, uti sunt cogitationes internæ hominum et secreta cordium, quæ nullatenus externe sunt manifestata. Neque præscire possunt dæmones futura libera. Nihilominus præ sua sagacia certius quam homines conjecturali scientia aliqua futura divinare possunt; imo cum dæmones hominum passiones et inclinationes ex quibusdam signis sæpe optime perspectas habeant, et cum plurimi homines suas passiones atque inclinationes corporales sequantur, etiam de actibus hominum liberis multa majori vel minori probabilitate prædicere possunt. Sed si agitur de prædictionibus factorum, quæ vel a libera Dei voluntate, vel a multiplicibus hominum liberis determinationibus pendent et longo tempore distant, ita ut nulla conjecturali cognitione prædici queant, manifeste constat, hujusmodi prædictiones non nisi a Deo proficisci posse atque veras prophetias esse. Si quando in casu particulari ex prædictionis modo et re prædicta non certo dignosci possit, utrum prædictio a Deo vel a dæmone

sit, tunc, uti supra monuimus, præsertim attendenda sunt adjuncta moralia, ut rectum judicium feratur.

3. Quod ad *oracula gentilium* attinet, censemus ea partim sacerdotum et divinatorum fraudibus, partim naturali divinationi, et partim, ut antiqui Patres, annuente ipsa Scriptura (Act. XVI, 16—18), existimant dæmonibus esse tribuenda. Ceterum sunt discrimina inter vaticinia biblica et oracula gentilium, quibus hæc ab illis facile distinguantur. Et re quidem vera, aliis etiam prætermissis, oracula paganorum *a*) erant tantum *effata singularia,* nulla ratione inte se nexa; *b*) agebant de eventibus *proxime. instantibus*, adeoque conjecturæ subjectis, ut certis personis vel civitatibus consuleretur; *c*) sæpe adeo *vaga* et *ambigua* erant, ut quidquid accideret, prædictum fuisse videretur. Hæc testatur ipse *Cicero* (de divin. l. 2. c. 56) loquens de oraculis Apollinis. Si quæ forte fuerunt apud gentiles veræ prophetiæ, sicut nonnullis videntur oracula *Sybillina* (1) (quidquid est de eorum veritate historica), certe non fuerunt editæ ad confirmandam superstitionem paganam, sed potius ipsi confirmationi religionis christianæ inserviunt. Talia autem vaticinia in confirmationem veritatis vel ab infidelibus fieri non repugnat, quemadmodum etiam Balaam impius vir prophetavit.

CAPUT IV.

DE OFFICIO SUSCIPIENDI DIVINAM REVELATIONEM.

187. I. **Exponitur quæstio.** Demonstrata revelationis tum possibilitate, tum necessitate, tum cognoscibilitate, ultimo loco quærendum est, utrum homo teneatur divinam revelationem suscipere et veritates revelatas actu fidei divinæ credere. Licet hæc quaestio jam soluta censeri possit iis, quibus supra ostendimus hominibus incumbere officium profitendi veram religionem, eam tamen propter logicum ejus nexum cum antecedentibus et propter ejus momentum hic penitus omittere non possumus.

188. Fidei, quam homo Deo revelanti exhibere tenetur,

(1) Cf. *Jungmann,* l. c. art. 7.

opponitur *infidelitas;* sicut enim ille qui Deo revelanti credit dicitur *fidelis* ita ille qui non credit dicitur infidelis. Duplex autem distinguitur infidelitas, una *negativa,* alia *positiva.*

1. *Infidelitas pure negativa* est carentia fidei ex pura ignorantia, sicut est in illis, qui nihil audierunt de fide. Cum autem fides sit ex auditu et homo ad impossibile non teneatur, hæc infidelitas non est culpabilis. Quare „qui sic sunt infideles, damnantur quidem propter alia peccata, quæ sine fide remitti non possunt; non autem damnantur propter infidelitatis peccatum. Unde Dominus dicit Joan. XV, 22: Si non venissem et locutus eis non fuissem, peccatum non haberent" (S. Thom. 2. 2. q. 10. a. 1).

2. *Infidelitas positiva* est contrarietas ad fidem, quatenus nempe aliquis renuit audire fidem, vel etiam contemnit ipsam. Infidelitas proinde positiva præsupponit auditum et cognitionem revelationis, sed huic contradicit per actum intellectus imperatum a voluntate; ita ut infidelitas positiva sit in voluntate sicut in causa, et in intellectu sicut in subjecto. Hinc infidelitas positiva dari non potest sine positivo actu voluntatis, sed dari tamen potest sine positivo actu intellectus. Potest enim voluntas etiam contrariari fidei aut renuendo audire, aut media audiendi negligendo; quo in casu respectu intellectus est quidem ignorantia et ideo ex hac parte infidelitas negativa: sed hæc ignorantia est volita et culpabilis, et ideo ex hoc capite infidelitas intellectus est positiva, non quidem in se sed in sua causa.

Hæc quæstio non est de infidelitate negativa, ubi enim est pura ignorantia, non vincibilis per media quæ homo pro sua facultate adhibere potest, non est quærendum officium quod homo sine culpa omittere nequeat. Tota igitur quæstio est de infidelitate positiva, quæ radicaliter oritur ex superbia, ex qua fit ut homo Deo revelanti intellectus et voluntatis obsequium fide præstare renuat (*Zigliara* Propædeutica ad S. Theol. l. 2. c. 15).

189. Officium amplectendi divinam revelationem negant Naturalistæ et Rationalistæ ac generatim omnes illi qui rationis independentiam prædicant. Commemorandus hic nominatim est error quorumdam Rationalistarum, qui reverentiam aliquam erga divinam revelationem affectantes concedunt eam

posse ab homine suscipi, nullo rationis jure violato; sed docent hominem ad fidem amplectendam *non teneri.* Dicunt enim revelationem et fidem, sicut ordinem supernaturalem universim, peculiari Dei favori ita tribuendam esse, ut proprie habeat rationem *privilegii.* De natura autem privilegii est, aiunt, quod nemo teneatur illud acceptare. Hoc sophismate ipsi independentiam rationis vindicare et obligationem credendi eliminare student. Contra omnes istos errores gravissimam obligationem acceptandi divinam revelationem et officium credendi inculcat *Concilium Vaticanum,* (Const. *Dei Filius* c. 3*)* docens: „Cum homo a Deo tamquam Creatore et Domino suo totus dependeat et ratio creata increatæ veritati penitus subjecta sit, plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium fide præstare tenemur." Et in subjecto canone 1 statuit: „Si quis dixerit, rationem humanam ita independentem esse, ut fides ei a Deo imperari non possit; a. s."

190. II. **Statuitur vera doctrina.**

Thesis. Homini incumbit gravissima obligatio suscipiendi divinam revelationem.

Prob. 1. Maximum sane hominis officium est ordinare se et omnes actiones suas in Deum, cui adhærere debet ut *indeficienti principio* et *ultimo fini.* Atqui qui per infidelitatem renuit suscipere divinam revelationem, huic maximo officio directe contradicit; quia renuit se subjicere Deo revelanti et per infidelitatis peccatum a Deo aversatur.

191. Huc pertinet 2. duplex ratio, qua *Concilium Vaticanum* inculcat obligationem credendi. *a)* Prima eaque generalis petitur ex essentiali hominem inter et Deum relatione: ex pleno et absoluto dominio Creatoris et huic respondente absoluta dependentia creaturæ. Ex hac enim relatione Deo inest non tantum jus sed et necessitas postulandi, ut suprema sua majestas a creatura rationali agnoscatur. Quando autem Deus supernaturali manifestatione se revelat homini, hæc agnitio præstanda est per fidem, in qua nobilissimæ hominis facultates, voluntas et intellectus, conveniunt, et suam plenam a supremo Domino dependentiam protestantur. Hinc Deus sese revelans fidem postulat non solum ut testis verax vel sapiens magister, sed illam necessario exigit ut Creator et Dominus supremus, cui homo fidem præstare vi supremi dominii

Creatoris strictissime tenetur. Ideo fides est initium salutis, radix et fundamentum omnis justificationis, quia sine fide nulla exhibetur Deo revelanti obedientia debita, per illam vero et ex illa homo ad Deum illi placiturus accedit.

b) Ratio humana, utpote creata et participatio quædam increatæ veritatis, natura sua subordinata ac subjecta est suo archetypo, atque ideo pro norma omnis suæ cognitionis necessario habere debet ipsam veritatem increatam. Quare ubi hæc veritas increata se revelat homini, strictissima urget obligatio, ut ratio illi assentiatur sub imperio voluntatis.

192. Hinc 3. qui contra hoc gravissimum officium divinam revelationem respuendo debitam suæ mentis subjectionem Deo summæ Veritati denegant, justo Dei judicio triplicem miserrimam servitutem incurrunt. Incurrunt servitutem ignorantiæ, quatenus destituti manent notitia altissimarum veritatum, quæ humanæ rationis captum superant; servitutem erroris, quatenus vel in ipsis veritatibus naturalibus turpiter errant, uti videre est apud omnes qui revelationis lumine destituuntur; servitutem suarum passionum, quatenus vera et intima ratio, propter quam Deum loquentem audire nolunt, est christianæ revelationis repugnantia cum corruptæ naturæ passionibus.

193. *Neque divinæ fidei supernaturalitas eximit ab obligatione eam amplectendi.* Etenim divina revelatio, sicut totius ordinis supernaturalis institutio, non est tantum effectus benignitatis divinæ, sed simul etiam actus supremi dominii, quod Deus in creaturas habet. Non habet igitur meram rationem favoris ac privilegii, quod quisque respuere possit, sed veram inducit obligationem Deo revelanti credendi. Præclare *Concilium Coloniense* (Decret. P. 1. c. 4): „Profecto si Deus ad homines loquitur, eo loquitur consilio, ut sibi fides habeatur. Nec potest is, qui fidem detractat, non inferre injuriam aut Dei scientiæ et veracitati, dum eum erroris vel fraudis non expertem innuit, aut Dei sapientiæ, dum eum absque consilio agere et loqui opinatur, aut supremo ejus dominio, cui se non vult submittere, unde etiam æternæ damnationis reus pronuntiatur."

Neque putandum est, duplicem de facto existere ordinem, alterum naturalem, alterum supernaturalem, ita ut alterutrum eligere liceat. Ex christiana enim revelatione plane innotescit,

omnes destinatos esse ad finem supernaturalem, ita ut iis, qui hunc finem respuunt eoque se indignos reddunt, alius assequendus non relinquatur. Quare Christus (Marc. XVI, 16) dicit: „Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit: *qui vero non crediderit, condemnabitur.*" (1)

194. **Corollarium.** Ex demonstrata obligatione pro hominibus amplectendi divinam revelationem jam sufficienter sequitur, *maximum etiam auctoritati civili incumbere officium suscipiendi et inculcandi divinam revelationem.* Huc pertinent ea, quæ supra adduximus ad probandam necessitatem religionis pro societate. Istud officium manifeste consequitur ex *fine* societatis, ex ipsa *natura auctoritatis civilis,* et ex *natura legum,* quibus auctoritas civilis societatem regere debet. (2)

PARS II.

DE DIVINÆ REVELATIONIS EXISTENTIA.

Prænotanda. Status quæstionis; probationis indoles et fontes; historica evangeliorum auctoritas.

195. I. **Status quæstionis.** In prima parte vindicavimus possibilitatem, congruentiam imo moralem necessitatem divinæ revelationis. Simul statuimus criteria seu notas, ex quibus certo ac tuto dignosci potest, aliquam religionem a Deo revelatam, adeoque veram esse. Demum ostendimus, hominibus incumbere gravissimum officium amplectendi divinam revelationem, si Deus eam de facto dederit. Jam de hoc ipso facto in hac secunda parte nobis est agendum: inquirendum scil. est, utrum existat revelata religio et quænam illa sit.

Licet autem plures in mundo existant religiones, non tamen necesse est eas omnes et singulas examini subjicere. Cum enim una earum, christiana nempe religio, quæ divinam sibi vindicat originem, in toto mundo propagata singulari splendore

(1) Cf. *Mazzella,* de virt. infusis, disp. 4. art. 7 et 8; *Zigliara,* l. c. *Ottiger,* § 27.
(2) Cf. *Zigliara,* l. c. c. 16.

fulgeat, omniumque oculos ad se trahat, ad hanc merito nostram inquisitionem statim dirigimus: eo vel magis, quod si probata fuerit hujus religionis divina origo ac veritas, indirecte constat, reliquas religiones ipsi oppositas falsas esse. Quare inquisitionem de existentia revelationis ad religionem christianam restringentes, demonstrabimus in concreto religionem christianam a Deo revelatam adeoque veram esse.

196. II. **Probationis indoles.** Argumenta, quibus divina origo religionis christianæ evincitur, tam multa et varia sunt, tum interna tum externa, ut illa saltem simul sumpta plenissime sufficiant cuilibet homini veritatem sincere inquirenti. Ne autem hic noster tractatus extra compendii limites excurrat, ista omnia et singula proponere et expendere haud possumus. Quare præcipua tantum argumenta, plane tamen peremptoria, proponemus. Ut vero in hisce exponendis ex ordine procedamus, ea ad duplex argumentum generale reducemus. Divinitas religionis christianæ splendidissime manifestata est multiplicibus signis divinis, quæ ejus tum *ortum* tum *subsequentem existentiam* comitantur. Pro duplici illo christianismi stadio duplicem generalem afferemus demonstrationem. Primo igitur divinam originem religionis christianæ ostendemus ex *divina missione Christi,* qui eam instituit: si enim Christus est legatus Dei divinitus missus ad instituendam religionem, profecto religio ab ipso instituta est divina. Deinde divinitatem ac veritatem christianismi probabimus ex aliis quoque signis et notis, quibus Deus religionem ac societatem christianam jam constitutam decursu temporis comprobavit. Quare hanc secundam nostri tractatus partem apte dividimus in duo capita: primo agemus *de divina Christi missione* seu *de divina christianæ religionis institutione;* altero *de divina christianæ religionis confirmatione.*

197. III. **Fontes probationis.** Argumenta, quibus demonstrabimus divinam missionem Christi et consequenter divinam christianæ religionis institutionem, potissimum desumuntur ex Scriptura N. T., nominatim ex *evangeliis*, quibus fere omnia, quæ de Christo scimus, innituntur. Ut autem ex illis libris valida depromere possimus argumenta, de eorum auctoritate historica prius constare debet. Quare antequam christianismi demonstrationem aggredimur, evangeliorum valorem historicum

saltem breviter vindicemus oportet, eo vel magis quod increduli illum omnibus modis eliminare student.

198. Loquimur hic tantum de auctoritate *historica* seu *humana* evangeliorum, quæ ad nostram demonstrationem sufficit, non vero loquimur de eorum auctoritate divina seu inspiratione. Porro *auctoritas* alicujus libri, ea nempe libri proprietas, qua aptus est ad gignendam fidem, certitudinem historicam, coalescit ex libri *genuinitate* (authentia), *integritate* et *veracitate*. *Genuinus* dicitur aliquis liber cum eum habet auctorem, cujus nomen præ se fert, vel cui vulgo tribuitur; aut saltem conscriptus fuit eo circiter tempore, ad quod refertur. Liber qui non est genuinus, dicitur suppositus, spurius. Liber dicitur *integer*, qui talis est, qualis ab auctore prodiit, qui scil. quoad substantialia saltem non est interpolatus aut imminutus, sed integer et incorruptus ad nos pervenit. Corruptio accidentalis, quæ nec sensum verborum nec substantiam factorum mutat, integritati ad fidem faciendam requisitæ non obstat. *Verax* est liber, cujus auctor veritatem eorum quæ scribit cognoscere potuit et dicere voluit.

199. IV. **Statuitur historica evangeliorum auctoritas.**

Thesis. Quatuor Jesu Christi evangelia 1. genuina, 2. substantialiter integra, 3. veracia sunt.

Prob. 1ma pars: evangelia sunt genuina. Genuinitas alicujus libri potissimum probatur testimoniis historicis, quibus dein in confirmationem etiam argumenta interna addi possunt; nam utrum liber aliquis certo tempore a certo auctore scriptus sit, factum est historicum, adeoque testibus probandum.

Hinc 1. *argumento generali*, quod vocant *præscriptionis* seu *possessionis*, uti possumus. Ecclesia christiana, societas adeo numerosa, per totum orbem diffusa, quatuor evangelia a se possessa, sibique ab illis viris per quos fundata fuit tradita esse, inde ab antiquissimo tempore universaliter, publice et constanter credidit atque testata est. Atqui hoc universale et constans Ecclesiæ testimonium de re summi momenti apud se facta et ad ipsam proprie pertinente, uti verum admitti debet, nisi aperte falsum aliunde probetur. „Quis tandem, ait ad rem *Augustinus* (contra Faustum, l. 33. c. 6), tanto furore cæcatur .... qui dicat, hoc mereri non potuisse Apostolorum Ecclesiam, tam fidam, tam numerosam fratrum con-

cordiam, ut eorum scripta fideliter ad posteros trajicerent, quum eorum cathedras usque ad præsentes Episcopos certissima successione servaverint, cumque hoc qualiumcumque hominum scriptis, sive extra Ecclesiam, sive in ipsa Ecclesia, tanta facilitate proveniat." Ergo.

200. *Prob. 2. Ex disertis testimoniis,* ex quibus manifesta fiet illa constans inde a tempore apostolico Ecclesiæ fides ac testificatio. *a*) Ex testimoniis *domesticis.* Sæculo IV evangelia jam haberi ut genuina apud Christianos, explorata res est atque ab omnibus admissa. Sufficit afferre testimonium *Eusebii* historici accuratissimi qui, antecessorum scriptis exploratis, (in l. 3. Hist. Eccl. c. 25) elenchum librorum Novi Testamenti *communi omnium consensu* receptorum describens, quatuor evangelia cum scriptorum nominibus recenset.

Sæc. III. S. Cyprianus (Testimoniorum l. 3), ex evangeliis testimonia proferens, quatuor evangelistas expresse nominat. *Tertullianus,* qui quatuor evangelia citat circiter vicibus 1550, diserte testatur (contra Marcionem, l. 4. c. 2): „Nobis fidem ex apostolis Joannes et Matthaeus insinuant, ex apostolicis Lucas et Marcus instaurant." *Origines* (apud Eusebium, l. 6 c. 25) ait: „Sicut ex traditione accepi de quatuor evangeliis, quæ sola in *universa Dei Ecclesia,* quæ sub cœlo est, citra controversiam admittuntur; primum scilicet evangelium scriptum esse a Matthæo. . . . . Secundum fuisse accepimus evangelium Marci. . . . . Tertium evangelium Lucæ. . . . . Postremum vero evangelium Joannis."

Sæc. II locupletissimi sunt testes: *Clemens* alexandrinus, qui evangelia jam ex traditione repetit, et ea vicibus circiter 577 citat. *S. Irenæus,* qui in suo adversus hæreses opere sæpissime iis utitur, explicite testatur (adv. Hær. l. 3. c. 1), Matthæum, Marcum, Lucam et Joannem evangelia scripsisse. Sæpissime etiam evangeliis utitur *S. Justinus.* Quibus addi possunt *Hegesippus* vicinus Apostolorum temporum; *Dionysius,* qui fuit Corinthiorum episcopus; *Tatianus,* Justini sectator; *Theophilus* antiochenus qui, teste S. Hieronymo, „quatuor Evangelistarum in unum opus dicta compingens, ingenii sui nobis monumenta emisit."

Imo apud ipsos *scriptores apostolicos,* licet pauca admodum eorum supersint scripta, evangelia sæpius et expressius quam

expectari posset, vel diserte vel æquipollenter formulis diversis citata reperiuntur. Sic *S. Clemens* Romanus ex Matthæo et Luca textus distincte profert, ex Marco autem conjunctim cum Matthæo. *S. Papias* apostoli Joannis discipulus Matthæum et Marcum ut evangeliorum auctores nominat. *S.S. Ignatius* et *Polycarpus* in suis epistolis evangeliorum textus frequenter afferunt.

His antiquorum scriptorum testimoniis suffragantur omnia exemplaria plurimarum Ecclesiarum in universo orbe tam manuscripta, quam impressa, sive in lingua originali, sive versiones, quæ omnia eadem auctorum nomina pro Evangeliis referunt.

b) Testimoniis domesticis addi possunt testimonia *externorum* et imprimis veterum *hæreticorum,* Ebionis, Marcionis, Valentini, aliorumque, qui evangeliis utuntur, et quidem sub eorumdem apostolorum nomine, atque ex illis suas doctrinas suadere nituntur. Hinc jam sæc. II *S. Irenæus* (adv. hæreses, l. 3. c. 11. n. 7) scribit: „Tanta est autem circa evangelia hæc firmitas, ut et ipsi hæretici testimonium reddant eis, ut ex ipsis egrediens unusquisque eorum conetur suam confirmare doctrinam." Imo genuinitatem evangeliorum testantur ipsi *gentiles,* Celsus, Porphyrius, Julianus Apostata, qui licet evangeliorum doctrinam et facta impugnarent, eorum tamen authentiam numquam in dubium vocarunt.

201. Evangeliorum genuinitas 3. *confirmatur argumentis internis.* Sane evangelia ætatis apostolicæ manifesta præbent indicia. Ut horum, pro instituto nostro, pauca tantum innuamus: *stylus,* hebraismis refertus, prodit scriptores origine non græcos sed hebræos, quales sunt evangelistæ. *Narrationis modus* simplex et ingenuus, minutissimus tamen de singulis adjunctis temporum, personarum et locorum, manifestat scriptores, qui testes fuerint eorum quæ scribunt sive immediati, sive mediati ut socii testium. Quæ in evangeliis occurrunt relationes et notitiæ de rebus diversis et minutissimis accuratam produnt cognitionem rerum et status Judæorum, quæ fuerunt tempore Christi, et omnino concinunt iis, quæ scriptores judæi et gentiles de iisdem referunt. Omnia narrationis evangelicæ adjuncta ita locis, moribus, tempori Christi respondent, nominatim ea quæ ad topographiam et rem numismaticam spectant,

ut non nisi ab auctoribus coævis ita accurate describi potuerint; eo vel magis, quod paulo post maxima rerum publicarum in Palæstina accidit mutatio. (1)

202. Ex argumentis, quibus nostrorum evangeliorum genuinitatem probavimus, perspicuum est, hanc nullatenus infirmari ex eo, quod primis sæculis evangelia apocrypha et spuria circumferrentur. Etenim genuina evangelia ab apocryphis semper distincta fuerunt; apocrypha qua talia nota erant, ut apparet ex Eusebio (Hist. Eccl. 3, 25); ea numquam pro genuinis habita sunt; apud antiquissimos Patres, Ignatium, Polycarpum, Justinum, illorum nulla fit mentio dum econtra genuina evangelia ab ipsis commemorantur. Imo ex eo, quod alii libri ab Ecclesia recepti non fuerint, nisi illi, qui canone continentur, maxime apparet summa Ecclesiæ vigilantia ac sollicitudo.

203. *Prob. 2da pars. Evangelia mansisse substantialiter integra,* pariter indubium est et iisdem fere probatur argumentis, quibus eorum genuinitatem demonstravimus. Etenim

1. Critici omnes aliquem librum certissime habent quoad substantiam integrum et incorruptum, si ejusdem codices antiquissimi cum recentioribus, quoad substantiam, conveniunt; si cum textu originali consentiunt etiam versiones variis ætatibus, variis locis factæ; si ab antiquis scriptoribus ex illo frequenter textus citantur, qui in nostris quoque codicibus eodem modo leguntur. Atqui *a*) evangeliorum codices antiquissimi, qui detecti fuerunt, et in variis bibliothecis asservantur, omnes, quoad substantiam, tum inter se tum cum recentioribus nostris codicibus plane consentiunt. *b*) Omnes versiones, quæ numerosissimæ sunt, quarum aliquæ antiquissimæ, uti syriaca et latina quæ jam sæculo secundo medio existebant, tam inter se quam cum textu originali quoad substantiam conveniunt. *c*) Textus ex evangeliis desumpti, qui frequentissime occurrunt apud scriptores ecclesiasticos priorum sæculorum, apud antiquissimos etiam, in nostris codicibus eodem modo leguntur. Ergo evangelia mansisse substantialiter integra secundum severissimas etiam regulas criticas omnino est asserendum.

204. Imo 2. facile ostenditur, *substantialem evangeliorum corruptionem plane impossibilem fuisse.* Sane ex antiquitatis

(1) Cf. *F. Vigouroux,* Le N. Testament et les découvertes modernes.

testimoniis liquet, evangelia inde ab initio habita fuisse ut publica societatis christianæ documenta summi momenti, eadem in summa veneratione fuisse apud christianos, sub vigilanti custodia pastorum conservata, et in conventibus christianorum ut scripturas sacras publice lecta. Jam vero facile intelligitur, in talibus documentis substantiales mutationes introduci haud potuisse; si quis hoc attentare voluisset, statim commota fuisset Ecclesia et omnes tum pastores tum fideles reclamassent. Hæc corruptionis impossibilitas adhuc evidentior fit ex eo, quod evangelia et quæ in illis tradebantur notissima erant scriptoribus ecclesiasticis, qui in suis operibus ex illis textus continuo citant, ita ut evangeliorum dogmata, facta, miracula fere integra prostarent in Patrum scriptis; mox evangeliorum exemplaria ubique terrarum diffusa et in varias linguas translata sunt. Quare concludimus verbis *S. Augustini* (de util. cred. c. 3): „Nihil mihi videtur ab eis impudentius dici, vel ut mitius loquar, incuriosius vel imbecillius, quam Scripturas divinas esse corruptas, cum id nullis in tam recenti memoria exstantibus exemplaribus possint convincere." Imo corruptionem impossibilem reputat idem *Augustinus* (Cont. Faustum, l. 32. c. 16) scribens: „Quisquis enim hoc primitus ausus esset, multorum codicum vetustiorum collatione confutaretur, maxime quia non una lingua, sed multis eadem Scriptura contineretur."

205. *Prob. 3^tia pars: evangelia sunt veracia.* 1. Posita evangeliorum genuinitate et integritate, ut ea quæ in illis narrantur ab omnibus vera haberi debeant, requiritur tantum, ut sufficienter constet eorum Auctores tum debitam habuisse eorum, quæ scribunt, scientiam, tum candida sinceritate scripsisse. Atqui utrumque quoad Scriptores evangeliorum omnino indubium est. *a*) *Non defuit ipsis debita scientia.* Nam duo evangelistæ, Matthæus et Joannes, fuerunt testes immediati eorum, quæ fecit et docuit Christus; duo alii, Marcus et Lucas, ea scripserunt magna adhibita diligentia, quæ ipsis communicata sunt a testibus immediatis fide dignissimis, uti initio sui evangelii advertit S. Lucas. *b*) *Non defuit ipsis sinceritas,* qua non nisi vera scribere voluerunt. Hanc enim invicte testantur 1) eorum vita integerrima et sanctissima; 2) modus narrandi simplex et ingenuus, ab omni fuco et

affectatione quam maxime alienus; 3) candida sinceritas, qua propriam vilem conditionem, suos defectus tardi ingenii, pusillanimitatis, æmulationis referunt, nec ea, quæ in aliquod dedecus sui Magistri vergere poterant, reticent; 4) maxima confidentia, qua narrant facta publica coram Judæis, quibus nota erat vita Christi, quique proinde facile illos, si falsa retulissent, mendacii convincere potuissent, idque certissime fecissent quia christianismo infensissimi erant. Accedit demum 5) quod evangelistæ ex mendacio nullum emolumentum sive pro hac sive pro altera vita sperare potuissent; nemo autem gratis mendax. Imo pro veritate suorum testimoniorum non solum plurimas ærumnas, sed ipsam etiam mortem invicto animo tolerarunt.

206. 2. Talis est natura evangeliorum, ut evangelistæ, etiamsi voluissent, *non potuissent ea confingere.* Etenim *a*) quomodo homines, qui rudes dicuntur, umquam excogitare potuissent doctrinam tam sublimem, qualem continent evangelia? Quomodo confingere potuissent illud virtutis exemplar plane divinum, quod in Christo Jesu nobis exhibetur? Quomodo, cum Judæi exspectarent Messiam mundanum et gloriosum, scriptores judæi confinxissent Messiam pauperem et humilem, ignominiosissima morte affectum?

b) Evangelistæ narrant facta publica, in conspectu plurimorum coævorum peracta, ea narrant cum minutissimis adjunctis, assignando etiam locum et tempus; talis autem narratio, uti patet, confingi non potest, vel saltem, si quis eo progrederetur audaciæ aut insipientiæ, hujusmodi deceptio statim detegeretur. (1)

207. **Scholion.** *Facta Christi ab auctoribus etiam profanis commemorantur.* Demonstrata historica veritate evangeliorum per se concidunt impia et absurda placita mythismi biblici, cujus patroni eo usque progressi sunt, ut vel ipsam Christi existentiam in dubium vocare audeant, vel saltem ejus facta et gesta non nisi fictiones quasdam imaginarias esse dicant. Non est necesse, neque hujus tractatus limites sinunt, impium illud systema data opera refutari.

---

(1) De evangeliorum auctoritate Cf. *Cornely,* Introductio, t. 3. diss. 1; *Schanz,* Apologie, t. 2. c. 12 et 15; *Lamy,* Introduct. in S. Script. introd. spec.; *Pesch,* Prael. Dogm. t. 1. n. 72 sqq.

Non abs re tamen erit hic obiter animadvertere, etiam apud historicos profanos de Christi vita ac morte, deque religione ab ipso fundata explicita occurrere testimonia; licet hæc brevia et rara sint atque per accidens prolata, quod tamen nullus mirabitur, qui ad rationem librorum quos scribebant attenderit. Prætermissis etiam testimoniis Taciti (Annal. XV. 44), Suetonii (Vit. Claudii, c. 25), ac Plinii (Epist. l. X. 97), tantum afferemus luculentissimum de Christo testimonium *Flavii Josephi* (Antiq. Judaic. l. 18. c. 3) scribentis: „Fuit autem hoc tempore Jesus vir sapiens, si tamen virum illum oportet dicere. Erat enim mirabilium operum effector, magister hominum, qui vera libenter amplectuntur. Et plurimos quidem ex Judæis, plurimos etiam ex gentibus ad se pertraxit. Hic erat Christus. Cumque eum a primoribus gentis suæ accusatum Pilatus ad crucem damnasset, ab eo diligendo non abstiterunt, qui primum cœperunt. Nam post tertium diem redivivus ipsis apparuit, cum divini vates hæc aliaque quam plurima admiranda de eo prædixissent. Neque ad hanc diem defecit denominatum ab eo christianorum genus." Hujus celebris testimonii genuinitatem immerito in dubium vocare studuerunt non pauci recentiores inde a sæc. XVI, qui conjecturis ac rationibus fere tantum negativis innixi illud a christianis vel interpolatum vel etiam omnino suppositum esse dicunt. De hac re inter alios consuli potest *Huetius* (Demonstr. evang. Prop. III, n. 11 sqq.), qui jam varia argumenta pro genuinitate illius Josephi testimonii paucis complectitur ac proponit. (1)

Ceterum realem Christi existentiam ejusque opera testatur tota humani generis historia, clamat ipsa religionis et Ecclesiæ christianæ existentia; neque enim hæc per mythos et fabulas explicari possunt. Et re quidem vera historia generis humani ante et post Christum, origo, propagatio et perduratio religionis et Ecclesiæ christianæ supponunt et exigunt existentiam et miracula Christi, atque generatim veritatem eorum, quæ de Christo in evangeliis traduntur.

---

(1) Cf. *Hurter*, n. 57; *Pesch*, n. 138; fusius de illo testimonio *Danko*, Historia revel. divin. N. T. p. 308 sqq.

CAPUT I.

DE DIVINA CHRISTI MISSIONE, SEU DE DIVINA RELIGIONIS CHRISTIANÆ INSTITUTIONE.

208. Ad probandam divinam Christi missionem duplex generale afferemus solemne et authenticum testimonium, scil. *testimonium prophetarum Veteris Testamenti,* et *testimonium ipsius Christi.* Ostendemus itaque, in Christo Jesu adimpleta esse vaticinia, quibus Deus diu ante ejus adventum prædixit ac promisit futurum Messiam, adeoque Christum esse Messiam a Deo promissum, legatum divinitus missum ad instituendam veram religionem. Demonstrabimus, Christum ipsum multiplici modo, nominatim miraculis ac prophetiis a se editis, suam divinam missionem invicte comprobasse. Illud duplici distincto articulo præstabimus. Juvabit animadvertere, illis argumentis, quibus ostendemus divinam missionem Christi, ipsius etiam divinitatem aptissime probari; nos tamen hic directe tantum vindicare illam divinam missionem, tum quia hoc ad pandendam divinam christianæ religionis originem sufficit, tum quia Christi divinitas in tractatu de Verbo incarnato data opera demonstratur.

Art. I. **Testimonium prophetarum V. T. de divina Christi missione.**

209. Ut ostendatur, Christum esse Messiam divinitus promissum, duo sunt probanda: 1 *dari in V. T. vera vaticinia messianica* diu ante Christum edita, quibus Messias promittebatur et magna adjunctorum varietate delineabatur; 2. *illa vaticinia in Jesu Christo, et in eo solo esse adimpleta.* Hæc probabimus duobis distinctis paragraphis, sed, prout institutum nostrum postulat, breviter tantum et ratione quadam generali, quin singula vaticinia vindicemus et accuratius expendamus. (1)

(1) De vaticiniis messianicis Cf. *Reinke,* Beiträge zur Erklärung des A. Test.; Messian. Weissagungen etc.; *Knabenbauer,* Comment. in prophetas; *Meignan,* Prophéties messianiques; *Bade,* die Christologie des A. Test.; *Hurter,* l. c. n. 35 sqq.; *Pesch,* l. c. n. 217 sqq.; *Tanquerey,* de vera relig. n. 232 sqq.; *Jansen,* l. c. § 34.

§ 1. DANTUR IN V. T. VERA VATICINIA MESSIANICA, QUIBUS MESSIAS PROMITTEBATUR ET MAGNA ADJUNCTORUM VARIETATE DELINEABATUR.

210. Tria itaque hic sunt probanda: 1. dari vaticinia messianica; 2. ea genuina esse, vel saltem diu ante Christum edita; 3. illis Messiam non solum promitti, sed et magna adjunctorum varietate delineari.

I. **Dantur vaticinia messianica.** Prætermissis etiam aliis argumentis, hoc luculenter constat ex exspectatione Messiæ penes Judæos jam diu ante Christum existente, cujus exspectationis fundamentum et alimentum fuerunt prophetarum vaticinia.

1. *Judæos jam diu ante Christi nativitatem Salvatorem quemdam seu Messiam exspectasse,* factum est certissimum ac notissimum. Etenim *a*) hæc exspectatio est nota propria populi judaici, uti ex tota ejus historia liquet. *b*) Hujus exspectationis multa inveniuntur manifesta indicia et argumenta in evangeliis. (1) Hinc Judæi videntes magnum Christi miraculum multiplicationis panum statim inferebant (Joan. VI, 14): „Quia hic est vere propheta, qui venturus est in mundum." Hanc autem exspectationem tempore Christi tam universalem, tam indubiam, non tunc primum ortam, sed ex traditione majorum repetendam esse ex his ipsis illius characteribus manifestum est. *c*) Eadem expectatio reperitur quoque apud Samaritanos, quod colligitur ex iis, quæ mulier samaritana apud Joan. IV, 25 dixit Christo: „scio, quia Messias venit." *d*) Accedit demum, circa tempus Christi multos apparuisse pseudomessias magnasque Judæorum turbas excitasse, quod factum non nisi ex illa universali ac firma exspectatione apte explicatur (*Hurter*, n. 35).

2. *Prædictam Messiæ exspectationem innixam fuisse prophetarum vaticiniis,* haud minus manifestum est. Hoc constat *a*) ex allatis evangeliorum testimoniis. (2) *b*) Id expresse profitentur Judæi, ita enim in *Talmude* (tr. Sanhedrim, c. chelek) legitur: „Omnes prophetæ non vaticinati sunt nisi

(1) Matth. II, 2 sqq.; XI, 2 sqq.; Luc. I, 76 sqq.; II, 25 sqq.; Joan. I, 19 sqq.; VI, 14; VII, 31; XII, 34.
(2) Nominatim ex Matth. II, 2 sqq.; Luc. I, 70 sqq.; Joan. I, 45.

de diebus Messiæ." *c*) Liquet ex ipsa illius exspectationis natura; cum enim hujus exspectationis objectum esset singulare beneficium a sola liberrima Dei benignitate pendens, hæc tam late diffundi, tam altas agere radices, tamdiu conservari non potuisset, nisi divinis promissionibus seu vaticiniis niteretur. Hinc *d*) tum Christus tum Apostoli contra Judæos ad prophetarum vaticinia confidenter appellant, ut inde probent Messiam jam venisse et Christum esse Messiam promissum.

211. II. **Vaticinia messianica sunt genuina,** *vel saltem diu ante Christum edita.* Etenim *a*) reperiuntur in libris, diu ante Christum conscriptis, et a Judæis nota tenacitate ac religione conservatis. *b*) Admittebantur a toto populo hebræo, uti liquet ex præcedentibus. *c*) Vaticinia messianica non esse post eventum conficta, præterquam quod jam manifestum est ex dictis, constat insuper tum ex versione Alexandrina, quæ diu ante Christum confecta illas prophetias continet, tum manifestissime ex sententia Judæorum, qui propter prophetias in S. Scriptura consignatas adhuc exspectant Messiam, quorum testificatio eo est efficacior, quod contra seipsos testimonium ferant.

212. III. **Prophetarum vaticiniis Messias magna adjunctorum varietate delineatur.**

1. Prædicitur Messiæ *origo a*) ex *Abraham, Isaac* et *Jacob* Gen. XXII, 18: „Benedicentur *in semine tuo* omnes gentes terræ" (1). Prædicitur itaque Messiam fore ex populo hebræo, benedictionem tamen ab ipso afferendam non coarctari ad solum populum judaicum sed ad omnes gentes extendi. Prædicitur *b*) eum fore *ex domo et familia David:* „Et egredietur virga de radice Jesse *et flos* de radice ejus ascendet" (Is. XI, 1). Quare cum Christus sciscitaretur a pharisæis (Matth. XXII, 42): „Quid vobis videtur de Christo? cujus filius est? Dicunt ei: *David.*" Prædicitur *c*) ejus origo ex *Virgine* Is. VII, 14: „Ecce *virgo* concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel."

213. Prædicitur 2. *nativitatis locus,* scil. *Bethlehem Judæ.* Ideo cum Magi venientes Jerosolymam interrogarent (Matth. II): „Ubi est qui natus est Rex Judæorum;" et cum Herodes

(1) Cf. ibid. XII, XVIII, XXVI, XXVIII.

sciscitaretur a principibus sacerdotum et scribis populi ubi Christus nasceretur, „illi dixerunt ei: *in Bethlehem Judæ;* sic enim scriptum est per prophetam (Mich. V, 2): Et tu Bethlehem, terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel."

214. Prædicuntur 3. adjuncta adventus ejus: *a) tempus* Gen. XL, 10: *„Non auferetur sceptrum de Juda et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit exspectatio gentium."* Sensus hujus vaticinii certo messianici est: non auferetur principatus de tribu Juda, neque princeps de posteris ejus (aut qui sit ex ejus stirpe oriundus); vel secundum alios: non auferetur politica forma tribus Juda, neque autonomia seu conditio et potestas propriis legibus se regendi a posteris Juda, donec advenerit Messias et huic obsequium gentes præstare cœperint. Accuratius adhuc determinatur tempus adventus Messiæ præclaro vaticinio Danielis IX, 24 sqq. Hoc vaticinio prædicitur, regnum messianicum venturum post *septuaginta hebdomadas* annorum, computandas ab edicto regio, quo Judæis permittebatur rursus ædificare urbem Jerusalem. Incertum quidem est, a quo anno incipiendæ sint illæ hebdomadæ. Quomodocumque autem computantur, tempus, per Danielis vaticinium definitum, in vitam publicam Christi incidit. Prædicitur Messias venturus stante templo *secundo* (Zorobabelico), quod sua præsentia personali ita honoraturus est, ut propterea longe præcellat priori (Salomonico): „Hæc dicit Dominus exercituum. Adhuc unum modicum est, et ego commovebo cœlum et terram, et mare et aridam. Et movebo omnes gentes; et *veniet desideratus cunctis gentibus, et implebo domum istam gloria.* . . . . Magna erit gloria domus istius novissimæ plus quam primæ . . . . . et in loco isto dabo pacem." (Agg. II, 7 sqq.). *b)* Prædicitur Messiæ *præcursor:* „Ecce ego mitto *angelum meum et præparabit viam ante faciem meam.* Et *statim* veniet ad templum suum Dominator, quem vos quæritis; et angelus testamenti, quem vos vultis" (Malach. III, 1). *c)* Prædicuntur adventus *indicia,* scil. signa et miracula: „Dicite pusillanimis: confortamini et nolite timere; ecce Deus vester ultionem adducet retributionis, Deus ipse veniet et salvabit vos. *Tunc aperientur oculi cæcorum et aures surdorum patebunt.* Tunc saliet sicut cervus claudus et aperta erit

lingua mutorum" etc. (Is. XXXV, 4 sqq.). Hinc Judæi miracula habebant tamquam signa venientis Messiæ, uti liquet ex Joan. VI, 14 et VII, 3).

215. Prædicitur 4. ejus *munus* *a*) Erit *Propheta.* (Deuter. XVIII, 15): „Prophetam de gente tua et de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus meus: ipsum audies." *b*) Erit *sacerdos* et quidem secundum ordinem Melchisedech. (1) *c*) Erit *rex.* (2) *d*) Erit *reconciliator* Deum inter et homines; (3) *institutor* fœderis *novi* et *universalis.* (4)

216. Prædicitur 5. ejus *passio* et *mors* et quidem cum minutissimis circumstantiis (Is. LIII). Describit Isaias ibid. v. 12. Messiæ humiliationem cruci affixi inter latrones: „Et cum sceleratis reputatus est;" ejus orationem pro suis crucifixoribus: „Et pro transgressoribus rogavit." Describit idem Isaias (L, 6) flagellationem et ludribria ipsi inflicta: „Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus: faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me." David prædicit. „Foderunt manus meas et pedes meos: denumeraverunt omnia ossa mea" (Ps. XXI, 17 sq.); divisionem vestimentorum inter milites: „Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem" (ibid. v. 19): potionem datam Messiæ pendenti in cruce: „Et dederunt in escam fel; et in siti mea potaverunt me aceto" (Ps. LXVIII, 22); blasphemias in Redemptorem crucifixum: „Omnes videntes me deriserunt me: locuti sunt labiis et moverunt caput. Speravit in Domino, eripiat eum" (Ps. XXI, 8 sq.). Prædicitur *gloriosa* ejus *resurrectio.* (5)

6. Prædicitur *conversio gentium, rejectio populi judaici, urbis et templi destructio.* (6)

§ 2. Vaticinia messianica in Jesu Christo, et in eo solo, revera adimpleta sunt.

217. Ut appareat Jesum Christum esse revera Messiam divinitus prædictum ac promissum, sufficit conferre ea quæ

(1) Ps. CIX. 4.
(2) Ps. II, 6 sqq.; XLIV; LXXI; Zach. IX, 10.
(3) Is. LV, 1 sqq.; Joel II, 23 sqq.
(4) Is. LXI. 1 sqq.; Malach. I, 10 sq.
(5) Ps. XV, 9 sq.; Is. XI, 10.
(6) Ps. LXXI; Is. II, 2 sq.; LXII, 1 sqq. etc.; Dan. IX, 26; Os. III, 4 sq.

de Christo narrant evangelia cum relatis prophetarum vaticiniis. Sane

1. *a*) Christum esse ex semine *Abraham, Isaac* et *Jacob,* et per ipsum ejusque religionem maximam benedictionem redundasse in omnes gentes, a nemine negari potest. Neque alius qui sit ex illo semine assignari potest, ex quo tot et tanta beneficia redundaverint in nationes et personas singulares, quot et quanta ex Christo ejusque religione provenerint. *b*) Christum esse e *familia et domo David* probant tabulæ genealogicæ Matthaei et Lucæ; probat iter Josephi et Mariæ in Bethlehem, civitatem David, narratum Luc. II, 4; probant acclamationes, quibus toties *filius David* vel ab infirmis vel ab universo populo salutabatur. *c*) Christum natum esse ex *virgine* narrant Matthæus (c. I) et Lucas (c. I), qui etiam explicite appellant ad vaticinium Isaiæ.

2. Omnes christiani sciunt et fide tenent, Christum natum esse in *Bethlehem Judæ.* (1)

218. 3. In Christo impleta sunt adjuncta adventus Messiæ. *a*) *Tempus* a prophetis prædictum tempore Christi adimpletum est. Quomodocumque enim in vaticinio jacobæo intelliguntur *sceptrum* et *dux*, manifestum est, omne sceptrum omnemque autonomiam in populo judaico jam diu desiisse, nominatim ex quo urbs et templum funditus deletum fuit sub Tito universusque populus per orbem dispersus. Ergo advenit Messias, in quem illud sceptrum ratione sublimiori transierit. Atqui nullus assignari potest præter Christum, quo adveniente hæc contigerint, quique proinde sit Messias promissus. In Christo impletum fuit vaticinium Danielis: ipse enim vixit circa finem hebdomadarum septuaginta et ante urbis atque templi destructionem, ipse inauguravit novum fœdus, ipse solemnissime a populo judaico rejectus et morti traditus fuit, post ipsum nulla amplius visio, nulla prophetia apud Judæos obtinuit. Christus venit stante templo secundo, quod iterata sua præsentia honoravit, quodque paulo post penitus eversum fuit. *b*) Christus habuit *præcursorem,* Joannem Baptistam, virum eximiæ sanctitatis, qui viam ejus præparavit. *c*) Christum suum adventum manifestasse omnigenis *signis ac miraculis*, ex historia evangelica manifestum est, ut infra, agentes de Christi miraculis, videbimus.

(1) Matth. II, 1; Luc. II, 4 sqq.

219. 4. Christus est *propheta,* qui docuit homines doctrinam salutis et abscondita mysteria eis manifestavit; *rex*, qui novum condidit regnum spirituale, quare Pilato interroganti (Joan. XVIII, 37): „Ergo rex es tu? Respondit Jesus: Tu dicis quia rex sum ego"; *sacerdos,* qui homines redemit et reconciliavit Deo, qui, abrogato veteri testamento, instituit fœdus novum atque universale. Hæc passim testantur evangelia.

220. 5. Christi *passio* et *mors,* quoad minutas etiam circumstantias, prophetarum vaticiniis tam accurate respondet, ut vel ex hoc solo manifestissimum sit, Jesum Christum esse revera Messiam a prophetis prædictum atque descriptum. (1) Christus gloriosus a mortuis *resurrexit.* (2)

221. 6. Lætissima gentium conversio ad Christum, qui post gloriosam suam a mortuis resurrectionem populos ad se et ad verum Dei cultum attraxit, ostendit in Christo luculenter quoque impleta esse, quæ de gentium benedictione ac conversione per futurum Messiam prophetæ prædixerant. Tristissima conditio populi judaici penitus a Deo rejecti, urbis ac templi eversio, quæ mox secuta est Christi rejectionem et occisionem, alte clamat, Judæos solemnissime rejiciendo atque crucifigendo Christum, rejecisse et occidisse Messiam, ob cujus reprobationem et occisionem, prædicentibus prophetis, maximæ illæ calamitates ipsis obventuræ erant.

Cum igitur in Christo Jesu adimpleta sint vaticinia messianica cumque nullus alius assignari possit, in quo illa evenerint, certissime concludimus, *Jesum Christum esse Messiam divinitus promissum;* nam, ut cum Philippo loquamur Joan. I, 45: *„Quem scripsit Moyses in lege et prophetæ, invenimus Jesum filium Joseph a Nazareth."*

222. **Corollarium.** *Vaticinia messianica sunt veræ prophetiæ.* Ex iis, quæ de vaticiniis messianicis breviter tradidimus, facile colligitur, illa vere a Deo emanasse, adeoque veras prophetias esse. Prætermisso etiam, quod prophetæ V. T. suam divinam missionem multipliciter probaverint, id ex istorum vaticiniorum objecto accurate impleto manifeste constat. Sunt enim, quæ prædicta fuerunt, facta plurima,

(1) Matth. XXVI, XXVII; Marc. XIV, XV; Luc. XXII, XXIII; Joan. XVIII, XIX.

(2) Matth. XXVIII; Marc. XVI; Luc. XXIV; Joan. XX.

connexa, post longum tempus eventura, a causis liberis imo a plurium causarum liberarum conspiratione dependentia, sunt plura facta miraculosa a Dei libera voluntate pendentia; atqui quisque videt, hujusmodi facta neque naturaliter prævideri neque casu evenire posse. Vaticinia messianica, utpote veræ prophetiæ, invicte probant divinam missionem Christi, in quo impleta sunt.

223. **Scholion.** *Solvuntur objectiones.* Ut firmius stet argumentum ex vaticiniis messianicis deductum, ad quasdam Rationalistarum exceptiones breviter respondebimus. Dicunt autem, 1) ea quæ dicuntur vaticinia messianica antiquiora quidem esse Christo, sed non esse proprie dicta vaticinia; esse tantum exspectationes et desideria liberationis ac status felicioris, penes populum judaicum sponte exorta, quando hic populus, collapso statu reipublicæ post Salomonem, magnis periculis et calamitatibus premebatur. Inde est, dicunt, 2) quod istæ prophetiæ sint indeterminatæ et non agant de uno Messia, de una persona determinata, de uno redemptore spirituali. Deinde contendunt, 3) plurima vaticinia messianica in Christo et per Christum non fuisse impleta. Demum dicunt, 4) argumentum ex vaticiniis prorsus infirmari incredulitate Judæorum.

Respondemus itaque ad 1. Prætermisso etiam, prophetas V. T. suam divinam missionem adeoque et suorum vaticiniorum genuinitatem omnigenis signis probasse, Rationalistarum exceptioni obstat *a)* quod ista vaticinia accurate impleta sint; *b)* quod plura ex illis vaticiniis edita sint ante tempus calamitatum; *c)* quod prædicant Messiam humilem et patientem, imo populi judaici reprobationem ac dispersionem, urbis atque templi destructionem; *d)* quod apud solos Judæos, non vero apud alios populos pariter calamitatibus oppressos, tam explicita vaticinia occurrant; *e)* quod post Christi adventum penes Judæos, licet gravioribus calamitatibus pressos, hujusmodi prophetiæ non amplius reperiantur.

Ad 2. In vaticiniis V. T. de pluribus personis agi, nullatenus probatur, sed illis prædicitur una persona determinata, quæ sit redemptor et auctor bonorum spiritualium. Etenim *a)* Messias singularibus adjunctis determinatur: prædicitur ejus nativitas ex virgine, in Bethlehem, ejus præcursor, tempus

definitum quo venturus est, plures aliæ circumstantiæ particulares prædicuntur. *b*) Omnes quidem prophetæ unum annuntiant Messiam, ejusque proprietates describunt, sed, ut fert ipsa ratio revelationis propheticæ, non singuli omnes. Messias ab uno propheta prædicitur ut rex, ab alio ut propheta vel sacerdos; nunc humilis et patiens, nunc gloriosus futurus prædicitur. Ista diversa quidem sunt, non tamen opposita, et in uno Christo revera conveniunt.

Ad. 3. Animadvertimus *a*) quædam vaticinia intelligi debere sensu non proprio, sed *metaphorico* et *spirituali,* eaque hoc sensu in Jesu Christu luculenter impleta esse. Talia sunt pleraque ex vaticiniis, quæ objiciuntur, nominatim illa, quæ Messiam *gloriosum,* potentissimum principem annuntiant, tantæque *pacis* auctorem, ut omne bellum sit cessaturum utque vel feroces bestiæ futuræ sint plane mansuetæ. *b*) Quædam vaticinia non tantum ad primum Christi adventum referuntur, sed totam Christi œconomiam complectuntur, imo extenduntur etiam ad secundum ejus adventum atque alteram vitam, quando plena tandem erit pax justorum et perfecta Christi de inimicis victoria. Hinc mirandum sane non est, ea nondum perfecte impleta esse. *c)* Demum aliqua vaticinia spectant ad solos Judæos, suntque conditionata. Cum autem Judæi, Messiam repudiantes, conditionem non posuerint, ista impleri non potuerunt.

Ad. 4. Contra vim probandi vaticiniorum frustra objicitur incredulitas Judæorum. Nam *a*) multi ex Judæis evidenti impletione prophetiarum convicti in Christum crediderunt; horum autem auctoritas maxima est, quia non nisi perpensa et perspecta veritate judicarunt. *b*) Illorum vero, qui non crediderunt, auctoritas nullius momenti est, tum quia etiam tot ac tantis Christi miraculis, quæ propriis oculis viderant, convicti non sunt; tum quia fides pendet a libera voluntate, quæ passionibus, egoismo, superbia a veritatis agnitione avertitur; tum demum quia hæc ipsa Judæorum incredulitas a prophetis clarissime prædicta fuit.

Art. II. **Testimonium ipsius Christi de sua divina missione.**

224. Duplex generatim ipsius Christi pro sua missione testimonium distingui potest: unum *verbale,* alterum *reale.*

Christus enim se legatum Dei testatus est tum verbis disertis, tum operibus plane divinis nominatim miraculis et vaticiniis. Licet quidem testimonium verbale, spectato præsertim tum modo testandi tum charactere testantis, jam per se solum sufficeret ad probandam Christi missionem, ex accedente tamen testimonio reali miraculorum et vaticiniorum vim probandi plane invictam accipit. Ut igitur vis probandi, quæ inest ipsius Christi testimonio, plene perspiciatur, præcipua illa elementa, ex quibus istud testimonium coalescit, distinctis paragraphis singillatim expendemus. Quare 1mo breviter exponemus *testimonium Christi de se;* 2do et 3^tio^ agemus de *miraculis* et *vaticiniis,* quibus Christus divinam suam missionem invicte probavit.

§ 1. Testimonium Christi de se.

225. Ut vis testimonii Christi de se ipso rite percipiatur, attendendum est tum ad ejus *objectum,* tum ad *modum* quo prolatum est, tum ad *characterem Christi* illud proferentis.

1. *Testimonii objectum.* Christus sæpissime solemniter disertissimis verbis affirmavit, se esse a Patre missum, se esse legatum Dei. (1) Imo sæpissime ea sibi adscripsit, quæ ne ullus umquam hominum, licet summe superbus aut maxime fanaticus, sibi tribuere est ausus, nempe æqualitatem cum Deo, comprehensionem Patris, summam in universa potestatem, se esse viam, veritatem et vitam, se esse Filium Dei, verum Deum. (2)

2. *Modus testandi. a)* Christus illud testatus est confidenter, palam, coram multis, tum amicis tum inimicis, tam sacerdotibus et legis peritis quam magistratibus civilibus. *b)* Illud testatus est summa animi tranquillitate ac fiducia, licet pauper et humilis, nulla potentia præditus, nullius patrocinio fretus et ab omnibus derelictus. Imo *c)* ad illud testimonium confirmandum ignominiosam crucis mortem subiit. (3)

3. *Character testantis.* Qui testimonium illud edidit fuit sapientissimus et sanctissimus. Christi sapientiam maxime

(1) Joan. IV, 25 sq.; V, 43; VI, 29, 38 sqq. etc.
(2) Matth. XI, 27; XXVIII, 18; Joan. V, 17 sqq.; VIII, 58; IX, 35 sqq.; X, 29; XIV, 6 etc.
(3) Matth. XXVI, 63 sqq.; Joan. XIX, 7.

manifestat doctrina, quam attulit mundo, plane cœlestis. Summa sanctitas relucet in tota ejus vita, quæ fuit omnium virtutum exemplar numquam antea visum, quæ fuit tam pura et sancta, ut omnes adversarios suos confidenter provocare potuerit (Joan. VIII, 46): „Quis ex vobis arguet me de peccato?" Quare ipsi increduli, licet Christum Deum Deique legatum esse negent, evidentia coacti eum fuisse saltem virum sapientem, probum et sanctum negare non audent. Nota sunt verba *J. J. Rousseau,* qui in opere *Emile,* l. 4. eximium illum Christi characterem expresse fassus est. (1)

226. Jam vero hoc Christi de seipso testimonium verum censeri debet. Si enim reputatur falsum, dicendum est, Christum aut *deceptum,* aut *deceptorem* fuisse. Atqui neutrum dici potest, manifeste enim obstat insignis Christi character. Sane primo nullus dicet, Christum deceptum fuisse, seu eum illud protulisse testimonium nescientem quid diceret, cum ex toto Christi vita manifestissimum sit, quod vel ipsi adversarii concedunt, eum fuisse virum sapientem, moderatum, ab omni fanatismo alienum, sibi constantem et perfectum. Quomodo cum tanta insipientia et ignorantia conciliari umquam posset sublimitas ac consonantia doctrinæ, quam prædicavit? Quomodo vir tam insipiens locutus fuisset, sicut numquam locutus est homo? (2) Quomodo confudisset Pharisæos, adeo ut non auderent ei respondere verbum? (3) Neque alterum dici potest, scil. Christum voluisse decipere et scientem falsum testimonium protulisse. Hoc enim evidentissime excludit eximia Christi

(1) „J'avoue, ita Rousseau, que la majesté des Ecritures m'étonne; la sainteté de l'Evangile parle à mon coeur. Voyez les livres des philosophes avec leur pompe; qu'ils sont petits près de celui-là. Se peut-il qu'un livre à la fois si sublime et si simple soit l'ouvrage des hommes? Se peut-il que celui dont il fait l'histoire, ne soit qu'un homme lui-même? Est-ce là le ton d'un enthousiaste ou d'un ambitieux sectaire? Quelle douceur, quelle pureté dans ses moeurs! Quelle grâce touchante dans ses instructions! Quelle élévation dans ses maximes! Quelle profonde sagesse dans ses discours! quelle présence d'esprit, qu'elle finesse et quelle justesse dans ses réponses! quel empire sur ses passions! Où est l'homme, où est le sage, qui sait agir, souffrir et mourir sans faiblesse et sans ostentation?... Quel préjugé et quel aveuglement ne faut-il pas avoir pour oser comparer le fils de Sophronisque au fils de Marie! Quelle distance de l'un à l'autre! Oui, si la vie ou la mort de Socrate sont d'un sage, la vie et la mort de Jésus sont d'un Dieu."

(2) Joan. VII, 46.

(3) Matth. XXII, 46.

humilitas ac sanctitas, quam vel ipsi ejus adversarii inviti agnoscunt; quam agnovit ipse Pilatus, ejus innocentiam publice coram populo contestans; quam et agnovit ipse proditor Judas in desperationem actus, dicens (Matth. XXVII, 4): „peccavi tradens sanguinem justum." Tam manifesta ac indubia erat hæc Christi virtus ac sanctitas, ut Apostolus Paulus, scribens ad Hebræos (VII, 26), confidenter eum proclamaverit „sanctum, innocentem, impollutum, segregatum a peccatoribus." Nonne, si Christus decipere voluisset, dici deberet pessimus hominum, qui insigni superbia elatus, Deo æqualem se fecit, totumque genus humanum in ruinam agere contendit? Nonne tunc dici deberet merito a Judæis captus, dammatus et in crucem actus? Cum hoc autem aperte pugnet cum insigni Christi charactere, cumque hoc vel cogitare impium sit, omnino dicendum est, Christum decipere noluisse. Ergo cum Christus se legatum Dei esse testatus sit, cumque ipse neque sit deceptus, neque deceptor, ejus testimonium verum censendum est. Hoc itaque testimonium, in concreto spectatum ita comparatum est, ut per se solum jam sufficiat, si non ad plene demonstrandam, saltem ad suadendam divinam Christi missionem. (1) Ejus autem veritatem invicte probavit ipse Christus miraculis et vaticiniis, de quibus modo acturi sumus.

§ 2. Miracula Christi, nominatim gloriosa a mortuis resurrectio, ipsius divinam missionem invicte demonstrant.

227. **Prænotandum.** Ut ex Christi miraculis validum petatur argumentum, constare debet de eorum veritate tum *historica,* tum *philosophica*, tum *relativa.* Certum scil. esse debet, illa facta 1) revera contigisse; 2) vera esse miracula; 3) patrata fuisse ad confirmandam divinam missionem Christi et divinitatem doctrinæ, quam ipse prædicavit. Hæc tria igitur sunt probanda. Opportunum tamen erit, prius brevem saltem præcipuorum miraculorum catalogum texere; de præclaro resurrectionis miraculo singillatim agemus. Itaque

228. I. **Miracula Christi,** quorum ingens est numerus, ad quasdam classes reduci possunt.

(1) Cf. *Tanquerey,* l. c. n. 166 sqq.; *Hurter,* n. 55 sq.; *Pesch,* n. 141 sqq.; *Ottiger,* § 43. thes. 31.

1. *Dominum naturæ inanimatæ se ostendit.* Aquam in vinum mutavit in Cana Galilææ; ventis et mari imperavit et facta est tranquillitas magna; super mare et ipse ambulavit, et Petrum super aquam ambulantem sustentavit; bis paucos panes et pisces ita multiplicavit, ut eis aliquot hominum millia satiaverit et plures cophini fragmentorum pleni relicti sint. (1)

2. *Morbos varios sanavit*, solo vocis imperio, vel tactu, vel interno voluntatis nutu. Nam „circuibat Jesus totam Galilæam ..... sanans omnem languorem, et omnem infirmitatem in populo" (Matth. IV, 23); ideo „omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, et sanabat omnes" (Luc. VI, 19). Speciatim curavit cæcos, surdos, mutos, leprosos, paralyticos, claudos, inveteratis morbis affectos. Absentes quoque sanavit: servum centurionis, filium reguli, filiam mulieris Cananææ. (2)

3. *Mortuos suscitavit:* filiam Archisynagogi Jaïri tactu et verbo; juvenem in Naïm, filium viduæ, tactu loculi et imperio vocis; Lazarum, quatuor diebus jam mortuum et sepultum, solo vocis imperio. (3)

4. *Dominum spirituum se ostendit,* expellendo dæmones ex obsessis, et sanando morbos, quorum dæmon auctor erat. „Obtulerunt ei multos dæmonia habentes, et ejiciebat spiritus verbo; et omnes male habentes curavit (Matth. VIII, 16). (4)

229. His addi possunt *signa, quibus Pater cœlestis Christi divinam missionem confirmavit.* Talia sunt ea, quæ evenerunt in Christi nativitate, baptismo, transfiguratione et morte. (5)

Accedunt demum *miracula ab Apostolis patrata.* Etenim „per manus Apostolorum fiebant signa et prodigia multa in plebe; ..... ita ut in plateas ejicerent infirmos, et ponerent in lectulis et grabatis, ut, veniente Petro, saltem umbra illius

---

(1) Joan. II, 1 sqq.; Matth. VIII, 23 sqq.; XIV, 26 sqq.; Joan. VI, 19 sqq.; Matth. XIV, 15 sqq.

(2) Matth. IX, 27 sqq.; Marc. VIII, 22 sqq.; Joan. IX, 6 sqq.; Matth. VII, 32 sqq.; IX, 27 sqq.; Matth. VIII, 2 sqq.; Marc. I, 40 sqq.; Matth. IV, 24; IX, 22; Luc. VIII, 43 sqq.

(3) Matth. IX, 18 sqq.; Luc. VII, 11 sqq.; Joan. XI.

(4) Matth. XII, 22 sqq.; Marc. I, 23 sqq.; Luc. IV, 33 sqq.

(5) Luc. II, 10 sq.; Matth. II, 2; III, 16; XVII, 1 sqq.; Luc. XXIII, 44 sqq.; Matth. XXVII, 51 sqq.

obumbraret quemquam illorum, et liberarentur ab infirmitatibus suis. Concurrebat autem multitudo vicinarum civitatum Jerusalem, afferentes ægros, et vexatos a spiritibus immundis, qui curabantur omnes" (Act. V, 12 sqq.).

230. II. **Veritas historica miraculorum Christi.** Facta miraculosa Christi revera contigisse jam certo constat ex demonstrata auctoritate historica evangeliorum, in quibus hæc facta narrantur. Præstat tamen, pro rei momento, adhuc pauca addere, ut magis appareat, non nisi absurde ista facta in dubium vocari posse. Itaque

1. Facta, de quibus agimus, erant summi momenti et apta ad excitandam omnium attentionem. Erant insuper facta publica et sensibilia, edita in ipsa civitate Jerusalem, sæpe coram magna hominum multitudine, imo coram infensissimis inimicis.

2. Quædam miracula ab ipsis Judæis, Christo infensis, juridice fuerunt examinata; quo examine eorum veritas historica extra omne dubium posita est, uti contigit quoad sanationem cæci a nativitate (Joan. IX). Et post resuscitationem Lazari Pontifices et Pharisæi, coacto concilio, *„dicebant: quid facimus, quia hic homo multa signa facit?"* (Joan. XI, 47).

3. Miracula Christi ita nexa sunt cum tota historia ortus et progressus religionis christianæ, ut illis admissis habeamus causas congruas et proportionatas istius magnæ commotionis tempore Christi, fidei ac prædicationis Apostolorum, orbis ad Christum conversi; illis autem negatis cogeremur admittere tantum effectum sine causa.

4. Hæc facta summi momenti, publica et sensibilia, intime nexa cum tota historia religionis christianæ referuntur ab auctoribus coævis, fide dignissimis, qui hæc facta, quorum ipsi testes aut immediati aut mediati fuerunt, referunt eo tempore, quo plures, qui ista facta aut viderant aut ex aliorum relatione cognoverant, adhuc vivebant.

5. Ad Christi miracula appellarunt Apostoli in publica evangelii prædicatione, e. g. Petrus in solemnitate Pentecostes (Act. II); mirabilia illa facta novis miraculis confirmarunt et martyrio obsignarunt.

6. Accedit demum confessio Judæorum et gentilium, qui

miraculorum Christi existentiam negare non valentes, ea artibus magicis adscribere solebant. (1)

231. III. **Veritas philosophica miraculorum Christi.** Mira illa opera, quæ patravit Christus, *vera miracula* fuisse, certissime constat. Etenim

1. Plura Christi miracula hujusmodi sunt, ut manifeste superent omnes vires totius naturæ creatæ; talia e. g. sunt resuscitatio mortuorum, multiplicatio panum in deserto, sanatio inveteratorum et insanabilium morborum. Ergo omnia opera mira, quæ patravit Christus, habenba sunt vera miracula. Nam aut omnia mira Christi opera habenda sunt vera miracula, aut nullum verum miraculum patrasse dicendus est; si enim vel semel voluisset decipere, aut effectum naturalem velut supernaturalem persuadere, aut vel semel dæmonis interventu usus fuisset, jam non amplius potuisset Deus ullo vero miraculo ejus missionem testari, quin ejusdem deceptionis et perfidiæ consors fieret.

232. 2. Ceterum reliqua etiam omnia mira fuisse vera miracula manifestissimum est ex *modo*, quo Christus ea patravit, et ex *aliis factorum adjunctis*. Si inspicitur modus, quo Christus mira illa patravit, apparet eum egisse tamquam *naturæ Dominum*, adeoque ejus opera esse divina. Ista enim opera perfecit solo verbo, vel imperio, contactu vel manus impositione, in absentes, absque ullis mediis, saltem proportionatis. Considerentur et alia adjuncta: facilitas, qua Christus miracula patravit; multitudo et varietas istorum mirabilium; certitudo, qua ejus promissioni vel imperio respondit eventus; stabilitas, qua effectus e. g. sanitatis, vitæ perduravit; fructus ex Christi miraculis secutus: et merito expostulare possumus cum *Arnobio* (Adv. gent. l. 1. c. 43): „Potestis aliquem nobis designare, monstrare ex omnibus illis magis, qui umquam fuere per sæcula, consimile aliquid Christo *millesima ex parte* qui fecerit?" (2)

(1) Cf. *Flavius Josephus* l. c.; *Talmud; Justinus,* Apol. I, 30; *Origenes,* c. Celsum.

(2) Juverit in confirmationem addere haec praeclara ejusdem *Arnobii* (op. cit. l. 1. c. 45) verba: „Quid dicitis, ita alloquitur gentiles, o iterum! Ergo ille mortalis aut unus fuit e nobis, cujus imperium, cujus vocem popularibus et quotidianis vocibus emissam invalitudines, morbi, febres atque alia corporis cruciamenta fugiebant? Unus fuit e nobis, cujus praesentiam, cujus visum gens illa nequibat ferre mersorum in visceribus daemonum, conterritaque vi nova membrorum possessione cedebat?... Unus fuit e nobis, qui claudos currere

233. 3. Ad *adjuncta moralia* quod spectat, in miraculis Christi nihil est ratione operantis, finis, objecti et modi, quod Deo sit indignum; sed omnia sanctissima ac Deo dignissima. Patrata enim sunt a Christo sanctissimo et sapientissimo, ad confirmandam sanctam doctrinam, cedunt in hominum salutem spiritualem imo et corporalem; facta sunt publice, remota vana ostentatione, exclusa inanis gloriæ et lucri cupidine, nullis adhibitis mediis inhonestis, indignis.

234. 4. Quæ diximus manifeste etiam excludunt a miraculis Christi tum omnem *fraudem* seu deceptionem ex parte ipsius Christi, tum *illusionem* ex parte testium. Ceterum omnem fraudem evidenter excludit tum insignis Christi character; tum multitudo, varietas et publicitas miraculorum, unde fraus facile detegi potuisset. Illusionem pariter excludit multitudo et varietas tum miraculorum, tum hominum, qui illorum factorum sensibilium testes fuerunt.

235. 5. Nominatim autem Christi miracula dæmonum interventui adscribi non posse, sane probatione haud indiget. Obstant enim illa quæ jam diximus: substantia plurium miraculorum, insignis character Christi, operum adjuncta moralia. Obstat deinde, quod Christus dæmones e corporibus ejecerit; quod ipsis invitis operatus sit; quod miracula patraverit ad evertendum regnum daemonis et ad stabiliendum regnum Dei.

---

praecipiebat?... Unus, inquam, fuit e nobis, qui debilitatibus variis morbisque vexatos centum aut hoc amplius semel una intercessione sanabat? cujus vocem ad simplicem furibunda et insania explicabant se maria? procellarum turbines tempestatesque silebant? qui per altissimos gurgites pedem ferebat inlutum? calcabat ponti terga, undis ipsis stupentibus in famulatum subeunte natura? qui sequentium se millia quinque quinque saturavit e panibus, ac, ne esse praestigiae incredulis illis viderentur et duris, bis senarum sportarum sinus reliquiarum fragminibus aggerebat? Unus fuit e nobis, qui redire in corpora jamdudum animas praecipiebat efflatas, prodire ab aggeribus conditos, et post diem funeris tertium pollinctorum voluminibus expediri? Unus fuit e nobis, qui quid singuli volverent, quid sub obscuris cogitationibus continerent, tacitorum in cordibus pervidebat? etc." Accipiantur et haec *Grotii* (de ver. relig. christ. l. 2. § 4) verba: „Fuerunt semper inter cultores Christi plurimi et judicio praediti et litterarum non rudes... qui tales cum essent, cur homini ignominiosa morte affecto se cultores addixerint, praesertim cum prope omnes in aliis religionibus educati essent, nec in christiana quidquam esset aut hononis aut commodi, nulla potest causa reddi praeter hanc unam, quod diligenti inquisitione, qualis viros prudentes in maximi momenti negotio decet, comperissent, veram et firmis testibus subnixam fuisse famam, quae de miraculis ab eo editis percrebuerat."

236. IV. **Veritas relativa miraculorum Christi.** Christum miracula patrasse ad probandam suam divinam missionem suamque doctrinam, certissimum est tum ex ipsa rei natura, tum præsertim ex iteratis ipsius Christi effatis, quibus ad sua opera appellat, ut fidem sibi conciliet. Ita (Joan. V, 36) dicit Jesus: „Ipsa opera, quæ ego facio, *testimonium perhibent de me.*" Et cum Judæi ab eo postularent Joan. X: „Si tu es Christus, dic nobis palam; respondit eis Jesus: Loquor vobis, et non creditis. Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, *hæc testimonium perhibent de me.* Si mihi non vultis credere, *operibus credite,* ut cognoscatis et credatis, quia Pater in me est, et ego in Patre." Et resuscitaturus Lazarum (Joan. XI), gratias agens Patri addit: „propter populum, qui circumstat, dixi; *ut credant, quia tu me misisti.*" Ideo Christus testatur (Joan. XV, 24): „*Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.*" Hinc merito *S. Augustinus* (De util. cred. n. 32): „Quid enim agunt tanta et tam multa miracula, ipso etiam dicente illa fieri non ob aliud, nisi ut sibi crederetur?"

237. Neque hæc relativa veritas miraculorum ullo modo infirmatur ex eo quod Christus haud semel non optaverit imo prohibuerit miraculorum promulgationem. Quisque enim facile videt, ex eo quod Christus pauca quædam miracula occultari præceperit, ab adversariis immerito et falso concludi: ergo nulla patravit ad probandam suam missionem. Ex supra autem citatis testimoniis liquido constat, Christum revera patrasse miracula in confirmationem suæ missionis, sæpius et quidem publice ad ea provocasse. Aptissima etiam reddi potest ratio, cur nihilominus Christus miraculi promulgationem quandoque prohibuerit. Cum enim ab una parte Christus esset non solum Doctor veritatis sed et exemplar ac Magister virtutis, et cum ab altera parte ipsius missio innumeris jam ac variis signis esset comprobata; subinde præcepit quædam miracula occultari, ut suo etiam exemplo humilitatem nos doceret; sicut quandoque miracula facere noluit, ne pasceret curiositatem eorum, qui signa *tantum videre* cupiebant. (Matth. XII, 38).

Cum itaque miracula certo probent id, ad quod confirmandum eduntur, cumque Christus innumera vera patraverit

miracula ad confirmandam divinam suam missionem suamque doctrinam, certissime concludimus: ergo *Christus Jesus est legatus Dei et ejus doctrina est divina.* (1)

238. V. **Gloriosa Christi resurrectio.** Resurrectio Christi est factum summi momenti, quod ut præcipuum fidei nostræ fundamentum in tota œconomia religionis christianæ et prædicationis evangelii singularem locum sibi vindicat; quare de ea pauca dicamus oportet. Resurrectio enim Christi 1. in se considerata certe est summum prodigium, et signum peremptorium ad probandam missionem et doctrinam Christi. Hæc resurrectio insuper 2. a prophetis V. T. prænuntiata et ab ipso Christo pluries prædicta erat, ideoque etiam tamquam prophetia impleta veritatem religionis christianæ probat. Imo 3. Christus directe etiam suæ resurrectionis miraculum elegerat veluti summam confirmationem et argumentum ineluctabile suæ missionis eorumque omnium quæ fecit et docuit 4. Apostoli erant hujus facti testes electi et divinitus præordinati, atque ut tales se exhibent; ideo resurrectionem Christi ipsi prædicant ut compendium et confirmationem supremam ac peremptoriam religionis christianæ, hancque suam testificationem et prædicationem multis miraculis confirmant. Denique 5. resurrectio Christi est factum, quod in se summas veritates dogmaticas et morales complectitur. Ea itaque est resurrectionis Christi ratio, ea est ipsius cum veritate religionis christianæ connexio, ut hujus *sit argumentum præcipuum atque omnium præcedentium Christi operum veluti sigillum ac confirmatio;* ita ut Apostolus (1 Cor. XV, 14) dicat: „Si autem Christus non resurrexit, inanis est ergo prædicatio nostra, inanis est et fides vestra." Quapropter increduli nihil intentatum relinquunt, ut hoc christianæ religionis fundamentum evertant. Ideo ipsum factum historicum resurrectionis peculiari ratione nobis probandum; probato facto resurrectionis, hanc insigne esse miraculum negari sane nequit. Quia vero aliqui eousque progressi sunt, ut negent veram Christi mortem, autumantes eum tantum syncope oppressum fuisse atque restauratis viribus ad vitam rediisse; ideo ad resurrectionis factum probandum

(1) De miraculis Christi cf. *S. Thomas,* 3. q. 43 sqq.; *Suarez,* in 3 S. Th. disp. 31; *Mazzella,* disp. 2. art. 2; *Frayssinous,* Défense du Christ., des miracles évangéliques; *Jansen,* § 44; *Tanquerey,* n. 174 sqq.; *Ottiger,* § 45.

duo sunt ostendenda: 1° *Christum vere mortuum esse,* et 2° *eum revera a mortuis resurrexisse.*

239. *Primum* certissimum est. Nam 1. *Christum vere mortuum esse* testantur omnes quatuor Evangelistæ (1). Imo Joannes, testis oculatus, narrat (cap. XIX), milites latronum adhuc viventium crura fregisse, „ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum *jam mortuum,* non fregerunt ejus crura; sed unus militum *lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua.*" Ictu lanceæ miles Christi latus aperuit, ut si nondum mortuus esset isto vulnere lethali necaretur; sed Dominum jam obiisse inde patuit, quod sanguis et aqua ex ejus corde effluxerunt. 2. Veram Christi mortem testatur tum *a) sollicitudo Pilati,* qui miratus quod jam obiisset, „accersito centurione, interrogavit eum *si jam mortuus esset. Et cum cognovisset a centurione* donavit corpus Joseph (Marc. XV, 44 sq.). Tum *b) sollicitudo principum sacerdotum et pharisæorum,* qui metuentes ejus resurrectionem sane sedulo illum inspexerunt, utrum revera mortuus esset. 3. Probat *conditio ipsius sepulchri,* in quo depositum fuit Christi corpus syndone involutum tantaque unguentorum copia conditum ut ejus odore vel sanus extinctus fuisset, quod fuit magno lapide clausum et ab ipsis Judæis sigillo munitum, et ante quod militum custodia collocata fuit. 4. Non solum christianis, sed omnibus etiam Judæis et gentilibus mors Christi semper certissima fuit, ita ut nullus eorum illam umquam in dubium vocaverit; hæc insignis temeritas atque impietas negandi Christi mortem reservata fuit incredulis nostri temporis, quos odium religionis excæcavit.

240. *Secundum:* Christum *revera a mortuis resurrexisse* pariter certissimum est.

Prob. 1. ex irrefragabili testimonio discipulorum et Apostolorum, „quibus præbuit se ipsum vivum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis et loquens de regno Dei" (Act. I, 3), donec videntibus illis elevatus est et in cœlum ascendit. Hoc testimonium ineluctabilem habere vim probandi Christi resurrectionem, cuique illud paulo diligentius consideranti facile patet. Etenim

(1) Matth. XXVII, 50; Marc. XV, 37; Luc. XXIII, 46; Joan. XIX, 30.

a) adsunt *testes multi,* imprimis omnes Apostoli, deinde plures alii ultra quingentos.

b) Sunt *testes oculati:* cum summa confidentia sæpius et ubique testantur, se Christum redivivum vidisse. Neque obiter tantum ac momentanee Christus illis apparuit; sed sæpius, familiariter, per quadraginta dies conversatus est cum Apostolis, cum ipsis manducavit, se ab ipsis tangi jussit, ipsosque docuit.

c) Testes sunt *viri probi ac fide dignissimi,* quorum testimonium eo est efficacius, quo difficiliores se exhibuerunt ad resurrectionem credendam. Tam parum dispositi erant ad resurrectionem admittendam, ut repetitis etiam mulierum relationibus non crederent, donec ipsi Christum viderent; adeo ut propter suam incredulitatem a Christo increparentur atque iis tantummodo cederent argumentis, quibus obluctari prorsus non possent.

d) Testimonium pro resurrectione Christi reddunt publice, solemnissime, ubique in ipso etiam rei gestæ loco in urbe Jerusalem, paucis diebus post cruentam sui magistri mortem.

e) Christi resurrectionem testati sunt constanter usque ad mortem, sine ulla spe lucri aut commodi temporalis, imo cum summo libertatis ac vitæ periculo; pro asserendo resurrectionis facto omnigenos cruciatus et demum acerbissimam mortem invicto animo perpessi sunt.

f) Demum testificationem suam multiplicibus ac manifestis miraculis confirmarunt.

241. *Prob. 2. ex modo agendi Judæorum a)* Judæi omnem adhibuerunt sollicitudinem ad quamlibet fraudem præcavendam: „munierunt sepulchrum, signantes lapidem cum custodibus." Jam vero custodes terræmotu perterriti venerunt in citivitatem, et „narraverunt principibus sacerdotum omnia quæ facta fuerant." Hi autem neque milites propter socordiam punierunt, neque in discipulos propter commissum furtum corporis Christi inquisierunt, quod tamen, si fraus intervenisset, omnino facere debuissent et procul dubio fecissent; sed infelici usi sunt astutia, qua facti veritas luculentius pateret: custodes scilicet, resurrectionis testes, data pecunia induxerunt, ut dicerent, se *dormientibus,* Apostolos corpus Christi furatos esse. Hæc perpendens vere et acute dicit *S. Augustinus* (in Ps. 62): „Quid est, quod dixisti, o infelix astutia? Tantumne deseris lucem

consilii pietatis, et in profundo versutiæ demergeris, ut hoc dicas; dicite, quia vobis dormientibus venerunt discipuli ejus et abstulerunt eum? Dormientes testes adhibes? Vere tu ipse obdormisti, qui scrutando talia defecisti. Si dormierunt, quid videre potuerunt? Si nihil viderunt, quomodo testes sunt?"

b) Dum Apostoli ubique publice resurrectionem Christi testantur ac prædicant, Judæi numquam Apostolos propter fraudem in jus vocarunt; sed ob manifestam facti notitiam non nisi minas proferre atque silentium eis indicere ausi sunt.

242. *Prob. 3. ex iis, quæ resurrectionem Christi secuta sunt.* Apostoli de Christi resurrectione intime persuasi, ubique evangelium intrepide annuntiarunt, sui magistri resurrectionem iterato prædicantes; huic prædicationi innumeri, inter quos etiam docti et sacerdotes, crediderunt. Hoc sane fieri non potuisset, nisi de summa testium veracitate omnis prorsus dubitatio esset exclusa, nisi vera esset prædicata Christi resurrectio. Nam ut præclare arguit *S. Augustinus* (de Civ. Dei, l. XXII): si „incredibile est Christum resurrexisse in carne, et in cœlum ascendisse cum carne; (etiam hoc) incredibile est, mundum rem tam incredibilem credidisse; (et) incredibile est, homines ignobiles, infimos, paucissimos, imperitos rem tam incredibilem tam efficaciter mundo et in illo etiam doctis persuadere potuisse." Duo posteriora incredibilia tamen facta sunt, ergo et primum. (1)

Difficultates, quibus increduli impugnant miracula Christi, nominatim ejus resurrectionem, partim tam infirmæ sunt, ut illis data opera respondere vix sit necesse, partim facile solvuntur ex iis, quæ in parte prima de miraculis generatim et in hoc paragrapho de Christi miraculis diximus; quare illas, brevitatis causa, missas facimus; pro earum solutione remittentes ad Auctores, qui passim eas solvunt.

§ 3. Christus divinam suam missionem probavit etiam vaticiniis, eventu completis.

243. *Christum plura futura prædixisse narratur in evangeliis,* libris fide dignissimis, adeo ut de harum prædictionum

(1) Cf. *S. Thomas,* 3. q. 53; *Frayssinous,* Conférences, Résurrection de J. Christ; *Mazzella,* art. 3; *Jansen,* l. c.; *Pesch,* n. 196 sqq.; *Tanquerey,* n. 190 sqq.; *Otiger,* l. c.

veritate historica dubitari nequeat. Istas autem prædictiones fuisse veras prophetias, facile dabit quisquis attenderit tum ad prædicendi modum certum, clarum ac determinatum, ita ut sæpe etiam minutæ circumstantiæ exprimerentur; tum ad naturam eorum, quæ prædicuntur: sunt enim facta a liberis voluntatibus pendentia, imo quædam plane miraculosa; tum ad accuratam eorum impletionem. Christum autem sua vaticinia, licet ob alios quoque fines, simul tamen edidisse, ut Apostoli et futuri fideles iis in fide confirmarentur, et in illis argumentum divinæ missionis Christi haberent, colligitur tum ex ipsa rei natura; tum ex eo quod, uti vidimus, facta mirabilia, ad quæ etiam vaticinia impleta referuntur, generatim a Christo fiebant, ut divinam suam missionem probaret.

244. *Porro Christi vaticinia in tres classes commode dividi possunt:* in ea, quæ *ad ipsum Christum* referuntur; in ea, quæ *ad fata religionis et Ecclesiæ* pertinent; in ea, quæ *excidium urbis et templi* atque *Judæorum dispersionem* respiciunt. Horum præcipua breviter jam recenseamus oportet.

245. 1. *Vaticinia Christi de seipso.* Prædixit Judæ proditionem, Apostolorum fugam, trinam negationem Petri; prædixit, se tradi debere Judæis et gentibus, multa pati, flagellari, illudi, conspui, morte damnari ac crucifigi; se tamen triduo post mortem gloriosum e sepulcro resurrecturum, atque ad Patrem esse ascensurum. Hæc omnia, prouti a Christo prædicta erant, accurate impleta fuisse, ex narratione evangelica constat. Christum autem humana sagacitate illa tam certo ac determinate, cum minutis etiam circumstantiis, præscire et prædicere non potuisse, ambigi sane nequit. (1)

246. 2. *Vaticinia Christi de fatis suæ religionis et Ecclesiæ.* Prædixit, post suam ascensionem super Apostolos descensurum esse Spiritum Sanctum, qui eos doceret omnem veritatem, eosque in fide profitenda ac propaganda fortes et constantes efficeret. Prædixit, Apostolos ad exemplum sui magistri omnigenas persecutiones passuros esse, nihilominus tamen futurum esse, ut religio christiana in universum orbem propagetur atque regnum Dei ad gentes transferatur. Prædixit

(1) Matth. XVI, 21; XVII, 21 sqq.; XX, 18 sqq.; XXVI, 21. 31. 34; Marc. VIII, 31; IX, 30; X, 33 sqq.; Luc. IX, 22; XVIII, 32 sqq.; Joan. VI, 11; XIII, 21 sqq.

demum, suam Ecclesiam in petra fundatam adversus omnes assultus et impugnationes hostium semper prævaliturum, et usque ad sæculorum finem invictam esse mansuram. Jam vero has prædictiones, quæ partim jam impletæ sunt et partim in dies implentur, præclarissima esse vaticinia, plane manifestum est. (1)

247. 3. *Vaticinium Christi de excidio urbis et templi atque dispersione populi judaici.* (2) Ut intelligatur, quam præclarum fuerit illud Christi de excidio civitatis vaticinium, advertatur hoc ab ipso prædictum fuisse secundum omnia sua adjuncta. Sane prædixit *a)* adjuncta eversionem *præcedentia* tum *remota:* persecutiones, bella et seditiones, pseudochristos, pestem, famem, terræmotus aliasque calamitates, templi pollutionem; tum *proxima:* vallo circumdatum iri urbem Jerusalem, maximam calamitatem et famem, ingentem cladem. Prædixit *b) tempus:* non præterituram esse generationem istam cui loquebatur, donec omnia ista eveniant. Prædixit *c) exitum:* civitatem una cum templo funditus eversum iri, ita ut lapis super lapidem non remaneat, hancque eversionem fore perennem; populum judaicum dispersum iri per totum orbem, atque miseram hanc populi conditionem usque ad finem sæculi duraturam esse. Hæc omnia adamussim impleta fuisse, manifeste tradit historia, testatur Flavius Josephus testis oculatus, ex gente judaica oriundus. Veritatem hujus vaticinii Christi splendide confirmant illa, quæ contigerunt sub Juliano apostata, qui, ut Christum mendacem probaret, templum hierosolymitanum omnibus conatibus restaurare nisus est, sed ab exsequendo impio hoc consilio divina virtute mirabiliter prohibitus est.

248. **Scholion.** *Quædam alia argumenta indicantur.* Argumentis, quibus divinam Christi missionem probavimus, addi possunt alia, quæ omnia exponere nec vacat nec necesse est, quorum tamen aliqua saltem indicare juvabit. Itaque

1. Christi *vita sanctissima atque doctrina plane cœlestis* suppeditant argumentum pro divina ipsius missione, et quidem dupliciter.

(1) Act. I, 8; Matth. X. 16 sqq.; XXIV, 8 sqq.; Marc. XIII, 9 sqq.; Joan. XXI, 12 sqq.; Matth. XVI, 18; XXVIII, 19 sq.

(2) Matth. XXIV, 7 sqq.; Luc. XIX, 43 sq.: XXI, 20 sqq.

a) Indirecte, quatenus ostendunt Christi, utpote sanctissimi ac sapientissimi, verbis fidem esse adhibendam, adeoque ejus testimonium verbale de seipso, uti supra diximus, verum esse habendum.

b) Directe probant divinam Christi missionem, quatenus iis etiam per se tantum spectatis continetur hujus missionis efficax testimonium *reale* atque novum et distinctum credibilitatis motivum. Tam pura enim et sancta est tota Christi vita, summo omnium virtutum splendore nitens, ut huic prorsus impares inveniantur vires humanæ, tam excellens ac sancta est Christi doctrina, ut hæc inventum humanum haberi nequeat, sed originem divinam necessario sibi vindicet; quare merito concluditur, Christi vitam et doctrinam ostendere, eum aut Deum esse, aut saltem ut legatum divinum Deo propinquissimum maximeque conjunctum.

2. Efficax argumentum duci potest *ex testimonio Apostolorum,* qui divinam Christi missionem testati sunt verbis, sanguine, et maxime miraculis, a quibus illud testimonium invictam probandi vim mutuatum est. Hoc argumentum facile conficitur ex iis, quæ supra nominatim de miraculis Christi diximus, cum hic eadem fere repeti possint.

3. Argumentum pro divina Christi missione suppeditat quoque *ipse hujus missionis exitus, lætissimus inter gentes, tristissimus inter Judæos.* Hoc argumentu jam innuimus supra. Cf. *Hurter,* n. 71 sqq., qui de eo præclare disserit.

CAPUT II.

DE DIVINA CHRISTIANÆ RELIGIONIS CONFIRMATIONE.

249. Hucusque demonstravimus, Christum esse legatum Dei, divinitus missum ad religionem instituendam, ex quo sponte sua sequitur, religionem a Christo institutam divinam et veram esse. Modo consideremus, quomodo hæc religio jam instituta etiam variis signis seu motivis credibilitatis divinitus sit comprobata, ac divinis veluti radiis collustrata. Cum autem Christus ita instituerit religionem christianam, ut esset una

societas una Ecclesia, ideo illa signa seu motiva credibilitatis comitantia religionem christianam sunt signa comitantia veram Christi Ecclesiam, Ecclesiam catholicam, et ad notas veræ Christi Ecclesiæ facile reducuntur. Huc præsertim pertinent christianæ religionis *celerrima propagatio, diuturna conservatio* et *mira efficacia,* demum *admirabilis innumerorum martyrum fortitudo,* quorum singula constituunt quidem argumentum sufficiens pro divinitate religionis christianæ, illa quatuor autem simul sumpta præbent argumentum plane invictum. Sunt enim hæc facta effectus *supernaturales*, quibus explicandis pares non sunt causæ naturales, sed qui speciali Dei interventui et actioni tribui debent; quare arguunt specialem Dei interventum et operationem in gratiam religionis christianæ, proindeque hanc religionem divinam ac veram esse manifestant. Sunt vera *miracula* in ordine *morali,* patrata in gratiam religionis christianæ, quam igitur divinam esse probant. Singula ista argumenta distinctis articulis breviter exponemus.

Art. I. **De mirabili religionis christianæ propagatione.**

250. Ut ex religionis christianæ propagatione validum conficiatur argumentum, hæc propagatio non solum materialiter est spectanda, sed considerari debet cum omnibus adjunctis, ut appareat eam non nisi divinæ virtuti tribui posse. Sit itaque

Thesis. Mirabilis religionis christianæ propagatio, consideratis omnibus ejus adjunctis, hujus religionis divinam originem demonstrat.

Ut vis argumenti in thesi propositi pateat, consideranda sunt, uti monuimus, omnia adjuncta: 1° considerandus est ipse *effectus,* propagatio scil. celerrima et amplissima; 2° consideranda sunt *impedimenta,* quæ isti diffusioni obstabant; 3° consideranda sunt *media naturalia,* ad religionem christianam propagandam adhibita. Itaque

251. I. Consideretur quam *late* quamque *celeriter* christiana religio fuerit propagata. Factum est indubitatum, religionem christianam brevi tempore in universum orbem fuisse promulgatam, et ubique locorum plurimos asseclas ex omni hominum conditione numerasse; imo jam paucis annis post

Christi mortem ultra imperii romani terminos usque ad fines mundi tunc noti diffusa fuit. Nondum enim elapso decennio a morte Christi, Petrus epistolam mittebat Roma (1 Epist. I) „electis advenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Capadociæ, Asiæ et Bithyniæ." S. Joannes sub Domitiano ex insula Patmos scribebat (Apoc. I, 11) „septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia, Epheso, Smyrnæ, et Pergamo, et Thyatiræ, et Sardis, et Philadelphiæ, et Laodiceæ." Et Apostolus Paulus viginti circiter annis post Christi ascensionem scribens ad Romanos (Rom. I, 8) testatur: „Fides vestra annuntiatur *in universo mundo*"; et idem (Coloss. I, 15): „Quod (verbum evangelii) pervenit ad vos, *sicut et in universo mundo est, et fructificat et crescit.*"

Hujus rapidæ propagationis testes sunt *Patres*. Hinc triumphantis in modum scribere potuit *Tertullianus* (Apolog. c. 37) ad romani imperii præsides: „Hesterni sumus, et vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum; sola vobis reliquimus templa." Testes sunt vel ipsi gentiles, ut *Plinius junior,* Asiæ proconsul, ad Trajanum scribens (Lib. X Epist. 97): „Non civitates tantum sed vicos etiam atque agros christianæ superstitionis contagio pervagata est; prope jam desolata templa deorum, et solemnia diu intermissa." Similiter Tacitus et Seneca. Quisquis ad hæc attenderit, simulque secum reputaverit, non tot præsto tunc fuisse media diffusionis, nec expeditum illud inter homines commercium uti modo propter artem typographicam postque tot alia inventa, facile dabit, christianæ religionis propagationem saltem *relative,* spectatis scil. adjunctis, *rapidissimam* fuisse.

252. II. Considerentur *impedimenta,* tam *interna* quam *externa,* quæ religionis christianæ propagationi undique obstabant. Et 1° quidem ad impedimenta *interna* quod attinet, obstabat *a)* ipsius religionis christianæ *indoles ac natura:* incomprehensibilitas doctrinæ, præceptorum sanctitas, atque sublimitas virtutum, quarum ne nomina quidem, nedum exercitium noverant gentiles, uti humilitatis, abnegationis, dilectionis inimicorum, castitatis vel pravum affectum interdicentis. Obstabat *b) conditio humilis auctoris,* ex gente judaica invisa ac despecta oriundi, et ignominiosissimo crucis supplicio affecti.

Obstabat *c*) quod asseclis christianæ religionis *nulla affulgebat spes lucri præsentis*, sed econtra contemptus, damna, persecutio, mors imminebant. 2° *Externa* impedimenta maxima quoque obstabant, talia erant *a) inveteratus superstitionis error; b) incredibilis morum corruptio,* adeo ut vel scelera colerentur atque cultus numinum impuros ritus complecteretur; *c) philosophorum irrisio, sacerdotum gentilium infensissimus furor, nefandæ calumniæ* adversus christianam religionem divulgatæ, *dirissima per tria sæcula persecutio.*

253. III. *Media* ad propagandam religionem christianam adhibita naturaliter infirma, imo ad tantum effectum producendum fere nulla fuerunt. Etenim pauci Christi discipuli tantum opus aggressi sunt, iique destituti omnibus illis dotibus et mediis, quæ vim aliquam ad auditorum animos flectendos habere possent; qui ita potius comparati erant, ut populos facilius a se avertere, quam Christo lucrari potuerint, rudes, illiterati, Judæi omnibus invisi. Vere *„quæ stulta sunt,* ita jam Apostolus (1 Cor. I, 27 sq.), *elegit Deus, ut confundat sapientes;* et infirma elegit Deus, ut confundat fortia; et ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret." Et hi pugnabant, uti testatur idem Apostolus, armis non carnalibus, sed *spiritualibus,* atque dum quæque ardua sacrificia exigebant, non nisi *futura* præmia, quæ parum allicere solent, promittebant.

254. IV. Consideretur demum *effectus* prædicationis, qui non fuit momentaneus, sed *perennis,* non superficietenus humanum genus pervadens, sed totum hominem, *totam societatem humanam renovans,* adeo ut hujus doctrinæ cultores in deliciis haberent ea, a quibus antea abhorrebant, illa vero, quibus antea delectabantur, penitus detestarentur.

Cum itaque quilibet effectus postulet causam proportionatam, media vero naturalia tanto effectui explicando imparia prorsus sint, merito concludimus, Deum in dilatanda religione christiana specialiter intervenisse et supernaturaliter operatum esse, atque ita divinam hujus religionis originem comprobasse. (1)

255. *Solvitur objectio,* quæ contra nostrum argumentum ex celeri propagatione mohammedanismi et protestantismi

(1) Cf. ***Mazzella,*** disp. 2, art. 4; ***Jungmann,*** P. 2. art. 4; ***Hurter,*** n. 79 sqq.; ***Tanquerey,*** n. 206 sqq.; ***Ottiger,*** § 46. th. 36.

petitur. Hæc objectio nullius ponderis esse deprehenditur; si attendatur ad ingens discrimen, quod inter diffusionem sive mohammedanismi sive protestantismi et propagationem religionis christianæ intercedit. Etenim differunt 1° *latitudine* et *duratione,* cum utraque illa secta fines, quos semel initio attigit, multum deinde non excesserit, religio vero christiana quovis fere sæculo alias atque alias regiones occupaverit. Differunt 2° *mediis,* illarum enim diffusionem multa media humana et mere naturalia vehementissime promoverunt, uti vis illata, voluptates permissæ, spes bonorum temporalium etc. Differunt 3° *effectu,* neque enim utraque illa secta eos, quos pervasit, e vitiorum cœno ad summam provexit sanctitatem, sicut religio catholica; illarum sectarum propagatio consistebat fere in *defectione* multorum ab Ecclesia catholica. Cf. *S. Thomas,* qui (C. G. l. 1. c. 6) de discrimine inter propagationem mohammedanismi et christianismi præclare disserit.

ART. II. De mirabili christianæ religionis conservatione.

256. Divinitas religionis christianæ ex ejus conservatione probatur eodem fere modo, quo illam probavimus ex ejusdem propagatione. Quare non est necesse hoc argumentum latius exponere, sed paucis tantum indicabimus momenta, ex quibus ejus vis satis perspiciatur. Sit itaque

Thesis. Christianæ religionis mirabilis conservatio, spectatis omnibus adjunctis, pariter speciali Dei interventui et operationi est tribuenda.

Ut appareat vis argumenti propositi, consideranda veniunt ab una parte maxima pericula, quibus jugiter exposita fuit Ecclesia, et incolumitatis ratio, qua ex illis emersit, ab altera parte media naturalia, quæ ad avertenda et superanda pericula Ecclesiæ præsto erant. Et quidem

257. I. *Pericula* maxima semper fuerunt. Etenim 1° in Ecclesiæ interitum conspirarunt *hostes* plurimi, infensissimi et potentissimi: Judæi, gentiles, hæretici, Mohammedani, schismatici, increduli, societates secretæ, imo tot filii immorigeri et rebelles. 2° Consideretur hujus impugnationis en conjurationis *amplitudo:* nulla regio, nulla Ecclesiæ dogmata, ritus,

instituta, præcepta ab impugnatione immunia fuerunt. 3° Hostium *arma* fuerunt omnis generis eaque efficacissima: potentia, scientia, pecunia, fraudes, mendacia, calumniæ, corruptio ac seductio in omni ordine, vis aperta, insidiæ atque machinationes secretæ. 4° Accesserunt *procellæ internæ,* quæ vel solæ regnum etiam munitissimum concutere et evertere potuissent, uti multæ quæ in sinu Ecclesiæ et inter ejus membra exortæ sunt hæreses, diuturna et perniciosa schismata atque dissidia. 5° Consideretur impugnationis *diuturnitas:* ab incunabulis ad nostrum usque tempus Ecclesia oppugnationi multiplici atque dirissimæ jugiter exposita fuit.

258. II. Quænam Ecclesiæ præsto fuerunt *media* contra tot ac tanta pericula?

Præsidia ejus naturalia tam exigua et infirma fuere, ut si in ista lucta incolumis ac invicta perstitit Ecclesia, sane dicendum sit, Deum pro illa pugnasse. Solam enim plerumque Ecclesia impugnationibus opponere poterat patientiam. Destituebatur principum protectione aliisque præsidiis naturalibus; malum pro malo reddere ei non licebat.

259. III. Quis nihilominus fuit semper impugnationis *exitus?* Lætissimus plane et gloriosus. Jam undeviginti prope sæculis Ecclesia mediis in periculis et procellis incolumis stat atque invicta, juvenilibus semper viribus ac vivifica virtute prædita, adeo ut splendidissime impleta sit magnifica illa Christi promissio: „Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam." Ad quæ si quis sedulo attenderit, et si simul secum perpenderit, quam labiles sint omnes res humanæ, quomodo tot instituta humana, imo imperia olim florentissima ac potentissima, nullo fere impugnante hoste senuerint et demum collapsa sint; fateri sane cogetur, Ecclesiæ durationem et constantiam speciali Dei protectioni esse tribuendam eamque esse opus Dei. Secus enim effectus sine causa proportionata admitti deberet. (1)

260. Frustra nituntur adversarii evertere argumentum ex diuturna Ecclesiæ Christi conservatione ductum appellando ad diuturnam conservationem Judaismi, Mohammedanismi aliarumque sectarum. Negamus enim paritatem. Quod primo

(1) Cf. ***Hurter***, n. 83 sqq.; ***Mazzella,*** l. c.; ***Jungmann,*** art 5.

spectat ad Judaismum, hujus conservatio potius inservit confirmandæ religioni christianæ; nam ut huic fini inserviat speciali quidem Dei consilio conservatur, quin tamen Deus hac conservatione ei ullum favorem impendat. Ad Mohammedanismum aliasque sectas quod attinet, illarum durationem cum Ecclesiæ catholicæ constantia nullatenus comparari posse, facile dabit qui adverterit, illos sectas non tam late diffundi ac Ecclesiam catholicam; eas haud impugnari sed plerumque frui pace; eas protectione humana gaudere; easque licet non oppugnatas tamen languescere atque ipso senio deficere.

261. **Scholion.** Dum dicimus christianæ religionis propagationem ac conservationem tribuendam esse speciali Dei protectioni, haud contendimus hanc esse *solum* medium seposita omni industria humana et exclusis omnibus mediis naturalibus, quæ ad eumdem effectum concurrere possunt. Nam econtra hujusmodi mediorum usus, secundum ordinariam providentiam, pro incolumitate Ecclesiæ prorsus necessarius est. Ast dum humana industria exseritur, humanaque media, quæ præsto sunt, adhibentur, Deus ita operatur et cooperatur, ut effectus producatur, quem nulla industria humana obtinere potest.

ART. III. De mira religionis christianæ efficacia ad immutandum genus humanum.

262. Efficacia, qua religio christiana genus humanum, tam homines singulos quam societatem, innovavit et tum quoad doctrinam tum quoad mores in melius mutavit, talis ac tanta est, ut hæc manifestet illi religioni virtutem divinam insidere eamque divinam esse. Fructus, quos produxit, manifeste ostendunt, eam esse arborem a Deo ipso plantatam, quæ ex Deo, cui irradicatur, suum succum vitalem jugiter haurit. Hujus argumenti vis magis patescit, si attenditur ad antea probatam moralem necessitatem divinæ revelationis, sine qua genus humanum a defectione circa doctrinam et mores in quam inciderat revocari non potuit; nam si religio christiana genus humanum ab illa defectione revera revocavit, hoc ipso se divinæ esse originis ostendit.

263. **Thesis.** Evidens humani generis quoad doctrinam et mores in melius per religionem

christianam mutatio et transformatio hanc religionem divinam et veram esse luculenter probat.

Ut propositum argumentum pateat, breviter consideremus saluberrimos religionis christianæ effectus, mirabilem mutationem quam in humana societate produxit.

1. *Quoad doctrinam.* Factum est notissimum ante Christum universum genus humanum, solis Judæis exceptis, densissimis ignorantiæ, superstitionis, idololatriæ tenebris obvolutum jacuisse. Postquam autem Christus apparuit ejusque doctrina per orbem terrarum propagari cœpit, dissipatæ sunt ignorantiæ et erroris tenebræ, nova rerum conditio introducta atque facies terræ innovata est. In priorum errorum locum successit mentesque pervasit doctrina sublimissima ac sanctissima de Deo, ente perfectissimo, principio, fine et centro omnium, universi creatore, conservatore ac gubernatore, hominum clementissimo Patre, sanctissimo legislatore et justissimo judice; de animæ immortalitate et sublimi fine ei divinitus assignato, de sanctissima Dei voluntate et lege divina, propositis etiam efficacissimis præcepta servandi motivis. Atque hæc doctrina non apud quosdam electos discipulos aut viros doctos remansit, sed hominum omnis dignitatis et conditionis animos occupavit, ita ut modo etiam homines illiterati et infimæ conditionis clare ac secure loquantur de rebus ad salutem pertinentibus, de quibus olim præstantissimi etiam philosophi ancipites hærebant.

264. 2. *Quoad mores* non minus stupenda facta est per religionem christianam mutatio. Ingentem morum corruptionem tempore adventus Christi ubique gentium viguisse, testantur, non solum Apostoli et Patres sed vel ipsi scriptores gentiles. Statim autem ac cœpit promulgari religio christiana, facta est evidens morum innovatio, quæ se prodidit non tantum abstinentia a vitiis sed et eximia cultura virtutum, nominatim humilitatis, abnegationis, castitatis, amoris etiam inimicorum. Hujus facti notissimi testes amplissimi sunt Patres nominatim veteres Apologetæ, imo ipsi etiam gentiles qui passim fassi sunt de christianis accusatis, se nullam in ipsis pœnæ causam præter nomen christianum invenire.

265. 3. *Quoad vitam publicam et domesticam* saluberrimus fuit influxus religionis christianæ. Promovit quam maxime

stabilitatem ac bonum societatis civilis docendo homines officia justitiæ, fidelitatis, amoris mutui atque obedientiæ; coercendo tum principum tyrannidem et immanem victorum vindictam, tum subditorum seditiones; abrogando vel saltem mitigando miserrimam hominum servitutem; aperiendo ubique miseris hominibus refugia, fundando sodalitates atque instituta ad instituendam juventutem, ad curandos infirmos, ad sublevandos pauperes etc. Consuluit præclare bono familiæ firmando et sanctificando vinculum matrimoniale, restituendo uxori dignitatem, meliorando liberorum conditionem temperata potestate paterna etc. Jam vero hi effectus, quos summatim tantum recensuimus, tam stupendi atque mirabiles sunt, ut omnino fatendum sit, eos non causis naturalibus sed sola peculiari Dei virtute produci potuisse, ideoque christianæ religionis divinitatem atque veritatem probare. Quisquis enim secum reputaverit, quantæ difficultatis sit vel unius hominis mentem immutare, et ex flagitioso vere probum ac sanctum efficere; nonne cum viderit tam mirabiles effectus non in uno alterove, sed in multitudine prope infinita, ubique contigisse, exclamare cogitur: *„A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris?"* Quod nulla sapientia humana, nulla principum auctoritas efficere umquam potuisset aut voluisset, id religio christiana effecit. (1)

Art. IV. **De admirabili innumerorum martyrum fortitudine.**

266. Martyres proprie dicuntur illi qui pro religione catholica mortem subierunt. Causa martyrii fuit aut universim catholicæ religionis professio, aut alicujus dogmatis catholici assertio, aut firma ad Ecclesiam catholicam adhæsio, aut aliquando virtus ab Ecclesia commendata aut disciplinæ ecclesiasticæ observantia. Dum autem martyres unum vel alterum ex istis directe et explicite testantur, eorum testimonium semper recidit in divinitatem ac veritatem religionis et Ecclesiæ catholicæ. Jamvero illud martyrum testimonium validum suppeditat argumentum ad probandam divinam religionis christianæ originem. Sit itaque

(1) Cf. *Jungmann*, art. 6; *Ottiger*, l. c. th. 37.

267. **Thesis.** Martyrium christianum, in omnibus suis adjunctis spectatum, divinitatem ac veritatem religionis christianæ et Ecclesiæ firmissime probat.

Martyrium christianum dupliciter probat divinitatem ac veritatem religionis christianæ: ut *effectus supernaturalis*, qui nulla naturali causa explicari potest, quique proinde est miraculum in ordine morali; ut *testimonium*, quod non aliter existere potest, quam supposita veritate religionis quam testatur. Ut autem hæc duplex probandi vis, quæ inest martyrio, rite perspiciatur debet illud considerari in omnibus suis adjunctis.

268. Itaque 1. *ingens est numerus* martyrum omnis ætatis, sexus, conditionis. Hoc antiqui scriptores non solum christiani sed et gentiles testantur; uti Suetonius, Plinius, Tacitus qui (Annal. l. 15. n. 44) in sola persecutione Neronis *ingentem multitudinem* periisse asserit. De persecutione Decii scribit *Dionysius Alex.* (Apud Euseb. l. 7. c. 11): „Nostros vero (martyres) superfluum est nominatim recensere, cum et *plurimi sint* et vobis ignoti. Id tantum in universum vos scire convenit, viros et mulieres, juvenes et senes, puellas et anus, milites et privatos, ex omni denique hominum genere atque ætate, alios flagrorum verberibus, alios ferri acie, alios ignibus in certamine superatis coronas retulisse." De persecutione Diocletiani scribit *Lactantius* (De morte persecut. c. 16): „Vexabatur ergo *universa terra* et præter Gallias ab Oriente usque ad Occasum tres acerbissimæ bestiæ sæviebant."

2. *Atrocissima et exquisitissima sunt tormenta.* Hanc suppliciorum crudelitatem monumenta antiquitatis amplissime testantur. De omnibus fere repeti possunt, quæ de suis martyribus scribunt ecclesiæ *Viennensis* et *Lugdunensis* in epistola (apud Euseb. l. 5. c. 1): „Et gravitatem quidem ipsam ærummarum, et gentilium adversus sanctos furorem ac rabiem, quæque et quanta beati martyres perpessi sunt, nec nos exprimere dicendo, nec quisquam scribendo complecti accurate potest. Omni siquidem virium impetu in nos irruit adversarius."

3. Atrocior et magis periculosa sæpe fuit *pugna adversus carnem et sanguinem.* „Majorem violentiam, ait *S. Augustinus*

(in ps. 47 n. 12), habuerunt oculi flentium suorum quam persecutiones insectantium. Quam multos enim tenebant filii, ne paterentur? Quam multorum genibus provolvebantur uxores, ne viduæ relinquerentur?" etc.

4. Consideretur martyrum *incredibilis constantia ac animi fortitudo,* constanter enim et hilariter tormenta sustinuerunt, uti testantur eorum acta. *Lactantius* (l. 5. c. 13) dicit eos lacerationes perferre *inspirata patientia,* ac subdit: „Ecce sexus infirmus et fragilis ætas dilacerari se toto corpore urique perpetitur, non necessitate, quia licet vitare si vellent, sed voluntate, quia confidunt Deo."

5. Accedunt *adjuncta,* quæ maxime commendant martyrium christianum et arguunt absentiam furoris fanatici, obstinatæ pertinaciæ etc.: præclara multarum virtutum exempla, magna in responsis sapientia perfecta animi tranquillitas.

6. *Fructus* martyrii fuit innumerorum ad fidem christianam conversio. Præclare *Tertullianus* (Apolog. c. 50 n. 176) Romani imperii antistites ita alloquitur: „Cruciate, torquete, damnate, atterite nos; probatio est enim innocentiæ nostræ iniquitas vestra.... Nec quidquam tamen proficit exquisitior quæque crudelitas vestra.... Plures efficimur, quoties metimur a vobis: *semen est sanguis christianorum.*"

7. Consideretur demum facti *constantia.* Non primis tantum sæculis, sed semper quovis sæculo, quavis mundi plaga, Ecclesia martyrum sanguine fuit irrigata.

269. His itaque perpensis evidenter apparet *duplex vis probandi,* quæ inest martyrio.

Nam 1. illud martyrium cum omnibus suis adjunctis manifeste supponit specialem Dei interventum, estque proinde effectus supernaturalis seu miraculum in ordine morali, quo divinitas religionis christianæ invicte probatur. Neque enim ulla causa naturalis par est ad explicandum martyrium christianum. Non *spes lucri,* quod sane nullum exspectari poterat. Non *vanæ gloriæ cupido,* quam a nostra religione prohiberi et per quam ipsum martyrii fructum amitti martyres probe sciebant. Ceterum infamia publica notati erant christiani, et multi martyrium subierunt a nemine cogniti, adeo ut certi essent, sua nomina ad posteritatem haud perventura esse. Non *furor fanaticus,* quem manifeste excludunt tot, quibus

martyres ornabantur, virtutes: imprimis pax animi mentisque tranquillitas, prudentia in responsis, humilitas, diffidentia de sua virtute et non intermissæ ad Deum preces. Neque *inanis exspectatio bonorum futurorum.* Sane martyres spe gloriæ cœlestis vehementer fuisse impulsos ad fortiter subeunda tormenta, liquet ex eorum actis; ast si hæc fides *inanis* fuisset et *erronea,* tantæ constantiæ cum omnibus adjunctis illis quæ expendimus causa esse non potuisset. Cum error enim et vitium radix et fons esse nequeant virtutum *solidarum, heroicarum* et *sublimium*, quas miramur in martyribus; persuasio erronea non sufficit ad explicandum martyrium christianum. Cum ergo nulla sufficiens assignari possit causa naturalis, manet illatio, quam jam sæculo secundo ecclesia *Smyrnensis* in aurea epistola de martyrio sancti episcopi sui Polycarpi enuntiavit: „Eorum (martyrum) strenuitatem ac tolerantiam et erga Dominum caritatem quis non admiretur? Qui flagris quidem adeo lacerati, ut ad intimas usque venas et arterias corporis compago spectaretur, tamen sustinuerunt, ita ut etiam qui aderant misererentur ac plangerent: ipsi vero eo fortitudinis venerant, ut nemo illorum vel strideret vel ingemisceret, omnibus ostendentes, martyres Christi se tunc dum torquerentur a carne peregrinatos fuisse aut potius *Dominum ipsis adstitisse et cum ipsis esse versatum.*"

270. 2. Martyrium christianum consideratum ut *testimonium* pro religione christiana censeri debet testimonium veritatis. Martyres, uti ipsum nomen denotat, sunt etiam testes, qui ex firmissima de veritate religionis persuasione, quam ex certissimis utique argumentis hauserant, pro hac religione testimonium reddiderunt, sæpe etiam verbis expressum, subeundo pro ea atrocissimos cruciatus ac sævissimam mortem. Jamvero consonum illud testimonium, per plura sæcula continuatum, innumerorum martyrum omnis conditionis, ætatis et gentis splendidum veritatis testimonium censeri debet. Merito enim scribit *S. Hieronymus* (ep. 120 ad Hedibiam c. 10): „Cum quis viderit tanta perseverantia stare martyres atque torqueri et in suis cruciatibus gloriari, subit tacita cogitatio, quod *nisi verum esset evangelium, numquam sanguine defenderetur.* Neque enim delicata et divitiis studens ac secura confessio est; sed in carceribus, in plagis, in persecutionibus, in fame,

in nuditate, in siti. Hic triumphus est Dei, Apostolorumque victoria." (1)

271. **Scholion.** *De comparatione christianæ religionis cum aliis, nominatim cum Buddhismo et Mohammedanismo.*

Cum increduli non vereantur religioni christianæ æquiparare vel imo anteponere alias, nominatim religionem buddhisticam et mohammedanam, ut sic divinam christianismi originem negare possint, pauca hic addere juvabit de Buddhismo et Mohammedanismo, ut appareat, quam immerito hi æquiparentur christianismo et quomodo ex eorum comparatione cum christianismo hujus divinitas, nedum infirmetur, econtra magis splendescat. Pro ratione tamen compendii hæc brevissime tantum attingere licebit. Ceterum, cum enthusiasmus ex considerato præsertim Buddhismo ortus jam paulatim refrigescere cœperit, pauci hodie inveniuntur inter ipsos Rationalitas, qui Buddham Christo æquiparare audeant. Imo tantum abest, ut talis æquiparatio sit sinceræ solidæque scientiæ fructus, ut a doctissimis rerumque indicarum peritissimis viris prorsus rejiciatur. (2)

272. I. **De Buddhismo.** (3)

---

(1) Cf. *Jungmann,* art. 3; *Hurter,* n. 89 sqq.; *Tanquerey,* n. 220 sqq.; *Ottiger,* l. c. th. 38.

(2) Speciminis gratia accipiatur testimonium viri doctissimi *Dr. Windisch* (Rede bei Uebern. des Rectorats der Universität Leipzig 1895): „Diejenigen, welche für den Buddhismus schwärmen und ihn über das Christenthum erheben möchten, pflegen in doppelter Beziehung ungerecht zu verfahren: sie wenden nicht dieselbe Kritik, mit der sie das Christenthum abgethan zu haben glauben, auch auf den Buddhismus an, und sie greifen eklektisch aus dem Buddhismus nur das heraus, was ihnen passt. Der Buddhismus ist nicht nur eine enge Verbindung von Religion und Philosophie, sondern er hat auch von Anfang an eine starke Beimischung von Mythologie erhalten... Wieviel von der Mythologie des Buddhismus Buddha selbst zuzuschreiben ist, lässt sich nicht mit Genauigkeit feststellen; aber schon im ältesten Buddhismus tritt das mythische Element stark hervor. Die Götterwelt spielt in das Leben Buddhas hinein und Buddha selbst ist im Laufe der Zeit mehr und mehr mit dem Glanze eines Sonnengottes ausgestattet worden und für seine Anhänger fast an die Stelle eines Gottes getreten. Sehr bedenklich ist das Thun der Theosophischen Gesellschaft, die von Indien ausgegangen ist und jetzt in allen Ländern Eingang gefunden hat. Ihr Geheimbuddhismus ist eine Mystification, und ihre Zugkraft beruht weiter darin, dass sie die philosophischen Sätze des Buddhismus nicht nur mit der darwinistischen Entwickelungslehre, sondern auch mit dem Spiritismus zu verbinden sucht... Mit diesen unklaren und unkritischen Bestrebungen ist weder der Wahrheit noch dem Heile der Menschheit gedient."

(3) Cf. *Rhys Davids,* Manual of Buddhism; *Oldenberg,* Buddha, sein Leben, seine Lehre, seine Gemeinde; *Kern,* der Buddhismus etc.; *de Harlez,* La Bible dans l'Inde et la vie de Jezeus Christna; *Hardy,* der Buddhismus, et alii.

1. Buddhæ *vita ac gesta* primo cum Christi vita et gestis nullatenus comparari possunt. Etenim *a*) dum Christi vita et gesta narrantur in evangeliis, libris genuinis et fide dignissimis; de Buddhæ origine, vita et morte ne unum quidem exstat documentum, quod secundum sanam criticam ullam fidem historicam meretur. Sane convenit inter eruditos (1), Buddham mortuum esse inter a. 370 et a. 480 ante Christum. Inter libros autem, qui aliquam Buddhae historiam continent, nullus scriptus est nisi ad summum sæc. I ante Christum, i. e. tribus saltem sæculis post mortem Buddhæ. Præterea hi libri tot scatent narratiunculis ridiculis, ut omni auctoritate historica destituti appareant. Quare non desunt viri rerum indicarum periti, qui vitam Buddhæ mythum solarem esse dicant (2). Buddhæ igitur vita cum Christi vita comparari nequit, cum illi desit ipsum comparandi solidum fundamentum historicum, Christi autem vita secundum severissimam artem criticam historice constet. *b*) Dum Christus ad probandam divinitatem suæ missionis ac doctrinæ patravit innumera vera miracula, quorum veritas historica indubie constat, in Buddhismo nulla vera miracula reperiuntur. Primo buddhistica miracula narrantur in libris non nisi multis sæculis post Buddhæ mortem scriptis, et quo antiquiorem illi libri referunt traditionem eo pauciores res miraculosas continent (3). Quæ in posterioribus libris de Buddha narrantur miracula esse quoad magnam partem mythos solares jam omnes eruditi concedunt. Deinde miracula, quæ Buddhæ tribuuntur, tam ridicula sunt ut omnino incredibilia appareant. Ita e. g. Buddha cum rege serpentum pugnaturus fumum e corpore suo emisit et totum suum corpus in ignem convertit; alio tempore percurrit per totum firmamentum cœli a parte orientali usque ad partem occidentalem et interim ex uno oculo mittebat aquam, ex altero ignem; postea magnum construxit ædificium, ut in eo cum adversariis certatim patraret miracula,

(1) Cf. *Hardy, Kern* et *Oldenberg* ll. cc.

(2) Cf. *Senart,* Essai sur la légende du Buddha.

(3) Ita e. g. *Oldenberg* (op. cit. p. 83): „Erst spätere Jahrhundert, die in ganz anderem Massstabe als die alte Zeit die Geschichte Buddhas mit Wundern ausgestattet haben, wandten sich mit besonderer Vorliebe dazu, die Gestalt des gebenedeiten Kindes mit den ausschweifendsten Schöpfungen einer schrankenlosen Phantasie zu umgeben."

et ita quis potentior esset appareret. Quis non videt, talia cum Christi miraculis non nisi absurde comparari?

273. 2. Non majori jure Buddhæ *doctrina* cum Christi doctrina comparari potest. Doctrina buddhistica est derivatio ex systematibus philosophicis Indiæ, nominatim ex Brahmanismo, præ quibus non est progressus, sed potius regressus. In Buddhismo nihil de Deo, causa prima, docetur. Hominis, qui a brutis non essentialiter differt, finis est status perfectissimæ quietis vel absolutæ destructionis, qui status *nirvana* dicitur, de cujus tamen nirvanæ vero statu investigationem inutilem esse et ut nocivam vitandam dixit Buddha. Metempsychosis cum omnibus suis consectariis docetur. Vita quælibet est essentialiter misera, ideo homo omni conatu niti debet ab existentia liberari et nirvanam ingredi. Medium, quo hunc finem homo attingit, est et recta cognitio rerum humanarum, ex qua studet se separare ab omnibus desideriis ac voluptatibus eum attrahentibus, et benevola erga alios voluntas. Hæc tamen abnegatio et caritas non ex amore erga Deum et proximos oritur, sed ex amore proprio et desiderio propriæ beatitudinis (1). Quomodo, quæso, hæc doctrina comparari posset cum doctrina Christi, quæ tam clare et splendide docet Deum ejusque excellentiam, hominis naturam, dignitatem et finem, amorem Dei et proximi, in qua despectus rerum mundanarum non est, sicut in Buddhismo, effectus egoismi et gemitus desperationis, sed effectus amoris Dei et firmæ spei in eum? Ceteroquin fructus Buddhismi sunt polygamia, polyandria, divortium, carentia operum christianæ caritatis.

274. 3. Quod demum ad Buddhismi *propagationem* spectat, negari nequit illum late diffusum esse, et, post viginti quinque sæcula, multos adhuc habere sectatores, licet et hæc diffusio sæpe multum exaggeretur (2). Quæ tamen diffusio non potest attribui *internæ* vi doctrinæ buddhisticæ; nam, testantibus viris clarissimis (3), Buddhismi doctrina moralis non magnum in populos habuit influxum, et Buddhismus numquam interne vere floruit atque ex interna debilitate celeriter decrepuit. Præterea Buddhismus non mansit id, quod initio erat, sed

(1) Cf. *Ottiger*, § 48.
(2) Cf. *Ottiger*, l. c.
(3) Cf. *Barth*, the Religions of India, p. 125. 136; *Kern*, op. cit. II, 550.

divisus est in multas sectas, quæ primitivæ doctrinæ multas superstitiones, polytheismum, idololatriam et magiam admiscuerunt. Non nisi inepte igitur ejus propagatio et conservatio cum propagatione et conservatione Christianismi comparantur. Buddhismus non est religio divina sed inventum humanum, ut patet ex erroribus quos continet et ex ejus insufficientia in erigendis hominibus ad altum moralitatis statum. Absurde ergo agunt illi, qui vel Buddhismum æquiparant Christianismo, vel hunc ex illo derivatum esse autumant.

275. II. **De Mohammedanismo.**

Hæc religio, originem ducens a Mohammede mortuo a. 632 post Christum, licet propter cultum unius Dei, creatoris omnium, gentilium superstitione multo melior, nedum cum Christi religione comparari possit, *aperte falsa est.*

1. Id patet *ex perversis ipsius auctoris moribus.* Mohammedem enim libidini omnino deditum fuisse, notissimum est. Dum olim ut impostor communiter habebatur, hodie multi censent eum in prædicanda religione bona fide egisse, dicunt eum nervorum infirmitate laborasse et imaginatum esse se habere veras visiones (1). Ast etiamsi dici posset, Mohammedem initio sincerum fuisse, ejus tamen bona fides ægre admitti potest inde ab eo tempore, quo suam libidinem prætensis revelationibus excusare studuit.

2. Mohammed *ne uno quidem miraculo* suam missionem ac doctrinam probavit. Vanum utique et subdolum est effugium Mohammedis, dicentis Deum ipsum ideo non misisse instructum potestate patrandi miracula, quod homines increduli miraculis aliorum non crediderint. Dicebat quidem, se divinas revelationes accepisse, sed hæc est mera assertio, quam numquam probavit; imo cum his revelationibus abusus sit ad excusandum divortium, polygamiam et libidinem (2), liquet illas minime divinas fuisse. Quæ opera mirabilia a Mohammede patrata ejus asseclæ narrant, ea ex auditu tantum et quidem a variis varie sæpe traduntur, pleraque prorsus ridicula sunt, ut arbores

(1) Cf. *Sprenger,* Das Leben und die Lehre des Mohammed, 1. 267 sqq.

(2) Ita licet jam novem uxores et plures concubinas haberet, commercium carnale habuit cum quadam serva coptica, Maria nomine, et ad sedandas uxorum querelas dixit se revelationem habuisse, qua jussus esset has querelas contemnere (Sacred Books of the East 6. XL); 9. 290, apud *Pesch,* n. 207.

ambulantes, lapides, montes etc. Mohammedem salutantes, magna pars lunæ in ejus manicam delapsa. Talia nullam prorsus fidem mereri, quivis prudens facile videt. Unum ex præcipuis miraculis, quæ Mohammedi tribuuntur, est ejus iter cœleste, quod quadam nocte instituisse dicitur, quodque in Coran memoratur. Sed hujus rei, præter mendacem Mohammedem, nullus testis habetur; præterea multi vel ex ipsis ejus discipulis dicunt, illud iter non nisi somnium fuisse.

276. 3. *Mohammedis doctrina continet multa christianæ doctrinæ certe divinæ et sanæ rationi contraria.* Ut quædam innuamus: excludit trinitatem divinarum personarum, quæ est dogma fundamentale christianismi; fatalismum aliquando insinuat, aliquando clare docet; promittit paradisum plenum deliciarum tantum terrestrium, maxime libidinum. Religio mohammedana fere tota consistit in rebus mere externis, in purificationibus, jejuniis, precibus, peregrinationibus; parum curat dispositiones internas, nihil habet de animi pœnitentia et emendatione, vix aliquid de humilitate et vera Dei caritate dicit. Polygamiam et divortium ad nutum mariti permittuntur. (1)

4. De mohammedanismi *propagatione* jam diximus supra n. 255. Hæc pauca sufficiunt, ut appareat, quam absurde mohammedanismus cum christianismo comparetur.

277. **Conclusio.** Hisce, Deo dante, pervenimus ad terminum hujus tractatus, cujus scopus erat ostendere, religionem christianam divinitus revelatam ideoque veram esse. Ad hoc probandum exposuimus et perpendimus præcipua argumenta seu motiva credibilitatis, quæ tot ac tanta sunt, ut cum *Richardo a. s. Victore* (De Trin. l. 1 c. 2) „cum omni confidentia Deo dicere possimus: Domine si error est, a te ipso decepti sumus, nam ista in nobis tantis signis et prodigiis confirmata sunt et talibus, quæ non nisi per te fieri possunt." Quare merito concludimus, factum revelationis christianæ esse certissimum, ideoque revelationem esse evidenter credibilem, proindeque evidenter omnibus hominibus incumbere gravissimam obligationem eam amplectendi eidemque fidem exhibendi.

Ut in fine summam nostræ demonstrationis paucis proponamus, absolvimus tractatum verbis *Pii IX* in Encyclica 8

(1) Cf. *Ottiger*, l. c.

Nov. 1846: „Quam multa, quam mira, quam splendida præsto sunt argumenta, quibus humana ratio luculentissime evinci omnino debet, divinam esse Christi religionem, et omne dogmatum nostrorum principium radicem desuper ex cœlorum Domino accepisse, ac propterea nihil fide nostra certius, nihil securius nihil sanctius exstare, et quod firmioribus innitatur principiis. Hæc scilicet fides, vitæ magistra, salutis index, vitiorum omnium expultrix, ac virtutum fœcunda parens et altrix, divini sui auctoris et consummatoris Christi Jesu nativitate, vita, morte, resurrectione, sapientia, prodigiis, vaticinationibus confirmata, supernæ doctrinæ luce undique refulgens ac cœlestium divitiarum ditata thesauris, tot prophetarum prædictionibus, tot miraculorum splendore, tot martyrum constantia, tot sanctorum gloria vel maxime clara et insignis, salutares proferens Christi leges ac majores in dies ex crudelissimis ipsis persecutionibus vires acquirens, universum orbem terra marique, a solis ortu usque ad occasum, uno Crucis vexillo pervasit, atque idolorum profligata fallacia, errorum depulsa caligine triumphatisque cujusque generis hostibus, omnes populos, gentes, nationes utcumque immanitate barbaras ac indole, moribus, legibus, institutis diversas, divinæ cognitionis lumine illustravit atque suavissimo ipsius Christi jugo subjecit, annuntians omnibus pacem, annuntians bona. Quæ certe omnia tanto divinæ sapientiæ ac potentiæ fulgore undique collucent, ut cujusque mens et cogitatio vel facile intelligat, christianam fidem Dei opus esse." Vere itaque cum Psalmista dicere possumus:

Testimonia Dei credibilia facta sunt nimis.

TRACTATUS II.

DE FONTIBUS REVELATIONIS.

Introductio. Nexus doctrinæ; status quæstionis; divisio tractatus.

278. I. **Nexus doctrinæ.** In tractatu de vera religione probavimus existere divinam revelationem; ostendimus Deum in Christo et per Christum se revelasse, doctrinas, præcepta, instituta quæ ad salutem pertinent, adeoque religionem divinam credendam et observandam hominibus tradidisse. Hujus facti veritate posita, sponte sua oboritur quæstio, ubinam revelatio christiana integra et impermixta reperiatur. Cum enim revelatio christiana, ante multa jam sæcula data atque in Apostolis absoluta, destinata fuerit omnibus hominibus usque ad consummationem sæculorum, sequitur eam etiamnum integram in genere humano permanere et ab hominibus cognosci posse. Quæritur itaque, quonam veluti canali, quonam medio revelatio pridem completa ad nos usque pervenerit atque conservata sit integra et sincera, seu quinam sint illi fontes, per quos aqua doctrinæ salutaris ad posteras generationes pura decurrerit et ex quibus ea tuto hauriri possit.

279. II. **Status quæstionis.** Ut status quæstionis melius pateat, breviter indicabimus, quid de fontibus revelationis ac de regula fidei doceant Protestantes, quid vero Catholici.

1. *Error Protestantium.* Docent Protestantes *a)* Scripturam sacram esse *unicum medium,* quo revelatio christiana conservata et ad posteras generationes transmissa sit, eam esse *unicum fontem,* in quo integra doctrina Christi consignata sit et ex quo omnia dogmata revelata haurienda sint; ideoque præter Scripturam S. nullum aliud medium authenticum conservandæ et transmittendæ veritatis revelatæ, nullum alium fontem revelationis admittendum esse.

b) Solam Scripturam esse *regulam proximam* et *judicem* fidei. Negatur itaque existere aliquam auctoritatem visibilem, aliquod Magisterium divinitus institutum, quod authentice declaret, quid in fonte revelationis contineatur, quid objectivæ regulæ fidei (Scripturæ) sit conforme, quid ab ea dissonum. Hoc Protestantium principium fundamentale ita exprimitur in *Formula Concordiæ:* (P. 1. Prœm. n. 7) *„sola S. Scriptura judex, norma et regula* agnoscitur, ad quam omnia dogmata exigenda sunt et judicanda." (1)

Cum autem Scriptura S. non nisi intellecta possit esse norma credendi, sequitur ipsam, negata omni auctoritate, interpretandam et intelligendam relinqui singulis, qui privato suo judicio sensum Scripturæ determinant, ita ut ultimatim singuli judices fidei constituantur. Quare demum integra regula fidei in sententia Protestantium hæc est: *Scriptura sacra privato singulorum judicio intellecta.*

280. 2. *Catholicam doctrinam* hisce tradit *Concilium Vaticanum* (const. Dogm. *Dei Filius,* c. 3): *„fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quæ in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive solemni judicio sive ordinario et universali magisterio tamquam divinitus revelata credenda proponuntur."*

In hisce Concilii verbis duo continentur: *a*) Integram doctrinam revelatam objective contineri in *Scripturis* et *Traditionibus divinis,* ideoque *duos* esse fontes revelationis, scil. *Scripturam sacram* et *Traditionem divinam.*

b) Hanc doctrinam comprehensam in Scripturis et Traditionibus divinis nobis *authentice proponi tamquam revelatam et credendam ab Ecclesia*, cujus est conservare et authentice interpretari Scripturam et Traditionem.

Hinc secundum Catholicos regula completa fidei, i. e. norma qua regulatur fides singulorum, seu qua determinatur quid sit divinitus revelatum adeoque credendum, est *Scriptura et Traditio divina ab Ecclesia explicata et proposita.* Hæc itaque

(1) In eadem formula n. 1 legitur: „Credimus, confitemur et docemus unicam regulam et normam, secundum quam omnia dogmata omnesque doctores aestimari et judicari oporteat, nullam omnino aliam esse quam prophetica et apostolica scripta cum veteris tum novi Testamenti." Cf. alia apud *Möhler*, Symbolik § 44.

regula fidei ex duobus coalescit: 1) ex Scriptura et Traditione tamquam fontibus, in quibus universa credenda continentur, et 2) Ecclesia conservante hos fontes, declarante et proponente quæ in ipsis comprehenduntur. Habitudo horum duorum est hæc: primum subordinatur secundo, nam Scriptura et Traditio, licet contineant et exhibeant totum objectum fidei divinæ, per se solæ tamen non sufficiunt ad regulandam fidem, sed ad hoc tantum valent qua explicatæ et propositæ ab authentico magisterio Ecclesiæ. Propter hanc habitudinem Scriptura et Traditio vocantur regula fidei *remota,* propositio vero Ecclesiæ regula fidei *proxima*, quia hæc ultimatim singulis applicat atque proponit quæ in regula remota habentur. (1)

Hæc est igitur doctrina catholica quæ a nobis demonstranda ac evolvenda et contra adversarios, nominatim contra Protestantes, vindicanda est. Ex dictis satis apparet, duo elementa, ex quibus integra regula fidei coalescit, tam arcte cohærere, ut de ipsis seorsim vix disputari possit, et nominatim de fontibus revelationis plene et pro merito agi nequeat, quin plura jam tradantur de magisterio authentico Ecclesiæ, cui obnoxii et subordinati sunt.

281. III. **Ordo et divisio tractatus.** Ut ex ordine progrediamur, prius agemus de regula fidei remota seu de fontibus revelationis, altero distincto tractatu de Ecclesia data opera disputabimus.

Hunc tractatum de fontibus revelationis dispescimus in duas partes de *Scriptura* et de *Traditione.* Quia autem spectamus Traditionem in concreto et una cum magisterio authentico tamquam organo conservationis et explicationis ejusdem, et quia a Traditione hoc modo considerata multipliciter pendet eique subordinatur Scriptura sacra, ideo primo agemus de *Traditione divina,* deinde de *Scriptura sacra.*

---

(1) Cf. *Scheeben,* Handb. der kath. Dogm. t. 1. n. 56 sqq.; *Heinrich,* Dogm. Theol. t. 1. § 64; *Jansen,* Prael. theol. fund. § 114.

PARS I.

DE DIVINA TRADITIONE.

Prænotanda. Notio traditionis; disputationis methodus et divisio.

282. I. **Notio traditionis.** 1. Traditio *in genere* est rei alicujus transmissio. Quævis traditio potest spectari tum *objective,* tum *active,* tum *complexe.* Traditio *objectiva* est ipsum objectum traditum, quod potest esse multiplex, puta doctrina, ritus, factum, institutum. Traditio *activa* est ipse modus seu actus transmittendi, qui modus pariter varius esse potest: traditio enim fieri potest verbo, praxi, vel scripto, et ratione hujus diversi modi traditio *oralis, practica,* vel *scripta* vocatur. Traditio *complexe* sumpta est ipsum objectum cum modo transmittendi veluti materia cum sua forma.

Cum autem traditio activa sine objecto, quod traditur, esse nequeat, et vicissim objectum ut traditum sine traditione activa intelligi non possit, patet traditionem, ut *plena* habeatur ejus notio, spectandam esse *in complexu,* eo vel magis quod a modo transmittendi conservatio, integritas et auctoritas objecti traditi et traditionis pendet.

283. 2. Traditio *sacra* latius accepta dici potest *doctrina vel institutio ad religionem pertinens, a majoribus transmissa Ecclesiæ custodienda.* Porro traditio sacra ratione *originis* distinguitur in *divinam, apostolicam* et *ecclesiasticam,* quibus propter diversam originem diversus auctoritatis gradus respondet.

a) Traditiones *divinæ* sunt illæ, quarum objecta immediate a Deo revelata et ordinata sunt. Traditio divina, nominatim N. T., iterum bifariam dispescitur: in *dominicam,* cujus primus visibilis promulgator fuit Christus, et *divino apostolicam,* quæ ab Apostolis primo promulgata est, revelante et dictante Spiritu S., quæ distinctio tantum accidentalis est, ita ut utraque, cum Deum habeat auctorem, eadem divina auctoritate gaudeat.

b) Traditiones *mere apostolicæ* sunt illæ, quarum objecta instituta et ordinata sunt ab Apostolis potestate ipsis propria,

ut erant a Christo constituti *Ecclesiæ rectores:* talis traditio est e. g. observatio diei dominicæ loco sabbati. (1)

c) Traditio *ecclesiastica* complectitur instituta et præcepta post tempora Apostolorum ecclesiastica potestate introducta et Ecclesiæ legitime tradita.

284. Quoad præfatam distinctionem notetur *a)* traditiones divinas omnes universales, perpetuas ac necessarias esse atque circa illas Ecclesiæ solum competere jus docendi et explicandi. Econtra traditiones tum mere apostolicæ tum ecclesiasticæ non sunt necessario universales, sed et particulares esse et a legitima auctoritate ecclesiastica modificari vel etiam abrogari possunt. Animadvertendum insuper est, Patres traditiones mere apostolicas vel ecclesiasticas quandoque vocare divinas, quia ortæ sunt ex potestate divinitus collata et ita mediate a Deo; sicut vicissim traditiones divinas aliquando apostolicas vel etiam ecclesiasticas appellant, eo quod Apostoli et Ecclesia eas propagarunt.

b) Notetur ad discernendam traditionem divinam a traditione mere apostolica hæc breviter statui posse.

Quando agitur de *doctrina* religiosa vel de hujusmodi *instituto, quod non nisi Deum auctorem habere possit,* ut sunt Sacramenta N. T., traditio est aut divina aut nulla, quia solus Deus est auctor tum omnis doctrinæ in Ecclesia credendæ tum omnium Sacramentorum.

Quando vero agitur de præceptis vel institutis, quæ ex sua indole non necessario postulant divinam originem, sed quæ possunt etiam esse introducta potestate vel apostolica vel ecclesiastica, normam ad distinguendam traditionem ecclesiasticam ab apostolica indicat *S. Augustinus* (De Bapt. l. 4. c. 24): „Quod universa tenet Ecclesia nec conciliis institutum sed semper retentum est, non nisi *auctoritate apostolica* traditum rectissime creditur." Ut autem in hujusmodi institutis apostolicis discernatur traditio divina a mere apostolica, fere nulla regula tuta adhiberi potest præter judicium vel sensum et praxim Ecclesiæ. (2)

285. Præter distinctionem expositam, traditio sacra adhuc

(1) Alia exempla traditionis mere apostolicae videri possunt apud *M. Canum,* de Locis theol. l. 3. c. 5; apud *Petavium,* de eccl. hierarch. l. 1. c. 1.

(2) Cf. *Bellarminus,* de verbo Dei, qui quinque regulas proponit.

dividitur: ratione *objecti* in *dogmaticam* et *disciplinarem* prout ejus materia sunt vel dogmata fidei et morum vel statuta disciplinaria. Ratione relationis ad S. Scripturam traditio *dogmatica* dicitur vel *constitutiva,* qua traditur dogma in S. Scriptura non contentum, vel *inhæsiva,* cujus objectum etiam SS. Litteris comprehenditur. Traditio demum *disciplinaris* est aut *perpetua* aut *temporalis, universalis* aut *particularis* seu localis, *necessaria* aut *libera.*

286. 3. *Notio propria et specifica traditionis divinæ.* Cum nomine traditionis per se non definiatur modus tradendi, traditio *latiori* quandoque sensu a Patribus (1) accipitur pro omnibus dogmatibus et institutis *quocumque* modo ex antiquitate Ecclesiæ transmissis, etiamsi medium transmittendi fuerit S. Scriptura.

Nihilominus communis, *propria ac specifica traditionis divinæ notio* est illa, qua significatur alter divinæ revelationis fons, a S. Scriptura distinctus, qua proinde indicatur alius præter Scripturam modus transmittendi revelata. Licet autem traditio ita stricte et proprie accepta distinguatur a Scriptura, non tamen propterea excluditur omnis scriptio e. g. Patrum etc. ad eamdem melius transmittendam et conservandam, sed excluditur tantum scriptio auctorum *inspiratorum,* et hoc sensu dicitur *oralis* in distinctione nempe a scriptione inspirata. Itaque traditio divina sensu *stricto ac proprio* sumpta, de qua hic potissimum quærimus, sunt *dogmata et instituta divina alio modo quam per S. Scripturam ad nos usque transmissa.* Quia autem, uti in ipso hujus disputationis exordio probabimus, iste transmittendi modus, a Scriptura distinctus, est prædicatio authentici magisterii a Christo instituti, ideo traditio divina proprie accepta magis distincte definiri potest: dogmata et instituta divina per vivens et authenticum magisterium ad nos usque transmissa.

287. II. **Disputandi methodus.** Cum in traditione divina, sicuti in quavis traditione, distingui possint objectum traditum et modus tradendi, disputatio de traditione divina dupliciter institui potest.

1. Disputatio institui potest incipiendo a consideranda traditione objective sumpta, seu ab inquirendo, utrum existant

(1) Cf. etiam 2 Thess. II, 14.

veritates revelatæ in S. Scriptura vel nullatenus vel non sufficienter propositæ. Hac primaria quæstione soluta, quæritur ulterius de medio seu modo, quo istæ veritates in S. Scriptura non comprehensæ ad nos usque puræ et integræ sint transmissæ.

2. Alter procedendi modus est, ut primo et potissimum quæratur de medio traditionis divinæ, utrum scil. Christus instituerit aliud medium, præter S. Scripturam, quo dogmata et instituta divinitus revelata illibata ac pura conservarentur atque ad posteras generationes transmitterentur. Demonstrato revera institutum esse a Christo hujusmodi medium, facillime solvitur altera quæstio de traditionibus objective spectatis; nam eo ipso constat, veritates omnes hoc medio divinitus instituto nobis transmissas tamquam revelatas, esse traditiones divinas, quæ si in SS. Litteris quoque contineantur constituunt verbum Dei scriptum simul et traditum, si vero in ipsis non comprehendantur sunt verbum Dei traditum tantum et non scriptum.

Cum ex his duabus procedendi methodis secunda nobis videatur esse magis logica, planior atque distinctior et scopo polemico contra Protestantes melius respondere, hanc præferendam esse ducimus hancque in hoc nostro tractatu sequimur. Cf. *Franzelin,* de divina Traditione th. 3. (1)

288. III. **Disputationis divisio.** Tractationem de traditione divina in quatuor dividimus capita: agemus 1. *de traditionis divinæ existentia;* 2. *de monumentis et mediis conservandæ et agnoscendæ traditionis;* 3. *de relatione inter divinam traditionem et sacram Scripturam;* 4. *de explicatione doctrinæ catholicæ.*

CAPUT I.

DE DIVINÆ TRADITIONIS EXISTENTIA.

Secundum methodum a nobis indicatam existentiam divinæ traditionis ceu alterius revelationis fontis, a S. Scriptura disticti, demonstrabimus ostendendo a Christo Domino esse

(1) Quae hoc tractatu de fontibus revelationis tradimus quoad magnam partem desumpsimus ex praeclaro et magistrali opere *Card. Franzelin,* de divina Traditione et Scriptura.

institutum aliud præter S. Scripturam medium ad conservandam et propagandam revelationem christianam, nempe authenticum magisterium. Hoc probato, altero articulo inde colligemus ac paucis declarabimus proprium conceptum divinæ traditionis.

Art. I. De medio divinitus instituto ad conservandam et propagandam doctrinam christianam.

289. **Thesis.** Medium et organum perpetuo propagandi et conservandi integrum depositum revelationis, a Christo institutum, est vivens et authenticum magisterium. (1)

Prob. I. *Ex œconomia a Christo instituta.* 1. Christus Dominus, uti constat ex evangeliis, conciliata sibi per multiplicia signa auctoritate, doctrinam suam non scripto, sed viva voce, personali, vivente magisterio annuntiavit, exigens ab omnibus plenam fidem et absolutam obedientiam iis, quæ docebat.

2. Reversurus ad Patrem perpetuitati suæ doctrinæ prospexit non eam scriptam relinquendo, sed injungendo Apostolis, a se per prædicationem institutis et sua auctoritate instructis, munus non quidem scribendi sed prædicandi et docendi doctrinam christianam. Cf. n. 295.

3. Voluit Christus ut Apostoli, legatione pro Christo fungentes, docerent *omnes gentes, omnibus diebus usque ad consummationem sæculi,* ut prædicarent evangelium *omni creaturæ,* et ipsis in hoc munere promisit jugem suam tutelam et assistentiam Spiritus veritatis.

4. Voluit simul Christus ut omnes Apostolis cum auctoritate docentibus fidei obsequium præstarent sub discrimine æternæ salutis: „prædicate evangelium ..... qui non crediderit condemnabitur" (Marc. XVI, 15 sq.).

Porro ex his factis manifeste colligitur, magisterium authenticum ad propagandam et conservandam doctrinam christianam et huic respondentem in credentibus obedientiam fidei esse elementum *intrinsecum* et *essentiale* religionis et œconomiæ a Christo institutæ, ideoque *incommutabiliter* et *perpetuo* in ipsa

(1) Cf. *Franzelin,* th. 4. 5 et 6; *Scheeben,* n. 91 sqq.; *Heinrich,* § 65 sq.; *Hurter,* de Tradit. n. 114 sqq.

durare debere. Quare juxta œconomiam a Christo institutam medium et organum perpetuo propagandi et conservandi depositum revelationis est vivens et authenticum magisterium.

290. *Prob.* II. *Ex intimo nexu, quo magisterium authenticum qua causa necessaria cohæret cum essentialibus proprietatibus revelationis christianæ.* Hoc argumentum ita enuntiari potest. Necessariæ proprietates religionis christianæ sunt *universalitas* et *unitas.* Atqui istæ proprietates consistere nequeunt sine magisterio vivente, quo authentice et infallibiliter conservetur ac omnibus proponatur revelatio, quodque in hac sua auctoritate sit omnibus facile cognoscibile. Ergo vivens et authenticum magisterium est causa, a qua pendent necessariæ proprietates religionis christianæ, ideoque est medium necessarium et perpetuum conservandi et proponendi depositum revelationis.

291. *Declaratur propositio major.* Cum Christus suam revelationem destinaverit *omnibus gentibus, omni creaturæ,* prorsus evidens est requiri modum proponendi hanc revelationem ita accomodatum omnibus, ut *omnes morali possibilitate* sine periculo erroris eam credere possint, et credere teneantur. Universalitas itaque, prout dicit *modum proponendi revelationem ita accommodatum omnibus,* est absque dubio proprietas necessaria religionis christianæ. In hac autem universalitate requiri unitatem fidei, liquido constat ex ipsa notione divinæ revelationis. Sicut enim homines, propter suam absolutam a Deo dependentiam, tenentur Deo revelanti credere, ita, propter eamdem rationem, obligantur ad credendas omnes veritates revelatas. Sunt igitur universalitas et unitas fidei proprietates necessariæ religionis christianæ, proindeque ipsa natura revelationis christianæ postulat talem hominibus proponendi modum, quo omnes possint morali possibilitate, absque periculo erroris, omnes veritates revelatas credere.

292. *Prob. minor.* Modus conservandi et proponendi divinam revelationem omnibus accommodatus, imo accommodatissimus, sane *est per auctoritatem legatorum Dei,* qui authentice proponant singulis veritates revelatas, quique ut legati Dei omnibus sint facile cognoscibiles. Præter hanc autem auctoritatem legatorum Dei nullus datur modus proponendi revelationem omnibus accommodatus. Excluso enim magisterio authentico

et seclusa revelatione immediate facta singulis, quæ in præsenti ordine non obtinet, restat unicus modus cognoscendi revelationem et veritates, revelatas nempe *propria singulorum inquisitio,* qua singuli ad cognoscendas veritates revelatas pervenirent. Atqui considerata ab una parte ingenii, indolis et cupiditatum hominum varietate, et spectata ab altera parte tum veritatum revelatarum difficultate tum sacrarum scripturarum obscuritate, prorsus evidens est istam inquisitionem scientificam saltem pro maxima parte hominum moraliter impossibilem ideoque minime accommodatam esse omnibus.

293. Neque ad eludendam necessitatem propositionis per magisterium authenticum dicatur, vel *gratiam internæ illustrationis supplere defectum externæ propositionis,* vel *rudibus et indoctis consuli posse auctoritate doctorum.* Etenim 1) interna illustratio, quæ aut vices gereret externæ propositionis, aut, quod fere idem est, compleret externam propositionem haud sufficientem, foret vel simpliciter vel æquivalenter immediata revelatio. Talem vero illustrationem in præsenti œconomia non omnibus dari, ex tota historia religionis christianæ et ex ipso experientiæ testimonio omnino liquet. Datur quidem in præsenti providentia singulis gratia illustrationis internæ ad hoc, ut fides supernaturalis esse possit; sed hæc, cum eo tantum pertineat ut homo libentius et modo supernaturali credat veritatem propositam, nedum excludat necessitatem sufficientis et idoneæ propositionis externæ, eam omnino supponit ac prærequirit. (1)

2) Quod ad auctoritatem doctorum spectat primo polemice contra Protestantes notamus, ipsos ad eam confugere non posse, quin sibi manifeste contradicant, cum ideo rejiciant magisterium ecclesiasticum, ne fides auctoritate humana nitatur. Deinde modum proponendi fidem per auctoritatem humanam doctorum pro rudibus et indoctis haud sufficientem esse facile patet. Requireretur enim, ut doctores propria inquisitione *absque periculo erroris* pervenerint ad *plenam* et *concordem* cognitionem *omnium* veritatum revelatarum et ut præterea hæc plena ipsorum scientia rudibus ac indoctis certo innotescat. Utrumque autem non solum gratis supponitur, sed etiam, teste experientia, prorsus falsum est.

(1) Cf. *Kleutgen,* Theol. der Vorz. t. 4. n. 171 sqq.

Manet igitur quod asserebamus, excluso magisterio authentico restare unicum modum cognoscendi veritates revelatas, nempe propriam singulorum inquisitionem. Quia autem, uti probavimus, hic modus ad unitatem fidei in universalitate servandam haud idoneus est, tandem firmiter concludere possumus: vivens magisterium est causa, a qua pendent necessariæ proprietates religionis christianæ, ideoque est medium necessarium et perpetuum conservandi et proponendi depositum revelationis.

294. Hanc conclusionem, ex rerum natura hucusque probatam, luculentissime confirmat ipsa historia Protestantium, qui, rejecto magisterio authentico, in tot sectas divisi sunt et in novas porro dividuntur, sicque suis aberrationibus valide comprobant, unitatem fidei in universalitate sine authentico magisterio consistere non posse. (1)

295. *Prob.* III. *Ex disertis Christi verbis.* 1. Disertissimis verbis Christus instituit in Apostolis magisterium prædicationis ad authentice docendam et testificandam integram doctrinam revelatam. Verba Christi potissimum huc pertinentia per se clara sunt: „Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. *Euntes ergo docete omnes gentes .... docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis.*" (Matth. XXVIII, 18 sqq.). „*Euntes in mundum universum prædicate evangelium omni creaturæ.* Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit, qui vero non crediderit condemnabitur" (Marc. XVI, 15 sq.). „*Eritis mihi testes* in Jerusalem et usque ad ultimum terræ" (Act. I, 8.).

2. Christus voluit et ordinavit, ut hoc magisterium authenticum prædicationis et testificationis in *successoribus* Apostolorum perpetuo duraret. Id constat jam ex verbis allatis: „docete *omnes gentes,*" „prædicate evangelium *omni creaturæ,*" „eritis mihi testes usque *ad ultimum terræ;*" hoc enim Apostoli, nisi perpetuos in munere prædicandi haberent successores, præstare nequirent. Id clarius adhuc patet ex adjecta Christi promissione: „Docete omnes gentes .... *et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*" (Matth.

(1) Cf. *Hettinger,* Apol. des Christ. t. 2. p. 2. diss. 17, ubi legi possunt candidae confessiones Protestantium de impossibilitate unitatis fidei sine principio auctoritatis. Cf. etiam *Wiest,* Instit. theol. t. 3. § 104 sqq.

XXVIII, 20.); „Et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, *ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis*" (Joan XIV, 16 sq.). Hisce verbis promittit Christus Apostolis docentibus suam tutelam *usque ad consummationem sæculi* et assistentiam Spiritus veritatis *in æternum;* proindeque Apostoli, utique per suos successores, usque ad finem sæculorum, sub tutela Christi et assistentia Spiritus, authentice et infallibiliter testificari ac docere debent evangelium, integram doctrinam et disciplinam Christi. Iisdem igitur verbis, quibus Christus Apostolos designavit authenticos suos legatos supernaturali veritatis charismate instructos ad doctrinam Ecclesiæ tradendam, simul etiam instituit *perpetuam successionem legatorum,* cum promisso charismate veritatis per Spiritum S. et per præsentem tutelam Jesu Christi, ad doctrinam ab Apostolis acceptam integram custodiendam atque ad posteras generationes transmittendam. Quare ex Christi verbis manifeste colligitur, quod erat probandum, medium et organum perpetuo propagandi et conservandi integrum depositum revelationis, a Christo institutum, esse vivens et authenticum magisterium.

296. **Corollarium.** Cum demonstraverimus, magisterium successionis apostolicæ ad custodiendum et docendum depositum revelationis ex institutione Christi intime consertum esse cum natura et proprietatibus necessariis religionis christianæ, illudque disertis Christi verbis esse institutum perpetuum, manifeste liquet, hoc magisterium incommutabiliter et perpetuo manere medium et quidem præcipuum ad conservandam et propagandam doctrinam revelatam. Ex hoc ipso autem sequitur, fieri non potuisse quod dicunt Protestantes magisterium authenticum, primitus a Christo institutum, cum Apostolis desiisse vel saltem in sua functione et auctoritate mutatum esse, ex quo libri Novi Testamenti scripti sunt, ita ut inde ab hoc tempore Scriptura Sacra sit jam unicum medium ad conservandum et transmittendum depositum revelationis. Ceterum etiam post scriptos libros N. T. Scripturam jam non esse unicum neque præcipuum medium ad propagandam revelationem divinam, sed medium præcipuum esse et perpetuo manere authenticum magisterium, ex ipsa librorum N. T. historica origine atque nativa dispositione demonstratur. (1)

(1) Cf. *Franzelin,* th. 7; *Hurter,* n. 118; *Heinrich,* § 65.

297. *Prob.* IV. *Ex diserta professione et constanti modo agendi Ecclesiæ inde ab ævo apostolico.*

Prænotandum. Hoc argumentum multiplicem habet vim. Nam *primo,* cum impossibile prorsus sit, ut Ecclesia statim post Apostolorum tempus, vix e manibus Christi egressa, defecerit a sua constitutione et ab œconomia divinitus instituta, manifestum sane est, eam revera esse divinam Ecclesiæ Christi constitutionem, quam universa antiquitas christiana theoretice et practice semper et ubique professa est. Quare seposita etiam Ecclesiæ infallibilitate, hæc antiquitatis testificatio ab omnibus habere debet tamquam irrefragabile *testimonium historicum* de constitutione Ecclesiæ a Christo indita per institutum principium traditionis, seu de voluntate Christi deque sensu verborum ipsius. *Secundo* nemo negabit, Patres et Ecclesiam primorum sæculorum Ecclesiæ constitutionem et medium propagandæ doctrinæ christianæ melius novisse quam novatores sæc. XVI. *Tertio* maxima imo infallibilis est argumenti vis, supposita infallibilitate Ecclesiæ, quam alibi demonstrabimus.

298. Quibus præmissis, pauca quædam ex sentiendi et agendi ratione antiquitatis christianæ delibemus. 1° Apud Patres inde ab ævo apostolico in omnibus Ecclesiis orientis et occidentis axiomatis instar *constans est sententia, continuam successionem pastorum et doctorum divinitus ordinatam (non interrupta serie cum Apostolis cohærentem) esse organum visibile ad doctrinam Christi integram et illibatam conservandam ac transmittendam;* hanc igitur ex Traditione, quæ ab initio est, esse accipiendam. Hoc principium fundamentale inculcant jam Patres apostolici, illud adversus hæreticos instantius prædicant atque disertius declarant Patres subsequentes, nominatim *S. Irenæus* (1) et *Tertullianus* (2). Inter alios audiatur *Origenes* (de Princip. præf. n. 2): „Cum multi sint qui se putant sentire quæ Christi sunt, et nonnulli eorum diversa a prioribus sentiant; *servetur vero ecclesiastica prædicatio per successionis ordinem ab Apostolis tradita, et usque ad præsens in Ecclesiis permanens: illa sola credenda est veritas, quæ in nullo ab ecclesiastica et apostolica discordat Traditione.*"

2. *Criterium integritatis doctrinæ ab Apostolis traditæ semper*

(1) L. 2. c. 2. n. 2; c. 3; l. 4. c. 26. n. 4 sq. c. 33. n. 8.
(2) Praescript. c. 32. 37; contr. Marc. l. 1. c. 21; l. 4. c. 5.

habebatur Ecclesiarum communio et consensus inter se, cum Ecclesiis apostolicis et nominatim cum Ecclesia Petri. „Ad hanc Ecclesiam (Petri), ait *Irenæus* (l. 3. c. 3), propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles, *in qua semper ab his qui sunt undique, conservata est ea quæ est ab Apostolis Traditio.*"

3. Constans quoque et universalis est sententia antiquitatis, *causam efficientem,* per quam in consona prædicatione ecclesiastica conservetur integra et pura doctrina revelata, *esse a Christo promissam assistentiam Spiritus veritatis.*

4. Huic constanti ac universali doctrinæ concinebat *modus agendi et practice judicandi de veritate vel falsitate dogmatum*, semper et ubique servatus, secundum quem ad demonstrandam veritatem revelatam et ad convincendum errorem oppositum tamquam argumentum princeps, contra quod nulla valeret exceptio, semper valebat consensus pastorum et doctorum a Christo constitutorum; quod argumentum ita expressit *Concilium Antioch.:* „sic credit quæ sub cœlo est, catholica Ecclesia, et omnes Episcopi consentiunt nobiscum." Cf. *Franzelin,* qui (th. 8) de hoc argumento egregie disserit.

Ex argumentis allatis firmissime concludere possumus, quod proponebamus, medium et organum perpetuo propagandi et conservandi integrum depositum revelationis, a Christo Domino institutum, esse vivens et authenticum magisterium.

299. **Scholion.** I. *Ratio incorruptæ conservationis doctrinæ traditæ.* Ratio suprema seu causa adæquata, ex qua oritur perennis conservatio integritatis doctrinæ revelatæ per magisterium ecclesiasticum, et certitudo ac securitas de hac conservatione, *est promissum et collatum a Christo perpetuum charisma veritatis.* Est nimirum Spiritus Sanctus, qui ex promissione Christi jugiter assistit successoribus Apostolorum in munere custodiendi et propagandi depositum revelationis, quique hac sua jugi assistentia efficit, ut per successionem apostolicam veritates revelatæ sincere semper et integre conserventur ac propagentur.

300. **Scholion.** II. *Magisterii ecclesiastici secundum suum visibile elementum aptitudo ad servandam integritatem doctrinæ revelatæ.* Etiamsi magisterium ecclesiasticum *historice* tantum

spectetur, præcisione facta ab assistentia Spiritus veritatis, prout nempe etiam secundum elementum visibile seu actionem humanam quovis tempore suo munere functum est, illud adeo apte suo muneri conservandæ doctrinæ revelatæ respondet, ut vel per se sufficeret ad omnem corruptionis suspicionem excludendam. Hæc enim magisterii ecclesiastici, secundum suum elementum visibile tantum spectati, plenissima aptitudo evidens est, si considerentur admirabilis unio ac communio hierarchica pastorum in Ecclesia, maxima sollicitudo atque præsidia conservandæ traditionis, diligens studium antiquæ doctrinæ cum detestatione novitatis, ac demum eorumdem generatim pastorum sanctitas atque scientia. Quæ sane ita comparata sunt, ut iis etiam tantum per se spectatis sub communi Dei providentia mutatio et corruptio doctrinæ traditæ *moraliter impossibilis* dicenda sit adeoque oriatur *certitudo moralis* de conservatione integritatis doctrinæ. Propter autem annexum charisma veritatis, per jugem tutelam Christi et assistentiam Spiritus Sancti, habemus *certitudinem theologicam, supernaturalem* et *absolutam* de conservatione integritatis doctrinæ revelatæ per magisterium ecclesiasticum. Magisterium itaque plene et *theologice* spectatum cum charismate scil. veritatis, prout de facto existit, parit certitudinem absolutam; consideratum autem inadæquate, *historice* tantum et *philosophice* moralem certitudinem præbet (*Franzelin*, th. 9).

301. **Corollarium** 1. Demonstrata existentia et auctoritate semper viventis magisterii ad conservandam et propagandam doctrinam Christi, sequitur omnem doctrinam, quam tamquam revelatam docet ac proponit hoc magisterium, esse doctrinam Christi, esse doctrinam revelatam. Quare hoc generali principio cognitionis posito, facilis est tum inquisitio singularum veritatum revelatarum, tum disputatio cum heterodoxis de singularibus doctrinæ capitibus, omnis enim quæstio ad hanc unam revocatur, *ubi sit successio apostolica et quid hæc doceat.*

302. **Corollarium** 2. Ad ostendendam et vindicandam revelationem divinam et apostolicam traditionem cujusvis capitis doctrinæ sufficit demonstrasse *aliquo tempore* obtinentem consensum magisterii ecclesiastici in talem doctrinam. Nihilominus ut ad fructum scientiæ theologicæ *historice* demonstretur, et contra negantes magisterium authenticum *polemice* vindicetur

origo apostolica et divina alicujus doctrinæ, non sufficit mera appellatio ad consensum præsentem; sed requiritur probatio consensus in illam doctrinam, qui obtinuerit jam ante aliquot sæcula, nominatim tempore Patrum, ex quo tunc, propter impossibilitatem mutationis et innovationis, origo apostolica et divina legitime infertur.

Art. II. **De proprio divinæ traditionis conceptu.**

303. Ex traditis in articulo antecedente jam facile colligitur proprius conceptus traditionis divinæ, seu quid proprie sit traditio divina. Demonstratum enim est, insitam naturam et propriam rationem Ecclesiæ a Christo ita esse constitutam ut fides et disciplina divina per vivens et authenticum magisterium jugiter conservetur et de generatione in generationem propagetur. Atqui doctrina et disciplina divina inde ab Apostolis conservata ac transmissa, medio seu organo divinitus ordinato a Scriptura sacra distincto et diverso, sensu maxime proprio est ac dicitur divina traditio. Ergo divina traditio sensu proprio est *universa doctrina fidei, quatenus sub assistentia Spiritus veritatis in consensu pastorum et doctorum divinitus institutorum continua successione conservatur, atque in professione et vita totius Ecclesiæ sese exserit.*

304. Hanc traditionem divinam variis nominibus appellant Ss. Patres. 1) Quando directe considerant ipsam *doctrinam* ut *objectum,* quod in successione apostolica conservatur ac traditur, eam dicunt *prædicationem ecclesiasticam, intelligendi regulam, regulam apostolicæ veritatis.* 2) Dum directe ut *subjectum* spectant Ecclesiam hac doctrina informatam, sub assistentia Spiritus sancti constitutam et charismate veritatis prædita ad intelligendam, custodiendam et docendam integram revelationem, illam vocant *conscientiam fidei, catholicum intellectum, ecclesiasticum sensum, fidem scriptam in cordibus, sapientiam non scriptam (Franzelin,* th. 11) (1).

305. **Corollarium.** *Consensus fidelium est criterium traditionis divinæ.* Licet ad cœtum fidelium non spectet munus authentice docendi, sed potius officium discendi, et licet proinde

(1) Cf. *Möhler,* Symbolik § 38.

cœtus fidelium non sit sicut magisterium ecclesiasticum organum traditionis divinæ, tamen *consensus fidelium* in doctrinam fidei est certum criterium divinæ traditionis. Etenim Spiritus veritatis per authenticum magisterium successionis apostolicæ, tamquam per causam extrinsecam, totum fidelium cœtum ab errore in fide immunem semper conservat. Præterea propter mutuam relationem inter pastores doctoresque authenticos et greges fidelium, consensus totius populi fidelis in aliquod dogma ut revelatum necessario est etiam catholicus intellectus totius Ecclesiæ, ideoque sicut hic errorem in fide continere nequit. Est ergo manifestum, consensum fidelium in aliquod dogma ut revelatum, utpote ab errore immunem, esse certum criterium revelationis ac traditionis divinæ.

Animadvertendum tamen est, illum consensum, ut præbere possit *certum* revelationis et traditionis divinæ argumentum, debere esse certum et clarum et debere versari circa illa doctrinæ capita, quæ vel in explicita cognitione fidelium sunt vel saltem in publica et constanti praxi et consuetudine continentur.

CAPUT II.

DE MONUMENTIS ET MEDIIS CONSERVANDÆ ET AGNOSCENDÆ TRADITIONIS.

306. Hucusque consideravimus traditionem divinam secundum divinitus institutum et princeps suum organum; modo eam consideremus, prout variis monumentis antiquitatis ecclesiasticæ, potissimum documentis scriptis, conservata est. Magisterii enim authentici ac viventis doctrina, a fidelibus credita, decursu temporis consignata et reposita est in quibusdam documentis, quæ cujusvis ætatis fidem et doctrinam ecclesiasticam testantur. Illis monumentis conservatur traditio et cognoscitur fides, quæ quovis sæculo in Ecclesia prædicata et credita est, innotescunt veritates, quæ anteriori tempore a magisterio ecclesiastico viva voce propositæ fuerunt credendæ. Jam de his monumentis antiquitatis acturi dicemus primo articulo de monumentis traditionis universim spectatis et secundo de uno alterove in particulari.

Art. I. De monumentis traditionis universim spectatis.

307. I. Quid generatim intelligitur per monumenta traditionis divinæ? (1)

Resp. Monumenta traditionis divinæ generatim sunt opera multiplicis speciei et ordinis ex antiquitate reliqua, inter quæ præcipuum locum tenent opera scripta, ex quibus acquirimus cognitionem professionis et fidei, quæ eo tempore, ad quod prædicta monumenta referuntur, fuerit circa doctrinam et disciplinam christianam.

308. II. Quandonam hæc monumenta antiquitatis suppeditant *certum* divinæ traditionis argumentum?

Resp. Hæc monumenta tunc solummodo præbent *certum* divinæ traditionis argumentum, quando in illis continetur vel ex illis innotescit vel demonstratur, sive directe sive indirecte, consensus magisterii ecclesiastici in aliquam doctrinam tamquam pertinentem ad fidem christianam.

Ratio hujus responsi est, quia medium et organum princeps a Christo institutum ad conservandam et transmittendam doctrinam revelatam est magisterium successionis apostolicæ, cui soli ad hoc munus collatum est charisma infallibilitatis. Hinc juxta institutionem et promissionem Christi solus consensus custodum fidei seu magisterii ecclesiastici in aliquod dogma fidei est criterium certum revelatæ veritatis talis dogmatis seu traditionis divinæ. Ideoque monumenta antiquitatis tunc tantum præbent argumentum certum divinæ traditionis, quando sententiam antiquitatis exhibent ita, ut ex iis innotescat vel demonstretur consensus successionis apostolicæ in aliquod dogma fidei. Ubi ex illis monumentis demonstrari nequit neque directe neque indirecte prædictus consensus, illa solum nobis exhibent sententiam privatam, quæ majorem vel minorem habebit auctoritatem pro majori vel minori auctoritate auctorum atque argumentorum.

309. III. Quotuplici modo ex monumentis antiquitatis innotescere vel demonstrari potest consensus magisterii ecclesiastici?

(1) De monumentis traditionis conferri possunt inter alios: *M. Canus,* de locis theol. l. 4 sqq.; *Perrone,* Prael. theol., de locis theol. P. II. sect. 2. c. 2.; *Jansen,* § 122; *De Groot,* summa apologet. q. 18 sq.; *Tanquerey,* de Fontibus theol. n. 12 sqq.

Resp. Consensus magisterii ecclesiastici ex monumentis antiquitatis demonstrari potest dupliciter: 1. *directe,* quando illa monumenta continent vel *a)* diserta testimonia diversarum ætatum atque diversarum Ecclesiarum, quæ ipso suo consensu communem et universalem fidem exhibent; vel *b)* solemne et authenticum de doctrina judicium ad universam Ecclesiam directum.

2. *Indirecte* seu illatione, quando afferuntur quidem paucorum tantum testimonia, quæ tamen, ratione habita *testium, causæ*, et *adjunctorum,* communem Ecclesiæ professionem referre intelliguntur.

310. IV. Quænam sunt præcipua divinæ traditionis monumenta?

Resp. Multa et varia sunt traditionis monumenta, quorum potissima sunt:

1. *Fidei professiones ac symbola* et conciliorum præsertim œcumenicorum *definitiones*, quibus innotescere et exhiberi Ecclesiæ prædicationem ac fidem per se patet.

2. *Libri liturgici* et generatim *cultus,* qui est practica et realis expressio fidei. „Legem enim credendi lex statuit supplicandi." Huc referuntur *praxis Ecclesiæ* in publica administratione Sacramentorem, *canones disciplinæ* et *leges ecclesiasticæ;* hæc enim reddunt testimonium de illis veritatibus, quibus ipsa nituntur.

3. *Martyrum acta;* ex his enim patet, quid crediderint martyres, quæ fuerint veritates ab Ecclesia prædicatæ, pro quibus confirmandis ipsi sanguinem suum fuderint.

4. *Patrum et Theologorum scripta*, de quibus altero articulo peculiariter agemus.

5. *Monumenta artis christianæ*, uti sculpturæ, picturæ, architecturæ, quæ licet per se minus apta videantur ad distincte exhibendam professionem fidei, quandoque tamen dogmata catholica et vitam christianam vividiori luce veluti ob oculos ponunt.

6. *Historia ecclesiastica,* quæ inter alia facta ecclesiastica etiam refert quid Ecclesia quavis ætate docuerit, prædicaverit, tradiderit. Huc imprimis pertinet *historia hæresum,* ex qua innotescit et colligitur opposita doctrina in Ecclesia tradita, propter cujus negationem hæretici oppugnati et damnati fuerunt.

Inservire etiam indirecte possunt scripta *hæreticorum* et *infidelium*.

311. V. Quomodo hæc monumenta et documenta antiquitatis se habent ad perenne ac vivens magisterium?

Resp. Hæc monumenta, considerata in se ut documenta antiquitatis, censeri quidem nequeunt organum princeps traditionis, *sunt tamen cum organo principe seu magisterio ecclesiastico intime nexa, eique velut connaturale ac moraliter necessarium subsidium conservandæ traditionis et instrumentum doctrinæ.*

Licet enim successio apostolica ex se et directe a Christo instituta sit ad doctrinam et disciplinam christianam vivente ac personali magisterio perpetuo conservandam et propagandam; pertinet tamen ad hoc ipsum munus, ut doctrina et disciplina per vivens magisterium tradita etiam in scriptis aliisque monumentis consignaretur. Sane primo hæc consignatio traditionis oralis in variis documentis naturaliter sequitur ex ipso vivente magisterio, in hominum societate exercendo, tamquam aptum ac connaturale prædicationis subsidium. Præterea cum magisterium a Christo institutum in conservanda et propaganda doctrina revelata non dirigatur continuis revelationibus, sed assistentia Spiritus S. præcaventis errorem, quæ non excludit sed imo requirit laborem et præsidia humana, illa monumenta ipsi sunt subsidia moraliter necessaria ad consulendum integritati ac perpetuitati doctrinæ, ad doctrinam facilius et melius conservandam et propagandam.

Porro magisterio ecclesiastico, propter eamdem rationem quia non regitur continuis revelationibus, ad conservandam, tuendam ac proponendam doctrinam revelatam sæpe necessaria est inquisitio in fidem ac professionem suorum antecessorum et antiquitatis christianæ; atqui hæc inquisitio nisi ex documentis antiquitatis directe fieri non potest. Liquet ergo monumenta antiquitatis intime nexa esse cum magisterio eique esse velut connaturale subsidium conservandæ traditionis atque instrumentum doctrinæ; proindeque conservationem traditionis per illa monumenta, quamvis non essentialem, esse tamen *aliquem modum* connaturaliter et veluti morali necessitate consequentem ex medio a Christo instituto ad conservandam traditionem, quod est vivens magisterium. Sicut igitur Deus

per scriptores inspiratos doctrinam ex parte consignavit in Scriptura sacra, quam tradidit Ecclesiæ in subsidium prædicationis et viventis magisterii; sic disponente divina providentia factum est, ut pariter in subsidium magisterii traditiones orales in monumentis permanentibus consignarentur. (1)

312. Doctrina et disciplina comprehensa monumentis et documentis ecclesiasticis, quatenus hæc exhibent consensum successionis apostolicæ quovis tempore obtinentem, est *divina traditio* (objectiva), quæ cum Scriptura sacra constituit fontes revelationis, seu *regulam fidei remotam,* custodiendam et explicandam per vivens magisterium, cujus proinde prædicatio est *regula fidei proxima.*

ART. II. De quibusdam documentis traditionis in particulari.

§ 1. DE AUCTORITATE SS. PATRUM ET DOCTORUM.

313. I. **Nomine Patrum Ecclesiæ** intelliguntur viri, qui doctrina eminent, sanctitate florent, antiquitate commendantur, et expressa vel tacita Ecclesiæ approbatione gaudent. Ut igitur scriptor ecclesiasticus proprio sensu vocari possit Pater Ecclesiæ, quatuor conditiones requiruntur.

1. *Eximia doctrina.* Requiritur scil. ut ejus scripta sint magni momenti ad tuendam et illustrandam doctrinam ac traditionem divinam, quod nonnumquam non tam ex amplitudine eruditionis habetur, quam ex simplici orthodoxæ doctrinæ expositione ac vetustate, uti pro nonnullis Patribus apostolicis obtinet.

2. Requiritur non solum usque ad finem vitæ communio cum Ecclesia catholica, sed etiam *vitæ sanctitas.* Hæc sanctitas, licet non reddat singulos Patres infallibiles, tribuit tamen ipsis etiam seorsim spectatis peculiarem auctoritatem in docendo, quæ non competit aliis scriptoribus; in hac enim sanctitate includitur peculiaris conjunctio cum Deo, fonte omnis sapientiæ, indeque profundior doctrinæ sacræ intelligentia.

(1) Cf. *Franzelin,* th. 13; *Scheeben,* n. 351 sq.

3. Postulatur *antiquitas.* Hæc licet non sit omnino accurate determinata, nihilominus satis communiter series Patrum clausa censetur per S. Bernardum (m. 1153), ita ut hic ultimus Patrum haberi soleat.

4. Requiritur *approbatio Ecclesiæ,* quæ tamen, ubi tria antecedentia adsunt, numquam deest, sed in illis jam includitur, sufficit enim practicus Ecclesiæ consensus. (1)

Illi scriptores, qui licet doctrina et antiquitate præstantes vel non perseveraverunt in communione Ecclesiæ, vel perfectiorem sanctitatem non sunt assecuti, non Patres, sed *Scriptores ecclesiastici* proprie dicuntur, uti Tatianus, Tertullianus, Origenes, Arnobius, Lactantius, Eusebius et alii.

314. *Doctores Ecclesiæ* proprie vocantur illi, qui insignes sunt doctrina et sanctitate, licet ipsis deesse possit antiquitas. Ad titulum igitur *Doctoris Ecclesiæ* requiritur 1) excellentia et amplitudo doctrinæ et quidem major quam ad nomen Patris; 2) vitæ sanctimonia; 3) expressa vel æquivalens Ecclesiæ declaratio. Publico Ecclesiæ suffragio Doctores Ecclesiæ habentur S. Ambrosius, S. Augustinus, S. Hieronymus, S. Gregorius M. (qui *magni doctores Ecclesiæ* occidentalis vocantur), S. Athanasius, S. Basilius, S. Gregorius Nazianzenus, S. Joannes Chrysostomus (*magni doctores Ecclesiæ* orientalis), S. Hilarius Pictaviensis, S. Cyrillus Hierosolymitanus, S. Cyrillus Alexandrinus, S. Leo M., S. Petrus Chrysologus, S. Isidorus Hispalensis, S. Petrus Damianus, S. Joannes Damascenus, S. Anselmus, S. Bernardus, S. Bonaventura, S. Thomas Aquinas, S. Alphonsus Ligorius, S. Franciscus Salesius et S. Beda.

315. II. **Auctoritas SS. Patrum.** Consideratis iis quæ tum de notione Patris Ecclesiæ, tum de organo principe divinæ traditionis sunt exposita, de auctoritate SS. Patrum hæc breviter statui possunt.

1. *Consensus moraliter unanimis SS. Patrum, etiamsi tantum certæ cujusdam ætatis, in aliquam doctrinam fidei vel morum tamquam divinitus revelatam est infallibile divinæ traditionis argumentum.* Ratio infallibilitatis est, quia hujusmodi consensus in ipsum consensum magisterii Ecclesiæ refunditur, quem vel

(1) Cf. *Fessler,* Patrol. § 9 sqq.; *Möhler,* Patrol. Einl. § 3.

supponit vel necessario inducit. Quapropter semper etiam in Ecclesia tum theoretice tum practice viguit hæc persuasio, unanimem SS. Patrum consensum in aliquam doctrinam ut revelatam esse infallibile argumentum divinæ traditionis.

Quod de consensu omnium Patrum dicimus, etiam tenendum est de consensu explorato omnium Patrum occidentalium. Cum enim Ecclesia orientalis et occidentalis sit una Ecclesia, cujus proinde una et eadem est fides, fieri nequit ut occidentalibus omnibus aliquid asserentibus in re fidei vel morum communiter contradicant Patres orientales; quare ipse consensus Patrum occidentalium argumentum est prædicationis et fidei Ecclesiæ orientalis et hinc mediate Ecclesiæ universalis, proindeque irrefragabile est argumentum divinæ traditionis. Hoc modo *S. Augustinus* (c. Julian. l. 1. c. 4) probat dogma de peccato originali, provocans ad consensum Patrum occidentalium, a quo, ut asserit ibid. n. 3, Patrum orientalium fides dissentire non potuit.

2. *Testimonium plurium Patrum doctrina ac fama insignium, qui diversis ætatibus floruerunt, ceteris non reclamantibus, irrefragabile suppeditat traditionis divinæ argumentum;* quia ex tali testimonio legitime infertur omnium Patrum consensus et fides universalis Ecclesiæ. Hoc ceteroquin confirmatur luculenta praxi conciliorum et ipsorum Patrum.

3. Sæpe etiam *paucorum tantum Patrum testificatio de doctrina tamquam revelata certum præbet divinæ traditionis argumentum*, quando scil. ea est Patrum, causæ omniumque adjunctorum conditio, ut ipsorum testificatio prædicationem et fidem totius Ecclesiæ referre intelligatur. Ita *a*) illi Patres et Doctores, qui contra varias hæreses veluti duces pro causa catholica decertabant, inspectante et laudante universa Ecclesia, etiamsi pauci sint, sua testificatione, ut patet, communem Ecclesiæ fidem, ideoque traditionem divinam referunt. Tales sunt e. g. SS. Athanasius, Basilius, Hilarius, Augustinus pro mysterio SS. Trinitatis contra Arianos, SS. Augustinus et Fulgentius pro doctrina de gratia contra Pelagianos.

b) Generatim si Patres etiam pauciores, magni nominis, positive ac diserte doceant vel testentur aliquid ad fidem catholicam pertinere, iis in adjunctis, ut hoc ipsorum testimonium non potuerit latere reliquos Pastores et Doctores

coævos, vel saltem subsequentes, et si huic testimonio nemo contradicat, hujusmodi testimonium, spectata unitate et communione Ecclesiæ, consensum custodum fidei ideoque traditionem divinam certo probat.

316. 4. Quæ hucusque diximus de consensu Patrum (sive directe sive indirecte exhibito) non modo valent de illo consensu, quo ut *testes traditionis* testantur aliquam veritatem ad fidem catholicam pertinere, sed valent etiam de consensu, quo pro munere *doctorum* doctrinam revelatam explicant et secundum genuinum sensum declarant. Cum enim iidem, qui sunt revelationis custodes seu testes, sint etiam a Christo instituti revelationis *doctores,* manifestum est SS. Patres sub eadem conditione, sub qua infallibiliter custodiunt atque testantur traditionem, etiam infallibiliter revelatam veritatem declarare. Hæc autem conditio, sub qua infallibiliter nobis exhibent traditionem, est *consensus* qui exhibet vel reducitur ad consensum magisterii Ecclesiæ. Ubi ergo Patres tali consensu declarant genuinum sensum alicujus dogmatis, hic consensus infallibiliter continet verum revelationis sensum; nam iste Patrum consentiens intellectus doctrinæ nihil aliud est quam *intellectus catholicus,* formatus et expolitus sub assistentia et directione Spiritus veritatis.

317. 5. Quando existit consensus SS. Patrum in doctrinam vel doctrinæ explicationem tamquam *religiosam et veram,* quin tamen satis appareat, utrum eam proponant tamquam doctrinam fidei, vel quando consensus ipse non est manifestus, inde non potest probari divina traditio talis doctrinæ; hujusmodi tamen communi doctrinæ refragari temerarium et plerumque erroneum foret.

318. 6. In quæstionibus *mere* philosophicis, aliisque ad disciplinas profanas pertinentibus, auctoritas SS. Patrum tantum valet, quantum valent rationes quæ ab ipsis afferuntur. Dicitur autem: in quæstionibus mere philosophicis, nam quæstiones per se philosophicæ sæpe ita nexæ sunt cum revelatis ut sint secundum quid vere theologicæ; circa has ultimas, sicut circa depositum revelationis testandum et explicandum, Patres potiuntur peculiari auctoritate, ideoque eorum consensus in talibus quæstionibus habet auctoritatem irrefragabilem.

319. 7. Hucusque consideravimus auctoritatem Patrum in

consensu spectatorum, jam consideranda etiam venit auctoritas singulorum vel etiam plurium Patrum *seorsim* et *extra consensum* spectatorum in re theologica. Itaque

a) Singulorum Patrum auctoritas per se spectata non quidem infallibilis est et peremptoria; gravis tamen et veneranda est. Hæc veneranda singulorum etiam auctoritas manifesta est ex requisitis ad qualitatem patris, ex eorum saltem plerorumque munere pastorum, ex singulari Ecclesiæ erga eos veneratione.

Hinc *b*) sicuti singuli non sunt cæce sequendi, ita nec temere sine gravi ratione et debita reverentia descrendi, multo minus contemnendi.

c) Evidens est non eamdem esse singulorum Patrum auctoritatem, sed eam crescere pro ratione antiquitatis, sanctitatis, eruditionis, celebritatis, dignitatis hierarchicæ, approbationis Ecclesiæ, partium quas in oppugnandis hæresibus propugnandaque Ecclesiæ doctrina et in conciliorum definitionibus habuerunt. (1)

320. **Scholion.** *De Patrum dissensu.* 1. Ex principiis expositis liquet fieri non posse, ut universalis consensus Patrum unius ætatis opponatur consensui alterius ætatis in doctrina fidei vel theologica; neque talis dissensus ullum exemplum afferri potest.

2. Si plures Patres aliquid docent, aliis reclamantibus, ita ut diversi diversa sentiant, tunc potest esse major vel minor probabilitas pro una vel altera parte, sed ex Patrum dissentientium auctoritate de veritate hujusmodi doctrinæ constare non potest. Animadvertamus tamen non facile admittendam esse dissensionem inter Patres; sed pro auctoritate qua gaudent, et reverentia ipsis debita, quantum fieri potest conciliari debent.

3. Si unus vel alter aut pauci Patres videantur contradicere constanti et sua jam ætate communi doctrinæ, postulat sane pietas et recta ratio, ut illorum Patrum dicta ambigua vel obscura explicentur secundum sensum communis doctrinæ aliorum. Hoc enim exigunt recensiti singulorum Patrum characteres et auctoritas, qua in universa Ecclesia semper gavisi sunt.

(1) Cf. *Franzelin*, th. 14 sq.; *Mazzella*, disp. 2. art. 6; *Scheeben*, n. 372 sqq.; *Hurter*, n. 130 sqq.; *De Groot*, q. 18; *Pesch*, Prael. Dogm. t. 1. n. 572 sqq.

Fieri tamen potuit et revera factum est, ut nonnulli Patres in aliquo doctrinæ capite a veritate aberraverint, propter obscuritatem quæstionis nondum eliquatæ nec clare et explicite propositæ. Quare istorum Patrum hujusmodi dicta, si nullo modo cum sana doctrina conciliari possunt, seponenda sunt. Verum hujusmodi singulorum etiam Patrum dissensus admitti nequit in iis dogmatibus fundamentalibus, quæ omnibus semper explicite cognoscenda et credenda erant, nec in aliis doctrinis revelatis post solemnem et publicam definitionem. (1)

§ 2. De auctoritate Theologorum Scholæ.

321. Periodum Patrum, clausam sæc. XII, subsecuta est *Scholæ* institutio, cujus est doctrinam a Patribus acceptam nova ac pressiori methodo proponere, docere, declarare ac defendere. Scholæ theologicæ præsertim inde a sæc. XII usque ad sæc. XVIII intime nexæ erant cum Ecclesia, sub cujus tutela et sollicita providentia erant. Quamvis autem theologi scholæ non sint organum a Christo institutum ad conservandam doctrinam revelatam sub assistentia Spiritus veritatis, potest tamen ex eorum consentiente sententia certo constare de doctrina et intellectu catholico successionis apostolicæ ideoque de traditione divina. Ut itaque intelligatur, quandonam consensus theologorum scholæ certo exhibeat traditionem divinam, et quænam generatim in re theologica sit eorum auctoritas, hæc breviter statui possunt.

322. 1. *Unanimis et constans* theologorum scholæ sententia de aliqua doctrina tamquam *doctrina fidei* est certum criterium divinæ traditionis. Etenim spectatis principiis quibus scholæ catholicæ reguntur, et earumdem cum supremis pastoribus connexione ac relatione, scopo et charactere scientifico et morali theologorum atque auctoritate, qua communis eorum doctrina in universa Ecclesia habetur, manifestum est doctrinam, quam omnes theologi constanter tradunt tamquam doctrinam fidei, esse doctrinam ipsius magisterii ecclesiastici et Ecclesiæ totius. Hoc ipsum docet *Pius IX* in litt. ad Archiep. Monac. (21 Dec. 1863): „Subjectio, quæ fidei divinæ actu

(1) Cf. *Franzelin,* th. 15; *Petavius,* theol. dogm. prolog. c. 2.

est præstanda, ad ea quoque extendenda est, quæ ordinario Ecclesiæ magisterio tamquam divinitus revelata traduntur, *ideoque universali et constanti consensu a catholicis theologis ad fidem pertinere retinentur.*"

323. 2. Quando theologi suas de doctrina revelata sententias suasque ex principiis revelatis deductiones *unanimi et constanti consensu* proponunt ut *veras,* non vero ut fide catholica creditas aut credendas, ab hujusmodi sententiis dissentire temerarium est vel etiam erroneum; talis enim consentiens auctoritas et per se est gravissima, et ab Ecclesia ipsa magni fit, et tamquam aliquod elementum præparationis ad solemnes definitiones consideratur. Id autem intelligi debet de ipsa doctrinæ veritate, non vero de modo eam explicandi et probandi; de doctrinis theologicis non vere de placitis mere philosophicis; de sententiis ratis ac firmis; de consensu non unius ætatis, sed qui subsequenti ætate non desierit.

324. 3. Quando constans et consentiens doctrina non obtinet, sed sententiarum et opinionum inter graves theologos diversitas est, ex theologorum auctoritate certitudo comparari nequit; sed juxta majorem auctoritatem et præsertim juxta rationes ex revelatione deductas statuendum est, quid verum sit aut vero similius. Propter intimam autem connexionem cum doctrima Patrum et intellectu catholico universim auctoritas principum scholæ Lombardi, Halensis, S. Bonaventuræ et præsertim S. Thomæ, licet per se sola non quidem irrefragabilis, magna tamen est et inter privatos doctores præcipua. (1)

325. **Scholion.** *S. Thomæ auctoritas.* Præstat ut quædam singillatim dicamus de peculiari auctoritate principis theologorum, S. Thomæ Aquinatis, doctoris angelici. De hac ita *Hurter,* n. 139: „Inter theologos eminere S. Thomam cujus idcirco gravissima in re theologica est auctoritas, nemo est qui dubitet, si attendat 1. ad concilia quæ maximam in suis decretis rationem habuerunt ejus doctrinæ, præsertim ad concilium tridentinum, in cujus aula præter S. Scripturam pontificumque constitutiones proposita erat ipsius summa; 2. ad declarationem Pii V, qui eum Ecclesiæ doctoribus

(1) Cf. *Franzelin,* th. 17; *Mazzella,* l. c. art. 7; *Scheeben,* n. 384 sqq.; *Tanquerey,* n. 30; *De Groot,* q. 19. art. 1.

accenset, quoniam omnipotentis Dei providentia factum est, ut angelici doctoris vi et veritate doctrinæ . . . . . multæ, quæ deinceps exortæ sunt hæreses confusæ, et convictæ dissiparentur; 3. ad tot pontificum a Joanne XXII ad Leonem XIII usque præconia, quibus eum extollunt et commendant propter doctrinæ puritatem et præstantiam, quam speciali Dei charismati adscribere haud dubitant; 4. ad tot academias, in quibus tamquam in suo regno consedit princeps, et ordines religiosos qui eum viæ ducem et sanæ doctrinæ magistrum selegerunt; 5. ad innumeros viros doctos, qui se ejus discipulos profitentur; 6. ad praxim, qua ejus summa in academiis, scholisque per sæcula prælegebatur, explicabatur, norma erat institutionis theologicæ. Quare merito dici potest Thomæ ore loqui theologiam scholasticam, imo catholicum intellectum, ac propterea eos, qui ejus sententiam sequuntur (paucis quæstionibus jam notis exceptis), non deviaturos esse in opiniones a sensu catholico alienas, sed potius sectaturos esse opiniones sanas, probabiles, in Ecclesia communiter receptas, omnes prudenter agere, qui student ejus imbui doctrina et spiritu, ut proficiant in doctrina et intellectu catholico, sapientissimumque esse Leonis XIII P. M. consilium, quo viros omnes ecclesiasticos ad solidum excitat doctoris angelici studium. Non tamen propterea censendum est sive *a)* S. Thomam in omnibus esse infallibilem, quod nulli doctorum datum est nisi Ecclesiæ ejusque capiti; sive *b)* non licere in aliquibus gravi de causa ab ejus recedere sententia; sive *c)* scientiam omnem theologicam ejus comprehendi doctrina, ultra quam progredi non liceat; sive *d)* soli ipsius auctoritati esse standum, ea sola omnem controversiam dirimendam; sed oportet nos ejus principiis et methodo uti, ipsum viæ ducem sequi, ejus rationes et argumenta sagaciter expendere. Quare sicut prudens fidusque magister non obest discipuli profectui, sed eum potius plurimum promovet; ita qui tanti doctoris scientia et sapientia imbuitur, non inhærebit tantum ipsius verbis et scitis, sed Dei gratia aspirante latissimum sibi polliceri poterit profectum." (1)

(1) Cf. *De Groot,* l. c. art. 2; *Kleutgen,* Theol. der Vorz. t. 4. n. 54 sqq.

CAPUT III.

DE RELATIONE INTER DIVINAM TRADITIONEM ET SACRAM SCRIPTURAM.

ART. I. **Prædicatio ecclesiastica est suprema norma interpretationis S. Scripturæ.**

326. I. *Prædicationem ecclesiasticam,* sive per consentientem doctrinam sive per definitivum judicium magisterii authentici propositam, sicut generatim est regula fidei, ita esse etiam speciatim *infallibilem regulam intelligendi Scripturam, ideoque canonem supremum interpretationis*, consequitur ex demonstrata in cap. I veritate, totum depositum revelationis per authenticum magisterium sub assistentia Spiritus Sancti conservari et explicari. Sane si successioni apostolicæ concredita fuit integra revelatio custodienda et propaganda, profecto non intelligitur conservatio tantum materialiter verborum, formularum et theorematum, sed intelligitur conservatio et propagatio sinceræ intelligentiæ veritatum revelatarum, per verba expressæ. Hinc, uti vidimus, Patres loquuntur de *intellectu* catholico, de *sensu* ecclesiastico, de *conscientia* communis fidei. Atqui ad depositum ab Ecclesia custodiendum, utpote integram doctrinam Christi complectens, pertinet etiam et quidem imprimis S. Scriptura. Ergo a Spiritu Sancto conservatur perpetuo in Ecclesia non solum verbum materiale Scripturæ, sed ejus sensus et intellectus genuinus, quo instructa et imbuta est *infallibilis sacræ Scripturæ* interpres.

327. Hoc ipsum universa etiam antiquitas et theoretice et practice semper tenuit. Per successionem Episcoporum, ait *Irenæus* (Lib. 4. c. 33), „pervenit usque ad nos custoditione sine fictione Scripturarum tractatio plenissima . . . . . et lectio sine falsatione, et secundum Scripturas expositio legitima." Et cap. 26 scribit: „Omnis sermo ei constabit, si et Scripturas diligenter legerit apud eos, qui in Ecclesia sunt presbyteri, apud quos est apostolica doctrina." Ita et *Clemens Alexandrinus* (Strom. VI): „recta sunt omnia coram iis, qui intelligunt h. e. iis, qui ab ipso (Domino) declaratam expositionem

Scripturarum *secundum ecclesiasticam regulam* accipientes conservant." *Origenes* (comment. in Matth. n. 46): „Quoties (hæretici) canonicas proferunt Scripturas, in quibus omnis christianus consentit et credit, videntur dicere: ecce in domibus est verbum veritatis (Matth. XXIV. 26). Sed nos illis credere non debemus, nec exire *a prima et ecclesiastica traditione, nec aliter credere, nisi quemadmodum per successionen Ecclesiæ Dei traditum est.*" Merito proinde decrevit *Conc. Trid.* (Sess. IV): „Ad coercenda petulantia ingenia decernit (sacrosancta Synodus), ut nemo suæ prudentiæ innixus in rebus fidei et morum ad ædificationem doctrinæ christianæ pertinentium, S. Scripturam ad suos sensus contorquens contra *eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum,* aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari audeat." Cum quidam hoc decretum præpostere exposuissent, illud iterum inculcavit *Conc. Vatic.* (Const. *Dei Filius*, c. 2), simul declarans hanc esse ejus mentem, „ut in rebus fidei et morum, ad ædificationem doctrinæ christianæ pertinentium, *is pro vero sensu sacræ Scripturæ habendus sit,* quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum; *atque ideo nemini licere* contra hunc sensum vel etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari."

328. II. Constat ergo prædicationem ecclesiasticam, sive solemni judicio sivi unanimi consensu manifestatam, esse supremam normam interpretationis sacræ Scripturæ. Hinc 1. quando prædicatio ecclesiastica versatur circa aliquem determinatum S. Scripturæ textum, cujus sensum authentice declarat, hic infallibiliter verus et genuinus illius loci est sensus, ab omnibus simpliciter et absolute tenendus. Hujusmodi itaque authentica interpretatio simpliciter est *intelligendi regula.* 2. Ecclesiastica prædicatio *universim* spectata, quin ad determinandum sensum loci singularis Scripturæ per se et expresse referatur, est tamen canon interpretationis *a)* significatione *negante,* ut nulla interpretatio possit esse vera, quæ cuilibet Scripturæ textui (ex ipsius sacri scriptoris mente enuntiato) tribuat sensum repugnantem prædicationi

ecclesiasticæ, quæ est proxima regula fidei; *b)* significatione *affirmante,* quod ad verum sensum Scripturæ reperiendum vel confirmandum plerumque manuducat et magnopere juvet *(Franzelin,* th. 18). (1)

329. **Corollarium.** Ex dictis sequitur, traditionem, quatenus est catholicus intellectus Scripturæ perpetuo conservandus in successione apostolica, quam traditionem *inhæsivam* vocant ad distinctionem a traditione *constitutiva,* non minus fore necessariam, etiamsi verum esset, quod dicunt Protestantes, totam revelationem objective contineri in sacris Scripturis.

Art. II. **Traditio multiplici ratione antecedit Scripturam.**

330. Ut doctrinam hic exponendam simul complectamur, sit hæc

Thesis. Traditio antecedit Scripturam 1. ordine chronologico, 2. ordine logico, 3. amplitudine objecti, 4. necessitate.

I. Traditionem *ordine chronologico* seu temporis præcedere Scripturam, demonstratione non indiget. Etenim tempore patriarchali usque ad Moysem revelatio per solam traditionem conservata et propagata est. Etiam in nova Lege Apostoli omnem Christi doctrinam, a Christo immediate et a Spiritu Sancto acceptam, viva voce primum prædicaverunt et tradiderunt; deinceps vero aliqua eorum, quæ viva voce prædicabant et fideles credebant, scriptis mandarunt, et hæ Scripturæ N. T. una cum libris V. T. traditæ fuerunt Ecclesiæ tamquam instrumentum doctrinæ „utile ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia" (2 Tim. III, 16).

331. II. Traditio præcedit Scripturam *ordine logico* seu *cognitionis,* quia secundum œconomiam a Christo institutam principium cognoscendi Scripturas est traditio divina. Animadvertatur autem, cognitionem Scripturæ duplicem distingui posse: *cognitionem de Scriptura,* qua scimus libros S. Scripturæ esse genuinos, integros, veraces, divinam continentes doctrinam, divinitus inspiratos; et *cognitionem Scripturæ* i. e.

(1) Cf. *Perrone,* Praelect. theol. de Scriptura, c. 2. a. 1; *Möhler,* Symbolik § 42.

doctrinæ quæ sacris libris continetur. Porro utraque hæc cognitio aliquo sensu pendet a traditione divina.

332. 1. Quoad *cognitionem de Scriptura.* Ut tuto credere et amplecti possimus ea quæ Scriptura continentur, prius nosse debemus, Scripturam esse librum genuinum, integrum, divinitus inspiratum. Licet quidem critice et historice, præcisione facta a traditione divina, demonstrari possint genuinitas, integritas, veracitas et divinitas doctrinæ plurium librorum S. Scripturæ; hæc tamen probari nequeunt *a)* quoad *omnes textus* Scripturæ, *b)* pro *omnibus* qui credere tenentur, cum plerique homines talis demonstrationis scientificæ percipiendæ plane incapaces sint, *c)* pro *statu controversiæ,* quia oborta dubia et dissensiones ad captum et securitatem omnium critice et historice terminari nequeunt. Pariter licet divina inspiratio aliquorum librorum sacrorum possit quidem etiam demonstrari testimonio Scriptura apostolica comprehenso; hæc tamen neque quoad omnes libros, neque pro omnibus, neque oborta controversia sufficienter probari potest.

Hæc scientifica demonstratio, quæ multum sane confert imo sæpe necessaria est ad defensionem fidei, certe non est œconomia a Christo instituta ad doctrinam de Scriptura quoad omnes ejus partes, pro omnibus, pro quavis conditione tuto et sine erroris periculo conservandam et in homines derivandam. Enimvero secundum institutionem Christi principium cognitionis christianæ *de Scripturis* est custodia et prædicatio magisterii authentici sub assistentia Spiritus Sancti, hocque principium solum est accommodatum *omnibus,* aptum ad tuto cognoscendos *omnes libros* eorumque partes, ad *omnes controversias* pro omnium captu finiendas. Hoc probatum censeri debet ex superius demonstrata veritate, integrum depositum revelationis concreditum esse magisterio authentico; nam ad depositum revelationis pertinet etiam tamquam pars doctrina revelata de inspiratione librorum sacrorum, cum qua inspiratione nectitur tamquam præsuppositum eorumdem librorum genuinitas et integritas, et tamquam consequens omnimoda eorum veracitas atque divinitas doctrinæ. Atqui prædicatio ecclesiastica, qua sub assistentia Spiritus Sancti conservatur et proponitur depositum revelationis, proprie est ac dicitur traditio divina. Ergo a traditione divina pendet cognitio (saltem universalis)

de Scripturis, nominatim cognitio de inspiratione Scripturarum, adeoque traditio divina logice et ordine cognitionis præcedit Scripturam.

333. 2. *Cognitionem Scripturæ,* seu doctrinæ in Scriptura contentæ, pendere a traditione divina, constat ex articulo præcedente, in quo ostendimus prædicationem ecclesiasticam esse normam intelligendi et interpretandi Scripturam. Hoc sane non impedit, quominus præscindendo a traditione divina verus sensus *aliquot textuum* Scripturæ, saltem eorum qui clariores sunt, certo intelligi et hermeneutice domonstrari possint.

334. **Corollarium.** Quia, uti diximus, præscindendo a magisterio authentico, certo cognosci potest tum auctoritas aliquorum saltem librorum Scripturæ tum verus sensus aliquot testimoniorum, vel quia polemice ex concessione adversariorum e. g. Protestantium supponi potest auctoritas et inspiratio librorum sacrorum; ideo et sub hac ratione potest Scriptura assumi ut logice et in ordine cognitionis prior et ita ex ipsa Scriptura probari potest auctoritas magisterii ecclesiastici et traditionis atque ipsa Ecclesia. Quare immerito objiciunt Protestantes, catholicos versari in circulo vitioso vel petere principium, quando ab una parte docent cognitionem auctoritatis et veri sensus Scripturarum pendere ab auctoritate magisterii authentici, et ab altera parte hanc magisterii auctoritatem probant ex Scripturis. Ut enim ex Scripturis legitime demonstetur existentia et auctoritas magisterii ecclesiastici, sufficit certa cognitio auctoritatis historicæ quorumdam tantum librorum Scripturæ, in quibusdam tantum fidelibus, et veri sensus aliquot tantum testimoniorum Scripturæ; hæc autem cognitio etiam præscindendo a magisterio authentico haberi potest *(Franzelin,* th. 21).

335. III. Traditionem *amplitudine objecti* latius patere Scriptura ex ipsa traditionis notione constat. Per magisterium enim authenticum custoditur et prædicatur tota doctrina revelata tam scripta quam non scripta. Hujus universæ doctrinæ traditæ pars tantum est doctrina in Scripturis consignata. Uti ex antea dictis jam patet, traditio præter doctrinam Scripturæ complectitur etiam doctrinam revelatam de Scripturis, quæ integra saltem ipsis sacris Litteris non continetur; cum insuper prædicatio ecclesiastica sit norma intelligendi Scrip-

turam, ideoque distinctius et uberius proponat quæ obscurius et brevius Scripturis continentur, fieri sane nequit, ut non latius pateat traditio quam Scriptura. Traditio itaque in ordine comprehensionis se habet ad Scripturam ut totum ad partem. Hoc ex dicendis in articulo sequenti magis clarescet ac confirmabitur.

336. IV. Traditionem secundum œconomiam a Christo institutam *magis necessariam* esse quam Scripturam, ex hucusque dictis sponte sua sequitur. Traditio enim est medium cognoscendæ et conservandæ doctrinæ revelatæ primitivum, adæquatum et ex se sufficiens; Scriptura autem, licet in præsenti œconomia sit instrumentum necessarium pro magisterio authentico ad custodiendum integrum depositum revelationis, est tamen medium subsidiarium, est fons revelationis tantum inadæquatus, attestandus ac declarandus per traditionem. (1)

337. **Scholion.** Licet traditio multiplici ratione antecedat Scripturam, non tamen potest negari, *S. Scripturam aliqua ratione etiam præstare traditioni, eamque esse ingens Dei beneficium.* Etenim magisterium ecclesiasticum tradit nobis veritates *verbis humanis,* licet infallibilibus; Scriptura autem, quæ est verbum Dei *scriptum,* nobis exhibet doctrinam revelatam *verbis divinis*, hinc oritur etiam mira illa unctio, qua pollent verba Scripturæ. Præterea in præsenti ordine providentiæ Scriptura est vel ipsi magisterio ecclesiastico instrumentum doctrinæ necessarium ad custodiendum et transmittendum integrum depositum revelationis.

338. Neque ex eo, quod dicimus Scripturam aliqua ratione pendere a magisterio authentico, sequitur, ut calumniantur Protestantes, nos constituere magisterium seu Ecclesiam supra verbum Dei. Non enim Ecclesia tribuit Scripturæ insitam auctoritatem, sed hanc sub directione Spiritus Sancti authentice agnoscit ac testatur, atque verum Scripturæ sensum authentice declarat ac proponit. Non igitur constituimus Ecclesiam supra verbum Dei; sed dicimus Ecclesiam dirigi verbo Dei (tum scripto tum tradito) in credendo, et ita subesse verbo Dei; et eamdem verum sensum verbi Dei infallibiliter intelligere et singulis proponere credendum, sicque esse supra privatam fallibilem intelligentiam singulorum.

(1) Cf. *Hurter*, n. 145.

ART. III. De existentia divinarum traditionum, quæ in S. Scriptura non continentur.

339. Traditionem esse medium, quo totum et integrum revelationis depositum perpetuo conservetur et ad posteras generationes transmittatur, eamque proinde esse fontem, in quo universa doctrina revelata continetur, ex hucusque disputatis manifestum esse debet. Quæritur jam ulterius, utrum illa doctrina tradita sit etiam tota et integra consignata in S. Scripturis, vel an econtra in verbo Dei tradito comprehendantur etiam veritates non scriptæ seu non contentæ in Scriptura. Si hoc alterum est admittendum, uti contra Protestantes affirmant Catholici, constat esse veritates revelatas sola traditione transmissas, ideoque existere traditiones divinas, quæ in S. Scriptura non continentur, quæ solent vocari *simpliciter traditio,* seu *strictiori sensu traditio.* Ad hanc igitur catholicam doctrinam stabiliendam sit hæc

340. **Thesis.** Traditio divina latius patet quam S. Scriptura; nam præter dogmata in Scriptura consignata alias quoque veritates revelatas complectitur.

Prob. I. Cum jam constet existere traditionem divinam ceu fontem revelationis, ut illa coarctetur ad ea solum, quæ in Scripturis continentur, id profecto probari debet. Atqui id demonstrari nequit; imo probatur contrarium. Ergo.

Prob. min. 1. *Ex natura rei* demonstrari nequit requiri, ut veritas credenda in Scripturis sit consignata. Etenim ut aliqua veritas fide divina credi possit ac debeat, sufficit eam qua revelatam sufficienter proponi; hoc autem non solum per Scripturam, sed etiam per traditionem fieri posse sane ambigi nequit.

341. 2. Neque *ex ordinaria Dei providentia*, prout hæc in historia revelationis manifestatur, ostendi potest, ad exigendam fidem requiri hanc velut conditionem, ut veritas in Scriptura S. contineatur. Nedum enim hoc probetur, ex historia revelationis potius demonstratur contrarium; ex hac enim historia constat, in religione revelata semper fuisse aliquas veritates creditas et credendas non contentas in Scripturis. Primum tempore Patriarcharum usque ad Moysen revelatio

sola traditione fuit transmissa. Etiam inde a Moyse in revelatione judaica fuisse quasdam veritates revelatas sola traditione transmissas, nullus est qui neget. Ecclesia Christi in sua origine, antequam libri N. T. omnes conscripti essent, multa sane credidit, quæ verbo Dei non scripto sed per prædicationem apostolicam tradito tantum continebantur. Sed etiam post absolutum canonem librorum sacrorum N. T. Ecclesia Christi constanter tum *theoretice* tum *practice* professa est hoc principium, esse aliquas veritates revelatas credendas et creditas, quæ non sunt scriptæ.

Et quidem *a) theoretice* illud principium disertissimis antiquitatis testimoniis enuntiatur. Ex veteribus Patribus, qui omnes illud inculcant, audiatur *S. Epiphanius* (Hæres. 61): „Traditione quoque opus est. *Neque enim ex Scripturis peti possunt omnia.* Idcirco alia scripto, *traditione alia* sanctissimi Apostoli reliquerunt." Hoc idem principium Ecclesia solemniter declaravit in conciliis. Ita in Conc. VII (Act. 7): „Oriens et Occidens et aquilo et meridies Spiritus Sancti inspiratione consentimus in unum .... omnia recipientes, quæcumque sancta catholica Ecclesia antiquitus scripta *et non scripta* recepit."

b) Practice universa Ecclesia eamdem semper professa est sententiam. Nam non solum dogmata in Scripturis contenta declarabantur et defendebantur ex utroque fonte Scripturæ et traditionis; sed etiam quædam specialia dogmata proponebantur fidelibus credenda, licet dicerentur ex sola traditione teneri. Ita ex sola traditione agnoscebantur et defendebantur veritates revelatæ de *canone librorum sacrorum,* de *baptismo conferendo parvulis,* de *valore baptismi ab hæreticis collati* etc.

342. II. Admisso *principio formali traditionis* de instituto scilicet authentico magisterio ad custodiendum et propagandum integrum depositum revelationis, quod supra demonstravimus, negari nequit, verbum Dei traditum latius patere quam verbum Dei scriptum. Est enim factum certissimum, quod et ipsi Protestantes agnoscunt, tempore quo Protestantes ab Ecclesia defecerunt, inde a multis saltem sæculis, fuisse in Ecclesia consensum universalem in plures veritates tamquam revelatas, quæ in Scripturis vel nullatenus vel non sufficienter continentur. Ex principio autem formali traditionis necessario

sequitur, has veritates pertinere ad depositum revelationis, ideoque verbum Dei credendum latius patere quam verbum Dei scriptum.

343. III. *Probatur ipso adversariorum testimonio.* 1. Protestantes in ipso sui systematis fundamentali principio: nihil credendum esse quod scriptum non sit, sibi manifeste contradicunt. Etenim credunt *a) omnes* et *solos* libros, quos in suum canonem receperunt, esse libros divinitus inspiratos et continere sincerum verbum Dei ab omnibus credendum; *b)* nullum esse aliud verbum Dei credendum præter illud scriptum in istis libris; *c*) singulos esse sibi sufficientes interpretes veri sensus verbi scripti, et Ecclesiam non esse authenticam interpretem veri sensus. Atqui harum assertionum nulla invenitur in Scripturis. Ergo dum statuunt, nihil credendum esse quod non sit scriptum, eo ipso credunt et fundamenti instar credenda esse statuunt plura dogmata non scripta.

2. Præterea Protestantes, saltem illi qui nondum in rationalismum aut atheismum delapsi sunt, *plura dogmata nobiscum admittunt,* quæ in Scripturis non continentur, sed sola traditione et auctoritate magisterii ecclesiastici constant. Ita agnoscunt divinitatem singulorum librorum Scripturæ, infantes esse baptizandos, valere baptismum ab hæreticis collatum, Dominicam loco Sabbati esse sanctificandam, non esse necessarium abstinere a suffocato et sanguine, licitum quandoque esse jusjurandum etc. Hinc nemo mirabitur plures Protestantes evidentia convictos traditionis necessitatem agnovisse (*Franzelin,* th. 20). (1)

344. **Scholion.** *Objectiones.* Quædam breviter addere juvabit, quibus facile diluuntur ea, quæ Protestantes ad excludendas traditiones sive ex Scriptura sive ex Patribus proferunt. 1. Quæ a Protestantibus ex Scriptura in hunc finem afferuntur vix commemoratione digna sunt. Quisque enim illa Scripturæ testimonia vel obiter inspiciens facile reperiet ea vel *a)* affirmare tantum sive Scripturæ utilitatem (Joan. XX, 31; 2 Tim. III, 16), sive eam non esse adulterandam (Deut. IV, 2; Apoc. XXII, 18); vel *b)* agere non de solo verbo Dei scripto, sed generatim de verbo Dei *revelato*

(1) Cf. *Bellarminus,* de verbo Dei, l. 4; *M. Canus,* op. cit. l. 3; *Perrone,* de traditione, c. 1; *Jansen,* § 120; *De Groot,* q. 18; *Tanquerey,* de fontibus theol. n. 6 sqq.

et prædicatione promulgato (Gal. I, 8); vel *c)* nimis probare; sequeretur enim rejici debere vel saltem inutiles esse omnes alios libros inspiratos præter illos in quibus hujusmodi testimonia occurrunt.

345. 2. Protestantes præcipue appellant ad *Patrum testimonia,* quibus prædicatur Scripturæ plenitudo et sufficientia. Frustra autem. Nam primo, talibus Patrum effatis non excludi traditiones divinas, jam *indirecte* colligitur ex eo quod, uti vidimus, Patres unanimiter tum theoretice tum practice admiserint traditiones divinas; nisi quis dicere velit Patres sibi turpiter contradicere.

Deinde ex Patrum disputandi modo, nominatim adversus hæreticos, et ex sermonum contextibus facile etiam intelligitur istorum testimoniorum sensus traditioni divinæ minime contrarius, sicque *directe* etiam ostenditur, eorum sensum non esse illum, quem dicunt Protestantes. Nam *a)* quando Patres plenitudinem et sufficientiam Scripturæ prædicant locutionibus *affirmantibus,* non excludunt sed supponunt tum magisterium ecclesiasticum in Scriptura clare enuntiatum tamquam principium dirigens ad cognoscendam totam revelationem, tum traditionem objectivam et prædicationem ecclesiasticam tamquam normam intelligendi verum sensum Scripturæ. Deinde ipsam Scripturæ sub norma catholici intellectus interpretandæ plenitudinem prædicant non quoad omnia et singula dogmata revelata, sed vel quoad præcipuas veritates ab omnibus fidelibus explicite credendas, vel quoad specialia quædam dogmata ab hæreticis impugnata. *b)* Quando Patres plenitudinem et sufficientiam Scripturæ prædicant locutionibus *excludentibus,* quibus affirmare videntur, nihil esse credendum quod scriptum non est, excludunt non traditionem divinam, sed tantum fontes spurios i. e. libros apocryphos, traditiones occultas, ex quibus hæretici suam hauriebant doctrinam, aut argumentationes philosophicas, quibus iidem nimium sæpe fidebant. (1)

---

(1) Cf. *Bellarminus,* de verbo Dei, l. 4. c. 11; *Franzelin,* th. 19.

CAPUT IV.

DE EXPLICATIONE DOCTRINÆ CATHOLICÆ SEU REVELATIONIS.

346. Demonstravimus integram revelationem, factam a Christo et a Spiritu S. in Apostolis, per successionem apostolicam custodiri et transmitti. Ad pleniorem autem revelationis et traditionis divinæ intelligentiam quærimus hic, utrum revelatio christiana in Apostolis ita fuerit completa, ut nullum amplius incrementum capere possit. Jam vero hujusmodi incrementum duplici modo intelligi potest: *extra* Ecclesiam Christi, et *in* ipsa Ecclesia Christi. Primo modo illud intellexerunt Montanistæ, Manichæi, sectæ plures medii ævi, ut Fraticelli et homines evangelii æterni, sectæ innumerabiles recentioris ætatis Anabaptistæ, Swedenborgiani, Irwingiani, homines ecclesiæ futuræ seu omnes illi, qui exspectant novam et abundantiorem effusionem Spiritus Sancti. Omnes enim isti, quamquam alii aliter, statuerunt tertiam perfectiorem œconomiam Spiritus Sancti, quæ sit in simili fere relatione ad œconomiam secundam a Christo institutam, sicut est hæc secunda ad primam veteris Testamenti seu ad œconomiam Patris, ut illorum aliqui eam appellant. Alio modo illud incrementum objectivæ revelationis intelligi potest, ut scil. in ipsa Ecclesia revelatio accipiat in dies nova incrementa per novas revelationes, uti in V. T. usque ad Christum factum est, ita ut in Ecclesia fide divina credendæ sint novæ veritates, quas Christus et Apostoli non docuerunt. Contra duos illos errores, quorum primus manifesta est hæresis, tenenda est doctrina catholica: revelationem catholicam in Apostolis completam esse, ita ut neque nova œconomia sit exspectanda (1) neque in præsenti œconomia christiana incrementum objectivum publici depositi revelationis admitti possit.

(1) In schemate Const. dogm. *de Ecclesia Christi,* in Conc. Vatic. proposito cap. 8 legitur; „Declaramus insuper, Christi Ecclesiam, sive existentia sive constitutio ejus spectetur, societatem esse perennem et indefectibilem, nullamque post illam neque pleniorum neque perfectiorem salutis oeconomiam in hoc saeculo exspectandam esse"; et canon paratus erat: „Si quis dixerit praesentem Christi Ecclesiam non esse ultimam ac supremam consequendae salutis oeconomiam, sed exspectandam esse aliam per novam et pleniorem divini Spiritus effusionem, a. s."

347. Ab hoc incremento objectivo distinguendus est progressus explicationis et intelligentiæ revelationis seu fidei objectivæ. Hic enim profectus subjectivus post mortem Apostolorum in Ecclesia Christi admittendus est, licet et in hoc statuendo varii cavendi sint errores.

Ut itaque doctrinam catholicam distincte et ex ordine proponamus, agemus 1) de revelatione catholica in Apostolis completa; 2) de progressu explicationis et intelligentiæ revelationis christianæ.

Art. I. **De revelatione catholica in Apostolis completa.**

348. **Thesis.** Revelatio christiana morte Apostolorum ita completa est, ut 1) neque nova oeconomia perfectior, 2) neque in præsenti oeconomia ullum objectivum incrementum publici depositi revelationis adhuc expectandum sit.

Prob. 1ma pars I. Novum Testamentum in Scripturis opponitur veteri tamquam perfectum et consummatum imperfecto et inchoato, tamquam firmum et immobile perficiendo et transferendo in perfectius; et quemadmodum Vetus Testamentum tamquam inchoatio respicit novum, cui locum cedere debet, ita Novum Testamentum immediate respicit visionem beatificam in altera vita, quæ illi succedit. Hanc rem data opera asserit atque demonstrat Apostolus Paulus in epistola ad Hebræos.

Nam 1) ibid. VII, 11 sqq. docet, sacerdotium tam intimo nexu cum universa religione colligari, ut eo immutato vel manente, ipsa religio (œconomia) immutetur aut permaneat. Atqui juxta Apostolum sacerdotium novi Testamenti est efficax, æternum et numquam abrogandum. Ergo ipsa religio seu œconomia Christi est perpetua et numquam abroganda.

2) Vetus Testamentum utpote imperfectum debuit desinere, ut illi succederet novum perfectum; sicut ergo illud propter suam imperfectionem debuit desinere, ita hoc propter suam perfectionem manere debet (VIII, 5—13).

3) Interpretans prophetiam (Agg. II, 7): „adhuc semel, et movebo cœlum et terram", diserte declarat novum Testamentum esse ultimum et immobile. „Quod autem *adhuc semel* dicit, declarat mobilium translationem tamquam factorum, *ut*

maneant ea quæ sunt immobilia. Itaque *regnum immobile suscipientes,* habemus gratiam." (XII, 27 sq.)

4) „*Umbram* habens lex futurorum bonorum, non ipsam *imaginem rerum*" (X, 1). Hisce verbis indicat Apostolus, triplicem statum sibi respondere et per gradus cohærere, *umbram* testamenti veteris, *imaginem* testamenti novi, *rem* visionis beatæ. Sicut igitur veteri Testamento utpote imperfecto et umbræ debet succedere novum perfectum et imago rerum; sic novo Testamento succedere tantum debet visio in cœlis, res ipsa.

349. II. Constanter exhibetur in Scripturis œconomia a Christo instituta ut *plenitudo temporis* (1); et revelatio in Christo et per Christum dicitur facta *in novissimis diebus* (2). Atqui hæc vera non essent, si alia post christianam œconomia esset exspectanda; ea enim esset novissima.

350. III. *Ex Patribus,* qui Scripturarum doctrinam exponentes distinguunt tres veluti gradus: *umbram* Veteris Testamenti, *imaginem* novi, *rem* visionis beatæ, nec ullum gradum vel statum agnoscunt medium inter novum Testamentum et visionem in cœlis. Ita S. *Bruno Astens.* (Hom. 34): „Primum tabernaculum est synagoga, secundum Ecclesia, tertium cœlum.... Primum in umbra fuit et figura, secundum in figura est et veritate, tertium in veritate sola. In primo ostenditur vita, in secundo datur, in tertio possidetur."

351. *Prob. 2da pars.* I. *Ex S. Scriptura.* Etenim 1. Apostoli exhibentur ut primi promulgatores totius revelationis catholicæ, omnis revelandæ veritatis, quam ipsi immediate a Christo vel a Spiritu Sancto acceperunt revelatam; ipsi jubentur docere *omnia quæ mandaverat eis Christus,* testimonium perhibere per Spiritum Sanctum *suggerentem eis omnia, docentem eos omnem veritatem* (3).

2. *Successores Apostolorum* ubique exhibentur ut testes et doctores tantum eorum, quæ ab Apostolis acceperunt. Jubentur enim „permanere in iis quæ didicerant et credita sunt illis" ab Apostolis, „scientes a quibus didicerint;" quæ ab Apostolis „acceperunt per multos testes," debent „commendare fidelibus

(1) Gal. IV, 4; Ephes. I, 10.
(2) Hebr. I, 1; Act. II, 17; 1 Pet. I, 20.
(3) Matth. XXVIII, 20; Joan. XIV, 26; XV, 26; XVI, 13.

hominibus, qui idonei erunt et alios docere," atque monentur „custodire bonum depositum per Spiritum Sanctum" (1).

3. Pariter *fideles* omnes jubentur „supercertare semel traditæ sanctis fidei" (Jud. 3); atque omnes fideles dicuntur „superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu" (Eph. II, 20).

Ex his sane manifestum est, *totam revelationem catholicam* contineri *in prædicatione apostolica,* ideoque post Apostolorum tempora nullam amplius *revelationem catholicam* in Ecclesia Christi exspectandam esse.

352. *Prob.* II. Ex *diserta doctrina* et *praxi* totius Ecclesiæ.

1. *Ex diserta doctrina.* Nam *a*) semper et ubique in Ecclesia viguit principium, successores Apostolorum esse custodes doctrinæ apostolicæ, cui nihil addi et a qua nihil detrahi possit. Ita *S. Barnabas* (Ep. n. 19): „Regula lucis est: custodi quod accepisti, neque addens quidquam neque detrahens." Et *S. Irenæus* (l. 4. c. 33. n. 8): „Vera cognitio Apostolorum doctrina est et antiquus Ecclesiæ status." *b*) Novitas doctrinæ semper habita fuit nota hæreseos et apostolicitas character necessarius doctrinæ fidei. *c*) Ideo synonyma semper habebantur hæc duo: fides apostolica et fides Ecclesiæ; quia, ut ait *Irenæus* (l. 3. 1): „non per alios dispositionem salutis nostræ cognovimus quam per eos, per quos evangelium pervenit ad nos."

2. Hisce principiis concinit *constans praxis* Ecclesiæ. Quoties aliquod doctrinæ caput ad fidem catholicam pertinere definitum est, id semper intellectum est esse prorsus idem ac definivisse, illam doctrinam revelatam ad nos pervenisse ab Apostolis. Hinc in controversia de fide oborta hoc unum semper inquirebatur, utrum doctrina contineretur in Scripturis vel in apostolica traditione; hoc ex actis omnium Conciliorum et ex historia omnium definitionum manifeste liquet.

Hisce addi potest communis consensus theologorum, qui omnes doctrinam de revelatione in Apostolis completa tum in modo probandi dogmata supponunt tum diserte etiam proponunt (*Franzelin,* th. 22). (2)

(1) 2 Tim. I, 14; II, 2; III, 14.

(2) Cf. *S. Thomas,* 1. q. 1. a. 8 ad 2; 2. 2. q. 1. a. 7 ad 4; *Bellarminus,* de verbo Dei, l. 4. c. 9; *Suarez,* de fide, disp. 2. s. 6; *de Lugo,* de fide, disp. 3. s. 5; *Mazzella,* de virtutibus infusis. disp. 2. art. 9. § 3.

353. **Scholion.** *De revelationibus privatis.* 1. Negari non potest, post mortem Apostolorum fieri posse et factas esse in Ecclesia veras revelationes divinas; ast hæ non pertinent ad *depositum fidei catholicæ,* ab Ecclesia custodiendum, docendum et explicandum. Sunt enim revelationes *privatæ,* quæ non diriguntur ad universam Ecclesiam, sed ad homines privatos, i. e. non constitutos a Deo legatos ad suam Ecclesiam, qui accipiunt revelationem vel ad suam propriam vel etiam ad aliorum privatam directionem et fructum. Hinc hujusmodi revelationes non solum non pertinent ad revelationem catholicam, sed neque *per se* pertinent ad depositi fidei catholicæ explicationem, ad quam Christus instituit magisterium ordinarium in successione apostolica, quod in hac sua functione gaudet assistentia Spiritus veritatis non vero dirigitur per novas revelationes.

354. 2. Quæritur, *an hujusmodi revelationis privatæ credi possint ac debeant fide divina?*

Resp. Quidquid olim aliqui theologi dixerunt, secundum sententiam jam hodie communem, et ut nobis videtur omnino tenendam, dicendum est, revelationes privatas posse et saltem ab iis, quibus vel pro quibus fiunt, debere credi fide *divina,* si evidentibus motivis credibilitatis ut divinæ *certo* innotescant. Unde ille, cui talis revelatio immediate fit, eam fide divina credere tenetur, quando ipsi certo innotescit ut divina; alii vero fideles ordinarie non possunt nec tenentur hujusmodi privatas revelationes credere fide divina, quia illæ ipsis rarissime imo forte numquam externis credibilitatis motivis ut divinæ certo innotescunt.

355. 3. *Quænam est vis judicii, quo Ecclesia privatas revelationes quandoque approbat?*

Resp. Illud judicium non eo spectat, ut revelationes proponantur fide divina credendæ; sed ut declaretur, *a)* in iis nihil esse quod fidei catholicæ, bonis moribus et disciplinæ christianæ adversetur; *b)* sufficientia esse indicia veritatis, ut hujusmodi revelationes fide humana prudenter et sine superstitione credi et ad ædificationem a fidelibus legi possint. Unde *Benedictus XIV* (de Canon. Sanct. l. 2. c. 32 n. 11): „sciendum est approbationem istam nihil aliud esse, quam permissionem, ut edantur ad fidelium institutionem et utilitatem

post maturum examen: siquidem hisce revelationibus taliter approbatis licet non debeatur nec possit adhiberi assensus fidei catholicæ, debetur tamen assensus fidei humanæ juxta prudentiæ regulas." Proinde *c*) post hujusmodi Ecclesiæ approbationem vel si citra Ecclesiæ judicium graves adsint genuinitatis rationes, fas non est tales revelationes contemnere *(Franzelin,* th. 22). (1)

Art. II. **De progressu explicationis et intelligentiæ revelationis christianæ.**

356. Licet, uti demonstravimus, revelatio catholica nullum objectivum incrementum capere amplius possit, et licet proinde Ecclesia numquam proponat aliquid fide catholica credendum, quod ab Apostolis non acceperit; non ideo tamen excluditur omnis profectus fidei catholicæ, admittitur enim progressus *explicationis* et intelligentiæ depositi revelationis. Hic autem progressus, qui est non tam fidei in fideli, quam fidelis in fide, in eo consistit, quod veritates *implicite, obscure, minus diserte* in objectiva revelatione Scripturæ et Traditionis contentæ et propositæ *explicentur, declarentur* et *instantius proponantur.* (2) Quare possunt esse et sunt in deposito revelationis veritates, quæ non semper et ubique continentur explicite in catholico intellectu et in manifesta prædicatione ecclesiastica; quæque ideo possunt aliquo tempore in Ecclesia obscurari et citra crimen hæreseos in controversiam vocari. Hæc paucis evolvere ac declarare juvabit.

357. I. *Non omnes veritates revelatæ sunt explicite credendæ.* Licet objectum formale seu motivum, propter quod credimus, sit unum et idem pro omnibus veritatibus revelatis, atque adeo hæ omnes sint credendæ; est tamen discrimen inter objecta fidei materialia seu ipsas veritates credendas, quatenus non omnium est æqualis necessitas, ut explicite ac in se ab omnibus cognoscantur, atque ita *explicite credantur.* Illa nempe, quorum cognitio ex sese absolute necessaria est ad ordinandum hominem ratione utentem in finem superna-

(1) Cf. *Suarez,* de fide, d. 3. s. 10; *Benedictus XIV,* de Canon. Sanct. l. 2. c. 32, qui tradit etiam regulas ad revelationes privatas dijudicandas.

(2) Cf. *Suarez,* l. c. d. 2. s. 6. n. 16; *de Lugo,* de fide, d. 3. s. 5.

turalem, sunt ab omnibus explicite cognoscenda et credenda necessitate medii; ea, quæ constituunt fundamentum religionis christianæ, a quovis christiano sunt explicite cognoscenda et credenda necessitate præcepti. Alia multa continentur in revelatione, quæ pertinent ad prædictorum manifestationem, ad ulteriorem veritatis revelatæ explicationem et ampliorem intelligentiam, et quorum ideo non postulatur ab omnibus fides explicita, sed sufficit fides implicita. Hæc distinctio colligitur ex SS. Litteris; ex prudenti œconomia in Ecclesia semper adhibita in instituendis catechumenis et populo christiano; ex differentia semper agnita inter simplicen fidem omnibus necessariam et inter gnosim ac sapientiam christianam.

358. II. *Non omnia eodem modo traditione continentur.* Ex declarato discrimine veritatum revelatarum intelligitur, neque necesse neque exspectandum esse, ut omnes veritates eodem modo contineantur in primitiva traditione et in traditione quovis tempore obtinente. Quæ ab omnibus fidelibus explicite sunt credenda, sine dubio continebantur in doctrina apostolica et traditione cujusvis ætatis *explicite, clare,* quantum temporum adjuncta postulabant *diserte* h. e. diligenti et instanti prædicatione. Contra vero in iis, quæ ad ulteriorem declarationem et ampliorem intelligentiam fidei objectivæ pertinent, possunt esse aliqua, quæ in prædicatione apostolica tantum *implicite* continebantur atque ideo saltem aliquo tempore implicite tantum fuerunt transmissa per traditionem; possunt esse alia in traditione *obscurius* et *minus diserte* proposita, donec rerum et controversiarum adjunctis postulantibus, magisterium authenticum sub directione Spiritus S. *implicitum explicet, obscurum declaret, minus disertum instantius prædicet seu definiat.*

359. Hic diversus modus prædicationis apostolicæ et traditionis ex ipsa rei natura quoque facile intelligitur. Cum enim doctrina revelata quo est profundior, eo etiam sit fecundior, habeatque relationes prope infinitas ad omnium temporum exigentias, et oppositiones ad diversissimos errores cujusvis temporis; liquet, nec factum esse nec moraliter fieri potuisse, ut dogmata singula secundum omnes illos respectus ab Apostolis explicite proponerentur et enuntiarentur. Eo autem minus hoc erat necessarium, quod ex promissione et

institutione Christi in successores Apostolorum propagabatur charisma *doctoratus infallibilis,* quo quæ implicita sunt in revelatione explicent, ambigua definiant, minus diserta instantiori prædicatione proponant, erroribus impugnata defendant. Eosdem enim qui in Ecclesia constituti sunt pastores et custodes revelationis esse simul etiam ejusdem revelationis *doctores authenticos* et infallibiles, patet tum ex ipso munere custodiæ quod doctoratum necessario includit, tum ex S. Scriptura, quæ unitatem custodiæ depositi et doctoratus declarat. (1)

360. III. Ex dictis liquet, posse esse veritates objective quidem in deposito revelationis (Scriptura et Traditione) seu in regula fidei remota comprehensas, quæ non semper fuerint prædicatione ecclesiastica seu regula fidei proxima sufficienter propositæ tamquam revelatæ. Hinc fieri potest, et historia teste revera factum est, ut nonnullæ veritates revelatæ in quibusdam ecclesiis particularibus aliquo tempore obscuratæ et oblivioni traditæ, vel a doctoribus catholicis citra dispendium fidei et communionis aliquando in controversiam vocatæ vel etiam negatæ fuerint. Unitas enim fidei servatur integra quamdiu a fidei regula proxima nullus est dissensus.

361. Ut melius intelligatur, quomodo fieri possit ut de nonnullis veritatibus revelatis aliquo tempore in ipsa Ecclesia non satis constet, juverit cum Patribus, nominatim cum *S. Augustino,* distinguere triplex veluti stadium, in quo explicatio quorumdam dogmatum versari potest. *Primum stadium* est, quando nulla adhuc urgente controversia, nec quæstione adhuc diligenter discussa, aliqua veritas tenetur vel implicite in professione propositionis universalioris vel usu et praxi magis quam theoretica et distincta prædicatione. *Secundum stadium* est, quando hujusmodi veritas incipit vocari in controversiam, et ideo examinari diligentius. Orta et durante controversia fluctuatio aliqua inducitur et apud aliquos obscurior fit veritas quam ante controversiam. Denique sequitur *tertium stadium,* quando quæstione, dirigente Spiritu Sancto, eliquata Ecclesiæ solemni judicio vel aliter consensu invalescente, veritas transit in explicitum intellectum catholicum et in manifestam prædicationem ecclesiasticam. Quando aliquod dogma hoc tertium

(1) Eph. IV, 11; 2 Tim. III, 14 sqq.; ibid. II, 15; 1 Tim. IV, 13 sqq.

ingressum est stadium, intra fines Ecclesiæ nec dissensus nec obscuratio talis dogmatis amplius haberi potest *(Franzelin,* th. 23 et 25). (1)

362. **Corollarium.** *De vero sensu canonis Vincentii Lirinensis.* Canonem suum, quo characteres doctrinæ catholicæ assignantur: universitas, antiquitas et consensio, *S. Vincentius* Lirinensis enuntiat (Commonit. n. 3) his verbis: „In ipsa catholica Ecclesia magnopere curandum est, ut id teneamus, quod *ubique,* quod *semper,* quod *ab omnibus* creditum est. Hoc est enim vere proprieque catholicum..... Sed hoc ita demum fiet, si sequamur *universitatem, antiquitatem, consensionem.*"

Ex iis, quæ diximus, liquet, notissimum illum canonem 1. verissimum esse sensu *affirmante,* nam profecto illud est dogma fidei catholicæ, quod ab omnibus semper et ubique explicite creditum fuit. 2. Non tamen verum esse sensu *excludente* ita, ut ad depositum fidei catholicæ nihil pertinere possit, quod non ubique et ab omnibus semper explicite creditum sit, ut patet ex dictis in hoc articulo. Neque 3. hoc sensu excludente suum canonem proponit Vincentius. Imo si regula Vincentii spectetur in toto contextu ipsius Commonitorii, ea exhibetur duplex criterium, utrumvis sufficiens ad dignoscendam apostolicitatem doctrinæ, scilicet *a) consensus præsens* Ecclesiæ (universitatis consensio), et *b) consensus antiquitatis* relativæ existens ante exortam controversiam. Ipse enim Vincentius n. 41 verba sua ita explicat: „diximus, inquit, *universitatis* et *antiquitatis consensionem* spectari oportere." Pro *universitate* intelligendam esse consensionem Ecclesiæ præsentem, declarat n. 4; pro *antiquitate* vero consensionem Ecclesiæ in aliqua ætate præcedente explicat n. 38. (2)

363. **Scholion** I. Cavendum est, ne quæ de dogmatum explicatione diximus præpostere transferantur ad ipsam Apostolorum intelligentiam et in ipsis intelligentia fidei minus perfecta quam in Patribus et posterioribus doctoribus fuisse putetur, quod Günther asserere ausus est. Longe enim aliud est, quod Apostoli dogmata non proposuerint omnia explicite sub omnibus formis, quibus enuntiari possunt directe opposita multiplicibus erroribus; et aliud est, quod Apostoli ipsi fidei

(1) Cf. *Suarez,* l. c.; *de Lugo,* l. c. *Mazzella,* l. c. § 4 sq.; *Scheeben,* n. 597 sqq.
(2) Cf. *Franzelin,* thes. 24; *Mazzella,* l. c. § 6.

dogmata secundum totam intimam rationem scientia infusa minus distincte cognoverint quam doctores subsequentes. Hoc alterum theologi catholici communiter reprobant saltem ut temerarium.

364. **Scholion** II. *Cavendi errores.* Statuto vero progressu explicationis depositi revelationis catholicæ, intelligitur quinam in hac re cavendi sint errores. Imprimis explodenda est omnis opinio, quæ hunc profectum ita explicat ut incrementum revelationis objectivum tueatur.

Prorsus rejiciendus deinde est error quorumdam auctorum Germaniæ (apud *Perrone,* de locis theol. p. 3. c. 3. prop. 2), qui talem statuunt fidei progressum, ut dicant, successu temporis, ob naturalium scientiarum profectum, intrinsecam *mysteriorum* fidei rationem penetrari posse. Hunc errorem confixit *Conc. Vatic.* (Const. *Dei Filius,* cap. 4) statuens in revelatione divina esse proprie dicta mysteria „quæ suapte natura intellectum creatum sic excedunt, ut etiam revelatione tradita et fide suscepta, ipsius tamen fidei velamine contecta et quadam quasi caligine obvoluta maneant, quamdiu in hac mortali vita peregrinamur a Domino: per fidem enim ambulamus, et non per speciem." Quibus respondet can. 1: „si quis dixerit, in revelatione divina nulla vera et proprie dicta mysteria contineri, sed universa fidei dogmata posse per rationem rite excultam e naturalibus principiis intelligi et demonstrari; a. s."

365. Cavendus est error scholæ *Güntherianæ,* secundum quam fides ita augetur quoad objectum materiale, ut, ope scientiarum progressus, jam verus et plenus habeatur dogmatum sensus, alius scilicet ab eo, quem Ecclesia definierat. Günther scil. distinguit facta historica (factum christianismi) in Scripturis consignata, et horum factorum intelligentiam. Hæc intelligentia, quam vocat „traditionem doctrinalem", continua accipit incrementa ope scientiæ philosophicæ, adeo ut imperfectior fuerit in Apostolis quam in sanctis Patribus, in his tamen minime perfecta imo admodum manca propter defectum veræ philosophiæ, donec tandem nostra ætate jam reperta vera philosophia (Güntheriana) viam intravit, qua perveniatur ad supremam totius doctrinæ revelatæ intelligentiam atque ita ad conclusionem „traditionis doctrinalis". In

hoc scientiæ profectu et veritatis explicatione progrediente ad Ecclesiæ magisterium spectat, inter varios modos intelligendi dogmata quovis tempore obtinentes, definire illum, qui eo tempore est *aptissimus*. Qua in definitione Ecclesia est infallibilis, at non ideo definitus modus intelligendi est perfectissimus, sed proficiente humana scientia apparebit imperfectus, et jam alia definitio perfectior erit necessaria; ideoque hujusmodi definitiones diverso tempore ab Ecclesia editæ agnoscendæ sunt ut continentes *aliquam veritatem*, non tamen veritatem et veram dogmatum intelligentiam simpliciter.

Hæc theoria Güntheriana est falsissima et ideo prorsus rejicienda. Ut enim cetera prætermittamus, in ea 1) pervertitur conceptus traditionis doctrinalis, et ex falsa hac notione ipsius traditionis in se et objective spectatæ incrementum admittitur. 2) Hinc relatio inter intelligentiam Apostolorum et posteriorum doctorum præpostere stabilitur. 3) Fere eliminatur magisterium authenticum institutum ad conservandam et explicandam traditionem, et in ejus locum aliquo modo scientiæ rationalis cultores substituuntur. 4) Postremo valor definitionis Ecclesiæ omnino perperam concipitur. Etenim, licet Ecclesia non semper dogma proponat sub omni conceptu et secundum omnem ejus sensum contra quemcumque errorem; tamen quod ipsa, cum sit infallibilis veritatis magistra, tamquam revelatum proponit seu definit, id est revelatum et immutabiliter verum ac credendum sub ea forma, et eo sensu quo est definitum. Hinc sequitur, non dogma definitum esse conformandum ad conceptus rationales, sed econtra scientiam conformandam esse ad sensum dogmatis definitum. Hoc ipsum adversus errorem Güntheri inculcat *Conc. Vatic.* (Const. *Dei Filius*, cap. 4) solemniter docens: „Neque enim fidei doctrina, quam Deus revelavit, velut philosophicum inventum proposita est humanis ingeniis perficienda; sed tamquam divinum depositum Christi sponsæ tradita, fideliter custodienda et infallibiliter declaranda. Hinc sacrorum quoque dogmatum *is sensus perpetuo est retinendus, quem semel declaravit sancta Mater Ecclesia*, nec umquam ab eo sensu, altioris intelligentiæ specie et nomine, recedendum." Quibus respondet can. 3: „Si quis dixerit, fieri posse, ut dogmatibus ab Ecclesia

propositis, aliquando secundum progressum scientiæ sensus tribuendus sit alius ab eo, quem intellexit et intelligit Ecclesia; a. s." (1)

PARS II.

DE SACRA SCRIPTURA.

366. Alter divinæ revelationis fons a Traditione distinctus, de quo modo nobis est agendum, est Scriptura sacra. Totam de Scriptura sacra doctrinam, quæ præcipue ad theologiam dogmaticam spectat, complectimur quatuor capitibus: 1 *de sacræ Scripturæ inspiratione* agemus; 2. *de canone sacræ Scripturæ;* 3. *de versione Scripturæ* seu *de Vulgatæ authentia;* 4. demum *de sacræ Scripturæ habitudine sive ad fideles sive ad Ecclesiam docentem.*

CAPUT I.

DE SACRÆ SCRIPTURÆ INSPIRATIONE.

367. In inquirenda et stabilienda dignitate et auctoritate sacræ Scripturæ, quæ divina ejusdem Scripturæ inspiratione continetur, duplex distinguenda est quæstio. Una *dogmatica:* an Scriptura sit divinitus inspirata; altera *scholastica:* quid sit hæc inspiratio. Prima authentice soluta est a magisterio ecclesiastico illique respondet dogma catholicum: sacram Scripturam Spiritu S. inspirante conscriptam habere Deum auctorem. In altera quæritur hujus dogmatis intelligentia, indagando distinctam inspirationis notionem. Ut autem ad ipsum dogma catholicum stabiliendum via sternatur, prius breviter ostendemus, ex fide ac traditione Judæorum, a Christo et Apostolis confirmata, Scripturæ competere auctoritatem divinam. Quare hoc caput in tres dividimus articulos. 1. Agemus de fide ac traditione Judæorum, a Christo et Apostolis confirmata,

(1) Cf. *Franzelin,* th. 25; *Scheeben,* n. 603 sqq.; praesertim *Kleutgen,* t. 4. n. 581 sqq.

attestante divinam Scripturæ auctoritatem; 2. probabimus dogma catholicum, Scripturam credi debere divinam eo quod Deus sit illius auctor per inspirationem; 3. explanabimus veram et distinctam inspirationis notionem.

Art. I. De fide ac traditione Judæorum, a Christo et Apostolis confirmata, attestante divinam Scripturæ auctoritatem.

368. I. Certo constat, ante Christum et tempore Christi, nomine *Scripturæ sacræ* exstitisse penes Hebræos *unam quamdam collectionem librorum* a majoribus acceptorum, qui unum velut corpus constituebant destinatum ad usum publicum in vita religiosa et civili populi judaici. Hujus collectionis mentio fit in prologo ad librum Ecclesiastici scripto sæc. III ante Christum; ibique etiam ter occurrit ejusdem collectionis partitio in *Legem, Prophetas,* et *alios libros:* quæ partitio in *Legem, Prophetas* et *Psalmos* occurrit etiam tempore Christi (Matth. XXII, 40; Luc. XXIV, 27, 44).

Illud factum diserte testantur duo præcipui scriptores Judæi Philo et Flavius Josephus, qui illam unam collectionem cum ejus divisione commemorant. *Josephus* (contr. Apion l. I, n. 8) scribit: „Apud nos nequaquam innumerabilis est librorum multitudo dissidentium et inter se pugnantium; sed *duo dumtaxat et viginti libri* sunt totius temporis descriptionem continentes, qui merito creduntur divini." Libros ipsos deinde secundum notam distributionem enumerat.

369. II. Huic collectioni librorum a Judæis, ab ipso Christo et Apostolis tribuebatur nomen *Scripturæ* vel *Scripturæ sacræ* tamquam nomen *proprium* huic *uni soli et toti collectioni,* et tamquam nomen *excellentiæ,* quo significabatur *auctoritas sacra* omnium et singulorum librorum imo singulorum textuum istius collectionis.

Judæorum persuasio et fides de auctoritate sacra omnium et singulorum librorum istius unius collectionis manifesta est ex Philone et Flavio Josepho, qui usu amplissimo istos libros sive omnes sive singulos designant nomine *Scripturæ sacræ* (vel nominibus æquipollentibus), hoc nomine manifeste exprimentes auctoritatem sacram omnibus et singulis illis libris

competentem. Hanc Judæorum fidem Christus et Apostoli luculenter confirmarunt. Etenim in novo Testamento a Christo et ab Apostolis nomine *Scripturæ* vel *Scripturæ sacræ,* vel sub formula æquivalente *scriptum est,* tamquam *auctoritas cui serviat omnis fidelis intellectus,* passim citantur libri istius notissimæ collectionis nunc seorsim, nunc conjunctim ac si essent unus liber, imo singuli librorum textus.

370. III. Hæc porro auctoritas sacra, quæ nomine *Scripturæ sacræ* significabatur, credebatur a Judæis esse *auctoritas divina,* quæ inest libris sacris tamquam verbo Dei. In fide enim Judæorum, quam amplissime testantur Philo et Flavius Josephus, quamque Christus et Apostoli multipliciter confirmarunt, credita fuit, ut dogma fundamentale, *auctoritas omnino divina* Scripturæ. Ita *Josephus* l. c. dicit libros sacros a suo populo *merito credi divinos;* hæc divinitas ex eo repetitur, quod libri illi omnes, ut ait ibid. n. 7, scripti sunt *a prophetis ex inspiratione divina.* Pariter *Philo* diserte docet, illos libros scriptos esse *a prophetis,* „quorum ore pater universorum oracula edidit," „qui in persona Dei oracula ediderunt inspirati," „qui locuti sunt numine inspirati."

Christus et Apostoli hanc communem Judæorum fidem multipliciter et luculenter confirmarunt. Etenim Christus 1) appellat ad Scripturas tamquam ad testificationem non humanam sed divinam et infallibilem, parem testimonio ipsius Patris cœlestis et testimonio miraculorum (e. g. Joan. V, 34 sqq.); 2) inculcat Scripturæ omnimodam infallibilitatem ac firmitatem, ut dum passim declarat *oportet impleri Scripturam,* vel dum dicit (Matth. V, 18): „donec transeat cœlum et terra, iota unum aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant;" 3) ideo tentatori diabolo opponit sententias Scripturæ (Matth. IV); 4) Apostoli, uti notissimum est, simplici formula: *Scriptura dicit, scriptum est* res gravissimi momenti invicte tamquam auctoritate divina demonstrant; imo quandoque unicum verbum Scripturæ urgent tamquam mysterii plenum et probandi virtute præditum *(Franzelin,* de sacris Scripturis, th. 1).

371. **Corollarium.** Cum ex fide Judæorum, a Christo et ab Apostolis confirmata, eadem auctoritas competat toti collectioni singulisque ejus partibus, nomine Scripturæ designatis, liquet ea quæ dicuntur et probantur de auctoritate Scripturæ

universim demonstrare auctoritatem totius collectionis omniumque librorum et omnium partium ad *Scripturam* pertinentium. Illam autem auctoritatem Scripturæ esse auctoritatem divinam jam vidimus; Scripturam vero non utcumque tantum divinam esse, sed ita ut Deus sit ejus auctor per inspirationem modo ostendendum est.

ART. II. **Sacra Scriptura est divinitus inspirata.**

372. **Thesis.** Scriptura sacra credi debet divina eo, quod Deus est illius auctor per supernaturalem in scriptores humanos actionem, quæ usu ecclesiastico inspiratio dicitur. (1)

Declaratur thesis. Dicimus Scripturas credendas esse divinas non solum *a) ratione materiæ,* quod doctrinam continent revelatam, licet scriptio illius doctrinæ sit solum humana; neque solum *b) ratione modi scribendi sub assistentia* supernaturali Dei infallibiliter tantum *præcavente errorem* in scriptione ceteroquin humana; sed *c*) sensu strictiori, qui duos priores modos includit, scil. *ratione scriptionis, quæ efficienter est a Deo per supernaturalem operationem* in scriptorem humanum ita, ut Deus ipse sensu proprio *princeps auctor* librorum Scripturæ censeri debeat. Hæc supernaturalis et extraordinaria Dei operatio dicitur *inspiratio.*

373. *Documenta Ecclesiæ.* Deum esse auctorem librorum sacræ Scripturæ per inspirationem est *dogma fidei catholicæ* sæpe solemnibus judiciis ab Ecclesia propositum et declaratum. Jam sæc. IV episcopus consecrandus ex præscripto *Concilii Carthaginensis IV* profiteri debebat et adhuc hodie debet: *„Credo etiam novi et veteris Testamenti, Legis et Prophetarum et Apostolorum unum esse auctorem Deum et Dominum omnipotentem."* Prætermissis autem decretis conc. Florentini et Tridentini aliisque, dogma fidei disertissime definivit *Conc. Vaticanum* (Const. *Dei Filius,* cap. 2): „Eos vero (V. et N. Testamenti libros integros cum omnibus suis partibus) Ecclesia pro sacris et canonicis habet ..... propterea quod *Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem,* atque ut

(1) Cf. *Franzelin,* de Script. th. 2; *Mazzella,* de virt. inf. disp. 4, art. 4; *De Groot,* q. 16. art. 2; *Pesch,* n. 605 sqq.

tales Ecclesiæ traditi sunt." Et ibid. can. 4: „Si quis sacræ Scripturæ libros integros cum omnibus suis partibus, prout illos S. Tridentina Synodus recensuit, pro sacris non susceperit, aut eos *divinitus inspiratos* esse negaverit; a. s."

374. *Demonstratur* I. Merito Ecclesia illud dogma definivit, quia est manifeste revelatum, uti constat ex doctrina Christi et Apostolorum. Etenim 1. Christus et Apostoli confirmarunt fidem Judæorum de auctoritate Scripturæ. Atqui Judæi, testantibus Philone et Josepho, eam credebant divinam, utpote a prophetis ex inspiratione divina conscriptam. 2. Christus et Apostoli *ipso modo citandi Scripturas* exhibent Deum tamquam earum auctorem. Nam *a*) Deus auctor Scripturæ ponitur *in recto,* et homo ut instrumentum *in obliquo:* „Oportet impleri Scripturam, *quam prædixit Spiritus Sanctus per os David*" (Act. I, 16); in epist. ad Hebr. passim invenitur *dicit Deus, dicit Spiritus Sanctus, contestatur nos Spiritus Sanctus* etc. *b*) Dicitur *scriptor humanus in Spiritu Sancto* quæ scripsit dixisse: „Quomodo *David in Spiritu vocat* eum Dominum, dicens: dixit Dominus Domino meo" (Matth. XXII, 43; Marc. XII, 36). *c*) Simpliciter Scriptura ponitur pro ipso Deo loquente, quod manifestissime ostendit, Deum esse Scripturæ auctorem: „*Providens Scriptura prænuntiavit* Abrahæ" (Gal. III, 8). 3. Diserte asseritur *inspiratio* Scripturæ ab Apostolo 2. Tim. III, 16: *Omnis Scriptura divinitus inspirata* utilis est ad docendum etc. Ad vim horum verborum parvi refert, utrum subjectum *omnis Scriptura* sumatur collective pro *tota Scriptura,* an distributive, uti suadet textus græcus, pro *quolibet ejus libro;* utrum dictio *divinitus inspirata* sit appositum declarans proprietatem subjecti, an prædicatum, ut videtur dicendum juxta textum græcum, ita ut sensus sit: omnis Scriptura *est* divinitus inspirata. Manifeste enim ab Apostolo affirmatur de Scriptura omni et quavis, sive per adjectivum sive per prædicatum, eam esse divinitus inspiratam. Per divinam autem inspirationem (θεόπνευστος divinitus inspirata) intelligit Apostolus supernaturalem et singularem actionem Dei in humanum scriptorem, uti constat tum ex ipsa vi vocis, tum ex aliis locis S. Scripturæ, in quibus non quidem idem vocabulum græcum occurrit sed res ipsa et rei descriptio; nominatim ex 2. Petr. I, 21: „*Non voluntate*

humana allata est aliquando prophetia, *sed Spiritu Sancto inspirati* locuti sunt sancti Dei homines."

375. *Prob.* II. *Ex perpetua et universali prædicatione ecclesiastica totius antiquitatis.* Non solum ex universali usu, quo semper in Ecclesia ad Scripturas provocatum est, sed etiam ex unanimi et diserta doctrina totius antiquitatis christianæ constat, Scripturas semper creditas esse divinas ita, ut a Spiritu Sancto sint conscriptæ. Hanc disertam doctrinam unanimi consensu tradunt Patres. Etenim 1. *Patres* diserte docent, Scripturas esse *conscriptas per Spiritum Sanctum,* esse *conditas a Deo.* Ita *Origenes* (de princ. n. 8) inter dogmata manifesta prædicationis ecclesiasticæ ponit „quod *per Spiritum Sanctum Scripturæ conscriptæ sunt.*" Et *Chrysostomus* (in Genes. hom. 21. n. 1): „Scripturæ divinæ utpote *Spiritu Sancto conscriptæ* magnum continent thesaurum absconditum." Ideo, dicente *Clemente Rom.* (Ep. I ad Cor. n. 45), „Scripturæ sunt *veraces dictiones Spiritus Sancti;*" et testante *Irenæo* (l. 2. c. 38. n. 2): „Scripturæ sunt *dictæ a Verbo Dei et Spiritu ejus.*"

Hinc 2. Scripturam appellant *epistolam omnipotentis Dei. Chrysost.* (in Genes. hom. 2 n. 2): „Deus velut longe absentibus litteras misit, *quas quidem litteras dedit Deus, attulit Moyses.*"

3. *Scriptionem* sacrorum librorum *negant esse humanam*, eamque *tribuunt Spiritui Sancto.* Ita *Origenes* (de princ. l. 4. n. 6): „Christi conversatio in carne demonstravit, legem et prophetas *scripta esse cœlesti gratia, nec hominum esse scriptiones quæ creduntur verba Dei.*" Hoc ita explicant, ut Deus sit causa principalis scriptionis, homo vero instrumentum Dei. Ita e. g. *S. Justinus* (Cohort. ad Græc. n. 8) docet, hagiographis opus non esse artificio sermonis, „sed tantummodo se ipsos mundos exhibere operationi divini Spiritus, *ut ipsum divinum plectrum e cœlo subiens, ac velut instrumentum citharæ vel lyræ adhibens viros sanctos,* nobis revelaret cognitionem rerum divinarum et cœlestium."

4. Hanc operationem Spiritus Sancti et consequenter veracitatem perfectam dicunt se protendere ad *omnes etiam minimas Scripturæ partes.* „Nos, inquit *Greg. Nazianz.* (de fuga sua, n. 105), qui *perfectam veracitatem Spiritus etiam usque ad*

levem apicem et lineam extendimus, non concedimus, neque enim fas est, vel res minimas a scriptoribus esse temere positas." Hæc diserta Patrum doctrina ita comparata est, ut non solum ex consentiente prædicatione ecclesiastica constet ipsum dogma: Scripturam esse divinitus inspiratam; sed etiam proponantur omnia elementa ad distinctam hujus inspirationis notionem assequendam.

Art. III. **De inspirationis notione et extensione.** (1)

376. I. **Notio inspirationis biblicæ.** 1. In indaganda inspirationis biblicæ notione et natura sedulo præ oculis habendum est dogma catholicum, secundum quod libri sacri *„Spiritu S. inspirante conscripti Deum habent auctorem."* Ex hoc sequitur, ad constituendam inspirationem biblicam eum requiri Dei influxum in scriptorem sacrum, quo fit, ut conscriptio libri sacri sit proprie actio Dei tamquam *auctoris principalis,* scriptoris autem inspirati tamquam *causæ instrumentalis,* utique non mere mechanicæ sed intelligentis et liberæ.

2. Ut vero hæc inspirationis notio fiat distincta, ulterius inquirendum est, in quo iste Dei influxus in scriptores sacros consistat, quid importet. Hunc Dei inspirantis influxum sic describit *Leo XIII* (Encycl. *Providentissimus Deus,* 18 Nov. 1893): „Supernaturali ipse (Spiritus S.) virtute ita eos (hagiographos) ad scribendum *excitavit* et *movit,* ita scribentibus *astitit,* ut ea omnia eaque sola, quæ ipse juberet, et recte *mente conciperent,* et fideliter scribere *vellent,* et *apte infallibili veritate exprimerent;* secus non ipse esset auctor sacræ Scripturæ universæ." Hanc solemnem S. Sedis declarationem sequentes, genuinam inspirationis biblicæ notionem tuto assequemur.

Ad inspirationem igitur biblicam quatuor requiri videntur:

a) efficax *motio voluntatis* ad scribendum „excitavit et movit." Hoc non impedit, quominus scriptores sacri ex cir-

(1) Cf. *Franzelin,* de Script. th. 3 sq.; *Schmid,* de inspirationis Bibliorum vi et ratione; *Mazzella,* de virt. infus. disp. 4. art. 4; *De Groot,* q. 16. art. 4; *Zigliara,* Propaed. ad S.Theol. l. 2. c. 1; *Tanquerey,* n. 50 sqq.; *Pesch,* n. 615 sqq.; *Lagrange,* Revue Bibl. cinquième année, n. 2. p. 199 220, et n. 4. p. 496—518; *Zanecchia,* divina idspir. SS. Script. Romae 1898.

cumstantiis externis ad scribendum adduci potuerint; hisce enim Deus suam jungebat internam motionem.

b) Illustratio intellectus, vi cujus scriptoris mens ea omnia recte concipit et supernaturaliter cognoscit, quæ Deus scribi vult. Hæc illustratio quoad ea, quæ sacro auctori erant *ignota,* importat tum *supernaturalem acceptionem* rerum scribendarum tum *supernaturale judicium de iis,* quoad ea autem, quæ ipsi jam cognita erant, importat tantum *supernaturale judicium de rebus ipsi jam notis;* quoad utraque autem cognitio fit *cum supernaturali adjutorio divini luminis.* (1)

c) Influxus in voluntatem, quo auctor sacer efficaciter movetur ad ea omnia et sola scribenda, quæ Spiritus S. menti ejus suggerit.

d) Influentia divina in scribendo, ut hagiographus ea omnia et sola apte infallibili veritate exprimat.

Hinc inspiratio biblica definiri potest: *influxus Dei supernaturalis elevans et movens hominis facultates, ut ea omnia et sola, quae Deus scribi et Ecclesiae scripto tradi vult, et recte mente concipiat, et fideliter scribere velit, et apte infallibili veritate exprimat.*

3. Ex tradita notione liquet *a*) ad inspirationem *per se non requiri revelationem* stricte dictam, qua nempe intelligitur manifestatio veritatis occultæ. Quando enim ea, quæ Spiritus S. suggerit scribenda, scriptori sacro jam aliunde sunt nota, non requiritur eorum nova revelatio; sed requiritur et sufficit illa illustratio, qua hagiographus ea *novo modo* cognoscat. Hinc ipsi scriptores sacri quandoque testantur, se rerum, quas scribunt, notitiam non sine labore hausisse ex aliorum libris (2 Mach. II, 24. 27); vel ex aliorum relatione (Luc. I, 3); vel ex propria experientia (Joan. XIX, 36). *b*) Inspiratione non excluduntur industria, studium, præsidia e. g. documentorum et testium, ab homine inspirato adhibita

(1) Cum homo per inspirationem elevetur ad divina cognoscenda, de ratione inspirationis est cognitio supernaturalis. In inspiratione tamen non necessario accipitur a Deo notitia rei scribendae, quae acceptio foret revelatio proprie dicta alicujus veritatis. Sed de ratione inspirationis est semper cognitio supernaturalis secundum *judicium,* quatenus intellectus ope luminis divinitus impressi infallibiliter judicat de rebus scribendis. Hoc divino lumine intellectus hominis inspirati elevatus et roboratus res scribendas supernaturaliter apprehendit et judicat.

ad veritates concipiendas et ad eas apte exprimendas, dummodo supernaturalis Dei illustratio et motio efficiat, ut mens hominis inquirentis ea omnia et sola ad scribendum concipiat, et voluntas ad ea omnia et sola scribenda supernaturaliter moveatur, quæ Deus scribi vult.

377. **Corollarium.** *Falsæ notiones inspirationis.* Ex declarata notione inspirationis biblicæ colligitur, rejiciendas esse opiniones de inspirationis natura quæ sequuntur.

1. Falsa est opinio eorum, qui inspirationis conceptum pervertentes eam constituunt *in mera assistentia divina,* qua scriptores præserventur ab errore immunes, adeoque reddantur infallibiles. Hanc sententiam docuerunt *Joannes Jahn, Holden* etc. Hæc sententia tribuitur a quibusdam etiam *Bonfrerio;* verum hic auctor non affirmat meram assistentiam pro omnibus libris et textibus S. Scripturæ; et cum assistentia ubique in omnibus libris et locis conjunctam admittit inspirationem positivam *in actu primo,* quæ, quoties est necessarium, transeat *in actum secundum,* atque scriptori res ipsas et sententias scribendas suggerat. Hanc tamen etiam notionem inspirationis, a Bonfrerio traditam, mancam et falsam esse censemus; nam, ea admissa, multa continerentur in S. Scriptura, quæ vere ac proprie inspirata non essent. Inspirationis autem notionem ad solam Dei assistentiam præcaventem errores revocari non posse manifestum est. Nam *a*) assistentia illa est quid *negativum;* inspiratio vero est *positiva,* importat enim *positivum* influxum et actionem, qua Deus est auctor Scripturæ. *b*) Si ea esset notio inspirationis, etiam decreta Conciliorum œcumenicorum, utpote edita sub assistentia Spiritus S. et infallibilia, forent divinitus inspirata. Quare istum errorem confixit *Conc. Vatic.* l. c. statuens sacros libros dici inspiratos *„non ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant,* sed propterea quod Spiritu S. inspirante conscripti Deum habent auctorem."

378. 2. Prorsus quoque rejicienda est opinio eorum, qui dicunt aliquem librum, humana tantum industria scriptum, evadere divinum et divinitus inspiratum *solo testimonio divino de plena veracitate* libri, vel ejus insertione per Ecclesiam in canonem Scripturæ. Hunc inspirationis modum, quem *Lessius* et *Bonfrerius* ut meram hypothesim possibilem innuerunt,

quidam recentiores eruditi, nominatim *Haneberg,* ut thesim saltem quoad aliquos libros S. Scripturæ proponunt. Hi nimirum censent, reipsa plures libros seu librorum textus exstare in nostro canone Scripturarum, qui humana tantum ope scripti, fuerint nihilominus auctoritate et approbatione Ecclesiæ accensiti sacris Scripturis; hanc approbationem vocant, non sine contradictione in adjecto, *inspirationem subsequentem,* et librum ita approbatum fieri dicunt *inspiratum.* Hunc errorem confixit *Conc. Vatic.* (Constit. *Dei Filius,* cap. 2) docens: „Eos vero (libros integros cum omnibus suis partibus) Ecclesia pro sacris et canonicis habet *non ideo quod sola humana industria concinnati sua deinde auctoritate sint approbati .... sed propterea quod Spiritu sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem,* atque ut tales ipsi Ecclesiæ traditi sunt." Ceterum falsitas hujus opinionis ex tradita inspirationis notione facile patet. Sane subsequens *testimonium* Dei de veracitate alicujus libri, sola humana ope scripti, non est nec esse potest inspiratio, quæ in libris S. Scripturæ admittenda est. Inspiratio enim dicit supernaturalem actionem Dei in hominem *scribentem,* ita ut liber *divinitus sit inspiratus* et Deus vere sit auctor *scriptionis;* atqui subsequens Dei approbatio libri jam scripti non est actio Dei in scriptorem. Concedimus quidem aliquem librum humanum sola Dei approbatione posse fieri verbum Dei, ideoque dici posse divinum ratione materiæ quam continet, ipsa enim approbatione revelaret Deus omnia in illo contenta esse vera adeoque ut verbum Dei credi posse; sed non ideo evadit liber inspiratus.

Multo minus, uti patet, ad inspirationem sufficit subsequens *testimonium Ecclesiæ* per insertionem alicujus libri in canonem. Profecto testimonium Ecclesiæ *declarat* tantum librum aliquem esse divinitus inspiratum, sed *non efficit* ut sit inspiratus.

379. II. **Extensio inspirationis biblicæ.** 1. *Certum est, inspirationem sese extendere ad omnes omnino res et sententias, quæ ab auctore sacro scriptæ sunt.* Id manifeste sequitur ex tradita notione inspirationis, per quam Deus est auctor universæ Scripturæ secundum omnes partes ejus. Sane Deus non potest esse auctor sacrorum librorum sensu exposito, nisi ea omnia inspiraverit, quæ in eis habentur; licet enim scriptores humani in iis componendis suas habuerint partes, nihil tamen

scripserunt nisi sub Dei influxu, ita ut totum opus sit Dei ut causæ principalis, et hominis ut causæ instrumentalis. Id docet unaminis et constans Patrum sententia; et inter catholicos theologos præteritorum sæculorum nullus est, qui non ita sentiat. Id jam extra omnem controversiam posuit *Leo XIII* (Encycl. *Providentissimus Deus)* dicens: „Nefas omnino fuerit aut inspirationem ad aliquas tantum sacræ Scripturæ partes coangustare aut concedere sacrum ipsum errasse auctorem. Non enim toleranda est eorum ratio, qui ex istis difficultatibus sese expediunt, id nimirum dare non dubitantes, *inspirationem divinam ad res fidei morumque, nihil præterea pertinere,* eo quod falso arbitrentur, de veritate sententiarum cum agitur, non adeo exquirendum, quænam dixerit Deus, ut non magis perpendatur, quam ob causam ea dixerit. *Etenim libri omnes atque integri,* quos Ecclesia tamquam sacros et canonicos recepit, *cum omnibus suis partibus Spiritu S. dictante conscripti sunt.*"

380. 2. Hinc sequitur, *omnem errorem a S. Scripturis necessario excludi.* Id diserte declarat ac probat idem Pontifex *Leo XIII* (l. c.): „Tantum vero abest, ut divinæ inspirationi error ullus subesse possit, ut ea per se ipsa non modo errorem excludat omnem, sed tam necessario excludat et respuat, quam necessarium est, Deum, summam Veritatem, nullius omnino erroris auctorem esse. Hæc est antiqua et constans fides Ecclesiæ, solemni etiam sententia in Conciliis definita Florentino et Tridentino, confirmata denique atque expressius declarata in Concilio Vaticano... Consequitur, ut, qui in locis authenticis librorum sacrorum quidpiam falsi contineri posse existiment, ii profecto aut catholicam divinæ inspirationis notionem pervertant, aut Deum ipsum erroris faciant auctorem."

381. **Corollarium.** Ex dictis colligitur, rejiciendas esse omnes illas opiniones, etiam nonnullorum catholicorum recentioris temporis, quæ negant inspirationem se extendere ad omnes res et sententias S. Scripturæ, eam restringentes ad res tantum majoris momenti, nominatim ad ea quæ ad fidem et mores spectant aut cum eis connectuntur. Tales opiniones falsas proposuerunt inter alios *Fr. Lenormant, Rohling, di Bartolo, Le Noir, D'Hulst,* etc., quorum unus vel alter tamen suam

opinionem jam retractavit, qui a divina inspiratione diverso modo subtrahunt plures S. Scripturæ partes, nominatim historicas et scientificas, in quibus partibus non inspiratis errores doceri posse consequenter dicunt. Huc pertinet etiam opinio cardinalis *Newman,* qui ab inspiratione et infallibilitate excludit ea, quæ vocat „obiter dicta", ut quod Paulus penulam Troade reliquit (2 Tim. IV, 13), salutationes in fine epistolarum etc. Has falsas opiniones, inspirationem biblicam restringentes, earumque refutationem vide apud *Zanecchia,* divina inspiratio S. Script. cap. 9.

382. 3. Ut quæ de inspirationis extensione hucusque diximus rite intelligantur, hæc animadvertantur.

a) „Quamvis, ita optime *Pesch* (n. 229), omnes sententiæ S. Scripturæ sint inspiratæ et infallibiliter veræ, tamen bene notandum est *quibusdam sententiis inspiratis non absolutam, sed relativam veritatem convenire.* Spiritus enim Sanctus loquebatur et scribebat pro hominibus ideoque eo modo, ut ab eis intellegi posset. Quare hominum usui se accommodavit et in rebus, de quibus secundum sensuum apparentiam loqui solent, eodem quo homines loquendi modo usus est. Itaque etiam Spiritus S. loquitur de motu, de ortu et occasu solis, de luna ut sidere majore præ stellis, similiter de aliis rebus, non ut hac ratione nos erudiat de objectiva harum rerum natura, sed ut significet ea, quæ his locutionibus auditis homines mente concipere solent. Si quis igitur ex hoc accommodato loquendi modo sibi licere putaret judicare de interna rerum natura, sibi ipsi adscribere deberet, si in errorem inducitur, non minus quam si homines, etiam doctos, ita loquentes male intellegeret, vel si opticam apparentiam magnitudinis, motus etc. cum reali magnitudine et motu confunderet." Idipsum jam monuerunt quidam Patres et Theologi. Ita e. g. *S. Thomas* (1. q. 70. a. 1 ad 3): „Moyses rudi populo loquebatur, quorum imbecillitati condescendens, illa solum eis proposuit *quæ manifeste sensui apparent.*" Cujus regulæ æquitatem sancivit *Leo XIII,* in cit. Encycl. *Providentissimus Deus.* (1)

(1) Quod omnes admittunt pro rebus scientificis, quidam etiam applicant rebus ***historicis,*** in quibus dicunt S. Scripturam saepe adhibere modum narrandi tunc temporis usurpatum. Huc referunt verba *S. Hieronymi* (in Jerem. XXVIII, 10): „Quasi non multa in Scripturis sanctis dicantur ***juxta opinionem illius***

b) Licet omnia in S. Scriptura ab auctoribus inspiratis consignata, *ratione scriptionis eorum in sacris libris, sint æqualiter verbum Dei* adeoque infallibiliter vera; *non tamen omnia in seipsis considerata, seu ab intrinseco sunt verbum Dei,* nec proinde omnia in S. Scriptura consignata, quantum ad eorum intrinsecam dignitatem, auctoritatem et veritatem, paria sunt. Nam in SS. Litteris referuntur non solum dicta Dei vel angelorum vel hominum a Deo inspiratorum, quæ in seipsis sunt verbum Dei; sed etiam dicta hominum non inspiratorum imo quandoque dæmonum et hominum impiorum, quæ sane non sunt ab intrinseco verbum Dei et generatim non majorem habent firmitatem et auctoritatem, quam eis tribuit scriptor inspiratus, vel quam habent ex seipsis, independenter ab eorum insertione in libro inspirato, per quam insertionem Spiritus S. testatur tantum ea vere dicta vel facta fuisse ab hominibus, quibus tribuuntur. „In Evangelio, ait *S. Augustinus* (ad Oros. adv. Priscill. c. 9. n. 12), quamvis verum sit, quod dicta sint, non tamen omnia, quæ dicta sunt, vera esse creduntur, quoniam multa a Judæis falsa et impia dicta esse verax evangelii Scriptura testatur." (1)

c) Quæ diximus intelligenda sunt *de autographa* Scriptura, seu de sacris libris prout e manibus auctorum inspiratorum prodierunt. Nequaquam enim dicere intendimus, nostros codices S. Scripturæ, sive apographos sive versiones, a quocumque errore immunes esse. Nam, ait *Leo XIII* (l. c.) loquens de Vulgata, „fieri quidem potest, ut quædam librariis in codicibus describendis minus recte exciderint; quod considerate judicandum est, nec facile admittendum, nisi quibus in locis rite sit demonstratum." Addit autem (ibid.): „Patribus omnibus et Doctoribus persuasissimum fuit, divinas Litteras, quales ab hagiographis editæ sunt, ab omni omnino errore esse immunes."

383. 4. Ad *inspirationem verborum* quod attinet quæritur, utrum inspiratio biblica se extendat non solum ad res et

temporis quo gesta referuntur, et non juxta quod rei veritas continebat." Cum igitur, aiunt, Dei scopus in Scripturis non semper sit tradere historiam secundum exigentiam scientiae criticae, exspectari non potest, ut narratio biblica complete respondeat exigentiis scientiae severe historicae, adeoque in his non est quaerenda veritas absoluta sed tantum relativa. Ita e. g. *de Smedt,* principes de la critique historique, p. 56. not. 3.

(1) Cf. *Zanecchia,* l. c. cap. 14.

sententias, sed etiam ad *singula verba* (constructionem, stylum), quibus illæ in S. Scriptura exprimuntur.

Multi præsertim recentiores contra non paucos nominatim veteres negant singula vocabula S. Scripturæ esse divinitus inspirata, admittentes quoad verba generatim assistentiam tantum divinam, ne hagiographus adhibeat verba inepta ad sensa divinitus inspirata exprimenda. Censent nempe hi theologi, inspirationem biblicam singulorum verborum inspirationem non necessario postulare, hancque etiam aliunde non sufficienter probari, imo potius variis indiciis positive excludi: nominatim diversitate styli ac modi scribendi apud varios hagiographos, respondentis singulorum propriæ culturæ et indoli; eo quod ipsi scriptores inspirati modum scribendi ejusque defectus sibi tribuunt; diversitate qua evangelistæ eosdem Christi sermones aliis et aliis verbis referunt. Ita inter alios *Franzelin* (de Script. th. 3); *Mazzella* (de Virt. infus. disp. 4. art. 4); *Pesch* (n. 635 sqq.) etc. Ita et *Ubaldi* (Introd. in S. Script.), qui de hac sententia dicit: „Propositio, quæ negat inspirationem singulorum verborum S. Scripturæ, a pluribus theologis recepta est, quorum numerus magis magisque in dies crevit, ita ut nunc ab omnibus fere defendatur, relicta rigidiori illa sententia inspirationis verbalis."

Inspirationem singulorum verborum S. Scripturæ nuperrime propugnarunt inter alios *Lagrange* (Revue Biblique, cinquième année, n. 2. p. 199—220, et n. 4. p. 496—518) (1); et

(1) Notionem inspirationis biblicae a se expositam, ita contrahit *Lagrange* (ibid. p. 219 sq.): „Nous ne prenons pas pour point de départ la formule dogmatique: Dieu est l'auteur des Livres saints; mais nous devons tenir une notion de l'inspiration qui la renferme nécessairement. L'objet de l'inspiration étant de faire écrire des livres, Dieu choisit son instrument, le décide à écrire, puis par une lumière surnaturelle il élève son intelligence de manière à causer en lui un jugement infaillible sur les objets proposés à sa connaissance, soit par suggestion, soit par voie naturelle, soit par révélation. Cette lumière divine lui fait connaître également son objet comme opportun à consigner dans son livre, et l'éclaire sur l'expression convenable de la vérité. Après le jugement pratique, la volonté est inclinée par Dieu d'une manière proportionnelle; cependant elle se détermine librement à écrire ce que Dieu lui propose.

En conséquence Dieu est l'auteur du livre, parce qu'il a suscité un homme pour l'écrire, parce qu'il garantit la véracité de tout ce qu'il contient, non par une approbation postérieure, ni parce qu'il en révèle le contenu, mais parce qu'il cause, grâce au secours d'une lumière divine, le jugement de l'écrivain; il se peut qu'il n'ait pas fourni une seule idée, mais il a voulu tous les jugements. Il est encore l'auteur du livre parce que l'écrivain sacré s'est décidé

Zanecchia (divina inspir. SS. Script. Romæ 1898). Monent tamen eam non esse concipiendam ad instar suppeditationis vel dictationis, qua Spiritus S. de verbo ad verbum communicet hagiographo ea quæ litteris consignanda sunt.

In hac quæstione videtur nobis dicendum, *admittendam esse quamdam verborum inspirationem*, non quidem singulorum verborum dictationem, quam asseruerunt antiqui Protestantes et forsan aliqui Catholici, sed consistentem in eo, quod singula verba a scriptoribus sacris sub *positivo influxu* Dei electa et scripta fuerunt. Id nobis videtur asserendum, ut verificetur quod dicitur in definitione *Vaticana: libros sacros Spiritu Sancto inspirante conscriptos esse;* ad hoc enim videtur requiri, ut supernaturalis influxus inspirativus se extendat ad omnia, quæ in libris inspiratis habentur, ita ut sub hoc influxu hagiographus omnia et recte concipiat, et scribere velit, et apte exprimat infallibili veritate, sicque tamquam causa instrumentalis *totum* opus conficiat sub Deo *totius* operis causa principali. Talis autem influxus non magis in inquirendis et scribendis verbis quam in concipiendis rebus excludit laborem; nec aufert diversitatem styli respondentem propriæ indoli ac culturæ singulorum hagiographorum; nec magis impedit, quominus iidem sermones a diversis aliter et aliter referantur, quam mera assistentia ad infallibiliter eligenda verba apta. Hæc inconvenientia, quæ contra inspirationem verbalem urgentur, valent tantum contra eam, quæ in dictatione verborum

constamment soit dans le choix des pensées, soit dans celui des termes par l'opportunité objective que la lumière de Dieu répandait sur les pensées qui se présentaient à lui. Tout l'enseignement est garanti vrai, tout est voulu par Dieu et il n'y a rien d'autre.

L'écrivain sacré est l'auteur instrumental du livre. Les idées sont les siennes, soit qu'il les possède depuis longtemps, soit qu'il les acquière au cours de son travail. Son travail est d'un ordre supérieur, mais rien ne dit qu'il soit plus facile. Il fait tout ce que fait un autre auteur, mais il le fait mieux. Les mots ne lui sont pas imposés de manière à gêner sa liberté, mais il en est de même des pensées. S'il emploie certaines pensées et certaines expressions, ce n'est pas pour obéir à un ordre directement perçu, c'est que pensées et expressions lui plaisent, et comme Dieu n'a pas conçu son livre sans y faire entrer la notion de son instrument, ce qu'il lui paraît opportun d'écrire sous la lumière divine n'est pas moins spontané que ce qu'il aurait choisi de lui-même sans ce secours spécial. De là le caractère profondément humain et individuel de l'Ecriture. Tout s'explique en reconnaissant la Toute-Puissance et l'infinie douceur de l'Esprit-Saint."

consisteret. Sane si Deus inspiraret scriptorem sacrum imponendo ei de verbo ad verbum ea quæ ipsi dictat, hagiographus non libere eligeret verba eorumque structuram. Ast non ita concipienda est inspiratio, sed Deus inspirando hagiographos eis tribuit supernaturalem influxum, quo eorum facultates naturales, non destructæ, sed elevatæ tum in recte concipiendis rebus, tum in eis apte ac infallibiliter exprimendis, non minus libere egerunt, quam si sola humana virtute scripsissent.

CAPUT II.

DE CANONE SACRÆ SCRIPTURÆ. (1)

384. Soluta quæstione de inspiratione sacræ Scripturæ, sponte sua sequitur quæstio: quinam libri pertineant ad sacram Scripturam ac proinde sint divinitus inspirati. Hæc est quæstio de *canone* S. Scripturæ. Canon enim hic sumitur pro catalogo librorum sacrorum, qui ut divinitus inspirati et authentici habendi sunt. (2)

Catholicum canonem librorum sacrorum statuit ac definivit *Conc. Trid.* sess. IV. Ex libris hoc canone comprehensis alii *protocanonici,* alii *deuterocanonici* vocari consueverunt post Sixtum Senensem, mortuum anno 1569. Protocanonici dicuntur illi, de quorum inspiratione et auctoritate nulla umquam in Ecclesia fuit dubitatio; deuterocanonici vero illi, de quorum auctoritate aliquando aliqui in Ecclesia dubitarunt. Hunc Ecclesiæ catholicæ canonem non admittunt Novatores, qui in statuendo S. Scripturæ canone non modo a Catholicis, sed etiam inter se dissentiunt. Contra Protestantes itaque canonem a Conc. Trid. sancitum vindicare debemus. Quod

(1) Cf. *Franzelin,* th. 5—17; *Bianchini,* vindiciae canonicarum Script.; *Vincenzi,* Sess. IV. Trid. vindicata; *Malou,* la lecture de la S. Bible en langue vulg.; *Perrone,* de S. Script. c. 1; *Mazzella,* de virt. infus. disp. 4. art. 2; *De Groot,* q. 16. art. 3; *Hurter,* n. 164–176; *Tanquerey,* n. 42 sqq. Cf. generatim Auctores, qui scripserunt introductionem in S. Script., ad quam plena hujus rei tractatio pertinet.

(2) Est quoddam scientificum discrimen inter *canonicitatem* et *inspirationem* libri. Inspiratus dicitur ille liber, qui Spiritu Sancto inspirante conscriptus Deum habet auctorem; canonicus vero ille est, qui non tantum est divinitus inspiratus, sed etiam *ut talis ab Ecclesia agnitus* et ideo authentice in canonem relatus.

ut præstetur, opus est aliquo criterio, quo libri inspirati tuto dignosci atque a non inspiratis discerni possint. Hujusmodi autem criterium, uti patet, tale esse debet, ut eo tuto, authentice, modo omnibus accomodato, omnes libri inspirati certo cognosci possint.

Quare hoc caput in duos dispescimus articulos: *primo* agemus de criterio inspirationis; *altero* catholicum Scripturæ canonem vindicabimus.

Art. I. De criterio inspirationis.

385. Doctrinam hic exponendam breviter complectemur duabus thesibus, quarum prima excludemus falsa criteria a Protestantibus assignata; altera verum inspirationis criterium proponemus.

Thesis I. Criterium ad dignoscendos libros inspiratos collocari non potest 1) in characteribus ipsis sacris libris inhærentibus; neque 2) in charactere scriptorum sacrorum.

Prob. 1ma pars. Protestantes authentico Ecclesiæ magisterio et divina traditione rejectis, pro dignoscendis libris inspiratis confugerunt ad criteria *interna*. Præcipua autem sunt: *historicum*, quod constituunt in miraculis et prophetiis Scriptura comprehensis; *dogmaticum*, (quod dicunt internum) consistens in sanctitate, sublimitate et consensione doctrinæ sacris libris contentæ; *empiricum*, quod petitur ex miris effectibus, quos legentes ex vi et efficacia verbi Dei experiuntur; quibus addi potest *æstheticum*, situm in sublimitate et simplicitate dictionis. Jam vero quisque facile videt, hæc criteria, sive singillatim sive simul sumpta, haud idonea esse ad certo dignoscendum, quinam omnes et soli libri sint divinitus inspirati. Patet enim hujusmodi criteria esse indeterminata et vaga, subjectiva et arbitraria, incerta, minime exclusiva.

386. *Prob. 2da pars.* Quidam Protestantes cum Joanne David Michaelis criterium tum positivum tum exclusivum ad dignoscendos libros inspiratos novi Testamenti collocant *in munere apostolatus*, quo scriptores istorum librorum fuerint insignes. Hoc autem criterium, tum ut positivum, tum multo magis ut exclusivum, fallax omnino ess facile ostenditur.

Etenim 1) munus apostolatus non est criterium positivum. Nam charisma inspirationis ad scribendum distinctum est a charismate revelationis, infallibilitatis et inspirationis ad loquendum. Demonstrari quidem potest ex Christi institutione ac promissione Apostolos charismate immediatæ revelationis et infallibilitatis prædítos fuisse: nullum vero afferri potest argumentum, quo probetur cum apostolatu etiam necessario nexum fuisse charisma inspirationis ad scribendum. 2) Multo autem absurdius imo hæreticum est, statuere illud criterium sensu *excludente,* quo scil. nulli libri novi Testamenti probari possint inspirati, nisi qui scripti sint ab Apostolis. Nam imprimis gratis imo falso supponitur charisma inspirationis exclusive alligatum fuisse Apostolatui; deinde illo criterio exclusivo admisso, contra totius antiquitatis fidem, e canone S. Scripturæ excludenda forent evangelia SS. Marci et Lucæ, et actus Apostolorum.

387. **Thesis II.** De librorum sacrorum inspiratione, 1) constare nobis, uti oportet, non potest nisi testimonio divino; 2) hocque testimonium, quoad integrum saltem Scripturarum canonem, sola traditione divina est conservatum et transmissum. Quare absque traditione divina et infallibili Ecclesiæ auctoritate Scripturæ inspiratio rite cognosci nequit.

Prob. 1ma pars. Inspiratio, utpote factum internum aliis præter hominem inspiratum innotescere non potest nisi vel ex effectibus externis, vel ex testimonio legitimo. Atqui hujusmodi effectus externi, ex quibus inspiratio cognosci possit, in ipso libro inspirato certi sunt nulli, uti supra diximus. Requiritur ergo legitimum testimonium, hoc est aut humanum, quod ultimatim nititur testimonio ipsius hominis inspirati, aut est divinum. Jam vero quidquid est de valore testimonii humani ad gignendam fidem humanam, cum Scriptura *fide divina* credi debeat verbum Dei scriptum propter inspirationem, patet testimonium humanum de facto inspirationis non sufficere, sed omnino requiri testimonium divinum, quod solum ad gignendam fidem divinam sufficit.

388. *Prob. 2da pars.* Testimonium divinum de inspiratione Scripturæ pertinet ad depositum revelationis catholicæ,

completæ in Apostolis, ideoque illud nobis conservari non potuit nisi vel sola traditione divina vel præter traditionem etiam in scriptis apostolicis. Jam concedimus quidem, testimonium divinum de inspiratione *plurium* librorum ex iis, qui communi consensu a christianis recensentur inter sacras Scripturas, reperiri etiam in scriptis apostolicis. Nam primo, uti supra vidimus, in evangeliis et scriptis apostolicis invenitur testimonium Christi et Apostolorum approbantium fidem Judæorum de inspiratione omnium librorum sacrorum, quos ipsi in suo canone Scripturæ sacræ comprehendebant. Deinde exstat divinum testimonium 2. Petr. III, 16, quo aliqui libri novi Testamenti, scil. epistolæ S. Pauli adnumerantur Scripturis adeoque libris inspiratis. Quamvis hæc ita sint, nullibi tamen in scriptis apostolicis invenitur testimonium divinum, ex quo constet de inspiratione *omnium* librorum, qui sive in canone catholico continentur sive etiam a Protestantibus retenti sunt; hujusmodi itaque testimonium pro omnibus libris sacris sola traditione divina ad nos usque pervenit. Quare concludere licet, quod inferimus in thesi, absque traditione divina et infallibili Ecclesiæ auctoritate Scripturæ inspirationem rite cognosci non posse. Canonem igitur Scripturarum sacrarum ex traditione Ecclesiæ catholicæ accipere oportet, de quo jam articulo sequenti.

Art. II. Vindicatur catholicus Scripturarum canon a Conc. Tridentino sancitus.

389. **Thesis.** Canon Scripturarum a Conc. Tridentino sess. IV solemniter sancitus, 1) omnino authenticus haberi debet; 1) sincera et fidelis est expressio illius fidei, quæ inde a primordiis semper in Ecclesia viguit.

Prob. 1ma pars. Demonstravimus in tractatu de traditione, integram doctrinam revelatam ex institutione Christi conservari per successionem apostolicam; ideoque judicium infallibile sub assistentia Spiritus S. tum de genuinitate traditionis tum de vero sensu doctrinæ traditæ esse penes eamdem successionem apostolicam. Atqui in deposito revelationis continetur tamquam pars in toto testimonium divinum de libris inspiratis. Ergo

custodia hujus testimonii et obortis dubiis infallibile de ipso judicium pertinet ad functionem successorum apostolorum; proindeque ex testimonio successorum apostolorum, per solemne judicium manifestato, authentice et infallibiliter agnoscitur divinum testimonium de libris inspiratis. Solemne autem hoc judicium in Concilio Tridentino latum est. Ergo secundum demonstrata catholica principia de traditione divina canon a Conc. Trid. sancitus et definitus authenticus censeri debet ac plenam vim habet.

390. *Prob. 2da pars.* Demonstratio canonis Scripturarum ex definitione tridentina stricte theologica est, et per se sola quidem sufficiens ac peremptoria. Nihilominus ad scientiam theologicam spectat, etiam scientifice probare canonem a Tridentino sancitum ab Apostolis traditum esse, ostendendo eumdem canonem inde a tempore Apostolorum semper in Ecclesia traditum et creditum fuisse, adeoque definitionem tridentinam non esse nisi fidelem expressionem et solemnem propositionem illius fidei, quæ per Apostolos accepta in Ecclesia semper viguit. Itaque probatur

1. *Ex antiquis Scripturarum canonibus.* Ante concilium Tridentinum eumdem Scripturarum canonem vel sanciunt, vel proponunt, vel ut notum referunt inter alios: sæc. XV. *Eugenius IV* in decreto pro Jacobitis; sæc. XII. *Petrus Blessensis* de divisione et scriptoribus librorum sacrorum; sæc. VIII. *Leo III* in decreto edito a Blanchinio in vindiciis can. Scripturarum; sæc. VII. *Isidorus hispalensis* sæpius (Etymol. l. 6. c. 1; in proœmiis in ll. V. et N. Testamenti n. 1. sqq.; de eccles. officiis l. 1. c. 11); *S. Ildephonsus toletanus* (de cognit. bapt. c. 79); *Synodus Trullana,* quæ canone secundo approbat canones conciliorum Africæ, in quibus recensentur iidem libri ac in canone Tridentino; sæc. VII. *Cassiodorus* (de Divin. Instit. c. 1 sqq.); *Ferrandus Carthaginensis* et *Dionysius Exiguus* in suis canonum collectionibus; sæc. V. *Gelasius* S. Pontifex in decreto synodali 70 Episcoporum, in quo recensentur iidem libri ac in Concilio Tridentino. Initio ejusdem sæculi eumdem canonem proponunt *Innocentius I* provocans ad traditionem (in ep. 6. ad Exuperium c. 7), *S. Augustinus* (de Doctr. Christ. l. 2. c. 8), et *Conc. Carthaginense,* cui interfuerunt 218 Episcopi et Legati

Romani Pontificis, can. 29 cum hac conclusione: „hoc etiam fratri et consacerdoti nostro Bonifacio Urbis Romæ Episcopo, vel aliis earum partium Episcopis pro confirmando isto canone innotescat, *quia a Patribus ita accepimus in Ecclesia legendum.*" Sæc. IV exstat idem canon in Concilio Carthaginensi III. (Can. 47) et in Conc. Hipponensi totius Africæ (can. 36).

391. 2. *Ex antiquissimis versionibus.* Libros V. T. etiam deuterocanonicos omnes et quidem protocanonicis permixtos continent tum *antiquissimæ versiones:* græca alexandrina 70 interpretum, latina itala, coptica, æthiopica, syriaca hexaplaris, armenica, slavonica; tum vetustissimi codices: alexandrinus, vaticanus, sinaiticus Tischendorfii, et amiatinus.

Libros vero N. T. omnes tam deuterocanonicos quam protocanonicos jam recensent *Origenes* (hom. 7 in Josue coll. hom. 13 in Gen. n. 2), *Athanasius* (in ep. festali), *Rufinus* (de Symb. n. 37 sq.), *Hieronymus* (ep. 53. n. 8), *Leontius* (de Sectis art. 2); omnes omissa sola Apocalypsi recensent *Gregorius Nazianzenus* (Carm. 12), *Cyrillus Hieros.* (Catech. 4. n. 33 sqq.), *Concilium Laodicenum* can. 60, et *canon 85 Apostolorum.*

392. 3. *Ex citandi usu.* Doctores primorum sæculorum inde ab ætate apostolica semper et ubique in suis scriptis usurpant libros deuterocanonicos æque ac protocanonicos, sine ullo discrimine, tamquam pertinentes ad sacram Scripturam, sub formula: *Scriptum est, Scriptura, Scriptura sacra* vel *divina, Spiritus S. in Scriptura sacra dicit* etc.; idque ubi agitur de instituendis publice fidelibus in doctrina Christi. Sufficit speciminis gratia provocare ad epistolam primam *S. Clementis Romani,* conscriptam sæc. primo, in qua ex 14 libris deuterocanonicis 7 tam V. quam N. T. cum protocanonicis promiscue citantur. Hic indiscriminatus usus librorum deutero- et protocanonicorum perseveravit etiam post subortas controversias et hæsitationes; ita ut illi ipsi Patres, qui inde a sæc. IV dubitasse subinde videntur, in usu publico libris etiam deuterocanonicis tamquam sacris Scripturis uterentur. Jam vero hujusmodi usus horum librorum *publicus, perpetuus, universalis, constans* non obstantibus dubiis exortis, qui, nisi traditione apostolica niteretur, abusus esset intolerabilis et error universalis circa ipsos revelationis fontes,

quique oborta controversia non solum non immunitus, sed confirmatus sit, ac tandem re magis eliquata in universalem consensionem et disertam prædicationem ecclesiasticam desierit, ex traditione apostolica originem traxisse omnino dicendus est. Huic dogmati de canone S. Scripturæ applicari possunt, quæ supra in tractatu de traditione diximus de triplici stadio, in quo versari potest alicujus dogmatis explicatio.

393. 4. Canon Tridentinus confirmatur etiam *consensu ecclesiæ græcæ schismaticæ aliarumque sectarum Orientis.* Ecclesia enim græca schismatica in *synodo hierosolymitana* (a. 1672) de libris deuterocanonicis V. T. hæc statuit: „Sapientiam Salomonis, librum Judith, Tobiam, Draconis historiam, historiam Susannæ, Machabæos et Sapientiam Sirach. . . cum ceteris genuinis sacræ Scripturæ libris ceu germanas ejusdem Scripturæ partes censemus esse numerandos. Quoniam quæ sancta Evangelia aliosque Scripturæ libros ut genuinos tradidit antiqua consuetudo seu magis Ecclesia catholica, et istos hæc ipsa ceu S. Scripturæ partes procul dubio tradidit . . . . quos omnes et nos judicamus esse canonicos et sacram eos esse Scripturam confitemur."

Qui plura cupit adeat Auctores (1), qui hanc demonstrationem scientificam fusius evolvunt, quique simul solvunt difficultates, quæ contra canonem tridentinum afferri solent.

394. **Scholion.** *Distinctio librorum Scripturæ in protocanonicos et deuterocanonicos.*

1. Hæc distinctio satis commoda est et post sæc. XIV passim a scriptoribus catholicis usurpatur *ad indicandam historiam definitionis canonis:* esse scil. libros alios, de quibus numquam in Ecclesia orta erat dubitatio, quin ad Scripturarum canonem pertinerent, et esse alios, de quibus aliquando dubitatum est, de quibus tamen post aliquas hæsitationes demum eliquata quæstione inter omnes catholicos certo constare cœpit.

2. Ast hæc appellatio et distinctio falsa prorsus et intolerabilis evadit, si ea adhibeatur ad designandum internum discrimen et diversam auctoritatem librorum ita ut libri protocanonici dicantur esse divinitus inspirati, deuterocanonici

(1) Quorum quosdam supra in nota indicavimus.

vero dicantur esse libri ecclesiastici inferioris auctoritatis. Hic enim error, quem cum paucis aliis proponit *Jahn* (Introd. in V. T. l. 1. § 30), manifeste adversatur decreto Concilii Tridentini, in quo evidenter eadem auctoritas omnibus libris ibi enumeratis tribuitur. Nam *a)* Concilium in suo decreto immediate ante enumerationem librorum (inter quos sunt etiam deuterocanonici) testatur, se pari pietate ac reverentia suscipere omnes libros *tam veteris quam novi Testamenti*, quia *unus Deus est auctor utriusque Testamenti*. *b)* In ipsa librorum enumeratione libri deuterocanonici intermiscentur protocanonicis sine ulla distinctione dignitatis; deinde huic enumerationi ac connumerationi subjungit: „Si quis autem libros ipsos (enumeratos) integros cum omnibus suis partibus . . . pro sacris et canonicis non susceperit; a. s." *c)* Sensus verus decreti de pari auctoritate omnium librorum constat etiam ex ipsius decreti scopo, qui est, ut „omnes intelligant, quibus potissimum testimoniis et præsidiis in confirmandis dogmatibus et instaurandis in Ecclesia moribus (S. Synodus) sit usura." *d)* Sensus verus constat quoque ex historia decreti, ut narratur a Pallavicino l. 6. c. 11. n. 4. Itaque in decreto Concilii Tridentini sub pœna anathematis proponitur credendum, libros omnes ibi numeratos esse canonicos, quia sunt libri divinitus inspirati; hic decreti Tridentini sensus nunc solemniter est definitus a *Concilio Vaticano*, Const. *Dei Filius* cap. 2. et can. 4.

CAPUT III.

DE AUTHENTIA VULGATÆ. (1)

395. I. **Status quæstionis.** 1. Demonstravimus, libros sacros canone tridentino comprehensos esse divinitus inspiratos. Hoc, uti patet, in primis valet de codicibus originalibus; ast hi minime ad nos pervenerunt, nosque utimur codicibus apographis, iisque non semper in textu originali, sed communiter in aliam linguam versis. Inquirendum itaque superest,

(1) Cf. *Franzelin*, th. 18. 19; *Mazzella*, op. cit. disp. 4. art. 6; *De Groot*, q. 16. art. 5; *Hurter*, n. 177 sqq.; Auctores in introd. in S. Script.

utrum hæ versiones fideliter exhibeant codices originales, ita ut illis tamquam Scriptura sacra tuto uti possimus. Cum autem Ecclesia catholica occidentalis utatur versione vulgata latina, cumque hujus authentiam, seu conformitatem cum exemplaribus originalibus, solemniter declaraverit, hanc inquisitionem ad authentiam Vulgatæ latinæ restringimus.

396. 2. Jam autem *Vulgatæ authentia* solemniter declarata est a *Concilio Tridentino* sess. IV. Eam jam saltem indirecte declarat in sua canonis Scripturæ definitione, quæ ita habet: „Si quis libros ipsos integros (recensitos in canone) cum omnibus suis partibus, *prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata latina editione habentur,* pro sacris et canonicis non susceperit, a. s."; et hujus definitionis scopum indicans statim subjungit: „omnes itaque intelligant .... quibus potissimum testimoniis et præsidiis (Synodus) in confirmandis dogmatibus, et instaurandis in Ecclesia moribus, sit usura." Hanc deinde authentiam Concilium in decreto sequenti etiam directe et expresse declarat his verbis: „Eadem sacrosancta Synodus considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quæ circumferuntur, sacrorum librorum, quænam pro authentica habenda sit, innotescat, statuit et declarat, ut *hæc ipsa vetus et vulgata editio,* quæ longo tot sæculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus et expositionibus *pro authentica* habeatur; et ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat, vel præsumat."

397. II. **Notio authentiæ.** Ut plenum assequamur sensum declarationis Conc. Trid. quædam de authentiæ notione sunt dicenda. Itaque 1) *authentia* vi vocis significat auctoritatem; in jure hoc nomen transfertur ad scripta et instrumenta præsertim publica, quorum authentia idem est ac auctoritas ad fidem faciendam. 2) Duplex authentia distingui debet: *authentia originalis* et *authentia conformitatis.* Authentia *originalis* pertinet ad autographum seu ad scriptum originarium et revocatur ad auctoritatem ipsius auctoris; quare authenticum dicitur scriptum autographum, quod exaratum est ab eo qui auctoritatem habet. Hinc licet conceptus *authentiæ* et *genuinitatis* distinguantur, quando tamen agitur de authentia originali, hæc coincidit cum genuinitate, et proinde illa duo sæpe

confunduntur. Authentia *conformitatis* tribuitur exemplaribus, quæ sunt sive *apographa* sive *versiones,* et proprie consistit in eo quod concordant cum scripto originali; adeoque si scriptum originale auctoritatem habet, eadem competit apographis et versionibus ipsi conformibus. Authentia itaque conformitatis supponit authentiam originalem. 3) Utraque authentia distinguitur in *internam* et *externam.* Authentia *interna* est auctoritas, quæ inest scripto ratione suæ originis et conformitatis cum originali authentico; *externa* vero est hæc ipsa authentia interna, *quatenus manifestata est.* Hinc authentia interna sine externa esse potest; non vero externa sine interna, quam necessario præsupponit et includit. 4) Authentia externa est vel *publica* vel *privata:* publica est ea, quæ valet pro tota societate, adeoque declarata est ab ipsa publica auctoritate societatis; privata vero est, quando authentia interna manifestatur mediis privatis, historice scil. et critice, hæc enim non ad ipsam societatem pertinet, sed ad eos tantum qui illam probationem intelligunt.

398. Jam vero Scripturæ authentia *originalis* consistit in divina inspiratione, qua Deus est auctor Scripturæ; hæcque est tum interna, tum *externa publica,* utpote manifestata per solemnem declarationem infallibilis auctoritatis Ecclesiæ, nominatim in Concilio Tridentino. Scripturæ authentia *conformitatis* est concordantia alicujus editionis seu versionis cum textu primitivo. Porro vetus vulgata latina versio gaudet hac authentia conformitatis tam interna quam *externa publica,* quia ejus authentiam Ecclesia in Conc. Trid. solemniter declaravit. Jam de hac publica vulgatæ authentia agentes duo breviter statuimus: 1) valorem juridicum et peremptorium definitionis tridentinæ de vulgatæ authentia; 2) extensionem illius authentiæ.

399. III. **Valor definitionis tridentinæ.** Definitio, qua Conc. Trid. statuit Vulgatæ authentiam, habet *vim peremptoriam et infallibilem;* ideoque propter hanc definitionem vetus vulgata latina versio sacræ Scripturæ ab omnibus certissime habenda et credenda est authentica. Hoc ex jure ac officio instituti magisterii ecclesiastici facili negotio probatur. Ecclesia ex Christi institutione habet jus et officium infallibiliter custodiendi et proponendi revelationem christianam, quæ continetur

etiam in S. Scriptura, seu in verbo Dei scripto. Atqui in hoc jure et officio continetur etiam jus et officium proponendi verbum Dei scriptum, et quidem in concreto sub certa ac determinata forma, seu declarandi, quænam in concreto sit S. Scriptura sincere continens verbum Dei, id autem præstitit Concilium Tridentinum declarando authentiam Vulgatæ. Ergo hæc declaratio est peremptoria et infallibilis, ideoque Vulgata habenda est authentica.

Prob. minor: 1) Christus Ecclesiæ ideo commisit munus infallibiliter custodiendi et proponendi doctrinam revelatam, quia volebat arcere periculum, ne verbum humanum acciperetur pro verbo Dei; atqui hoc periculum averti non posset, nisi Ecclesia haberet jus et officium infallibiliter judicandi, utrum quod tamquam verbum Dei scriptum, sub certa quadam forma, in certa quadam editione vel versione exhibetur, sit revera verbum Dei scriptum, h. e. utrum determinata aliqua editio aut versio Scripturæ sit conformis textui originali. Ergo in jure et officio custodiendi et proponendi revelationem continetur ut particulare in universali jus et officium declarandi conformitatem alicujus versionis Scripturæ cum textu primitivo.

2) Interna authentia Vulgatæ seu ejus conformitas cum textu originali *est factum dogmaticum,* quod scil. non est revelatum sed intime nexum cum dogmatibus revelatis, imo est factum eminenti sensu dogmaticum utpote intime nexum cum ipsis fontibus dogmatum. Ecclesia autem, uti in tractatu de Ecclesia demonstrabitur, est infallibilis in dijudicando et decernendo facto dogmatico.

400. IV. **Extensio authentiæ Vulgatæ** *a Conc. Trid. declaratæ.* 1. Nonnulli veteres Theologi censuerunt, authentiam Vulgatæ esse *absolutam* et omnimodam in omnibus incisis et particulis, etiam minimis et ad fidem ac mores per se non spectantibus. Huic opinioni plane opponitur altera extrema opinio quorumdam recentiorum catholicorum dicentium, conformitatem seu authentiam Vulgatæ a Conc. Trid. declaratam esse velut indeterminate et intelligendam esse substantialem, ita scil. ut libri Vulgatæ quoad substantiam sint identici cum originalibus; quin declarata sit conformitas in singulis locis, etiam per se dogmaticis et moralibus, adeoque judicium de

authentia et genuinitate singulorum textuum etiam per se dogmaticorum, e. g. 1 Joan. V, 7, pendere ab examine critico.

401. 2. Omnino autem tenendam esse censemus sententiam, quæ inter duas illas opiniones extreme oppositas mediam tenet viam, et quam Theologi communiter sequuntur. Juxta hanc itaque nostram sententiam vetus vulgata latina versio declarata est conformis seu authentica *in omnibus textibus per se dogmaticis et moralibus, et in summa historiarum ac prophetiarum.* Ut hæc nostra sententia rite intelligatur, juverit eam, antequam probetur, paululum declarare et expolire.

402. *a)* Distinguimus in Scripturis duplicem diversum ordinem veritatum: aliæ revelatæ et scriptæ sunt *propter se;* aliæ vero non propter se, sed in ordine ad illas, puta propter earum nexum historicum, logicum etc., quæ dicuntur *revelatæ per accidens* vel *propter aliud.* Ad primum revocantur quæ spectant ad Deum, ad nostrum finem, ad media et instituta in hunc finem, ad principia et regulas morum, ad facta quibus œconomia revelationis nititur, vel quæ cum ea specialiter nexa sunt, quæ omnia comprehenduntur hac formula generali „res fidei et morum ad ædificationem doctrinæ christianæ pertinentium" *(Conc. Trid.* Sess. 4). Ad alterum ordinem revocari possunt plurima adjuncta historica, geographica, certa quædam nomina personarum, regionum, numeri annorum, individuorum; pertinentia ad physicam, zoologiam, botanicam, mineralogiam; ad vitam, prudentiam, mores in ordine naturali et civili etc. Textus continentes veritates primi ordinis vocari etiam possunt simpliciter *dogmatici;* alii continentes veritates alterius ordinis, *dogmatici secundum quid.* Ad quem ordinem singuli textus pertineant, sæpe ex obvia lectione statim innotescit; quandoque recurrendum est ad præsidia hermeneutica, et præsertim ad judicium Ecclesiæ et ad consensum Patrum, si exstet. Vix necesse erit monere, nos prædictam distinctionem non adhibere ad negandam inspirationem veritatum secundi ordinis, si constet eas esse in Scripturis divinis; sed illa utimur ad determinandam extensionem authentiæ Vulgatæ, vi decreti Tridentini.

403. *b)* Quando dicimus decreto Tridentino declaratam esse authentiam *versionis vulgatæ* in textibus per se dogmaticis, non affirmamus, exemplar aut codicem aliquem particu

larem hujus editionis fuisse designatum, in quo hæc conformitas sit tenenda; sed decretum respicit *veterem vulgatam editionem*, prout *„longo tot sæculorum usu in ipsa Ecclesia probata est."* Quare ut aliquis textus in Vulgata occurrens comprehendatur declaratione Tridentina duo requiruntur: ut sit textus per se dogmaticus ad confirmandum dogma aut morum christianorum regulam stabiliendam directe pertinens; ut idem textus tamquam verbum Dei scriptum fuerit ab ipsa Ecclesia longo sæculorum usu susceptus atque in veteri latina editione vulgata legi consueverit.

404. *c)* Ut autem illud ipsum, quod dicimus, Vulgatam nempe in singulis textibus per se dogmaticis declaratam esse conformem cum textu originali, distinctius declaremus et accuratius determinemus, hæc breviter adjungimus. 1) Nullum dogma expressum in Vulgata deerat in textu originali; in nullo textu dogmatico Vulgatæ aliud dogma exprimitur, quam in respondente textu primitivo; multo minus dogma quod in Vulgata affirmatur, in textu originali erat negatum, aut vicissim. 2) Non tamen asserimus conformitatem in singulis textibus per se dogmaticis in summo gradu: hinc potest esse diversitas *in modo* exprimendi dogma, dummodo illud maneat idem; posset, illæso decreto Tridentino, deesse in Vulgata aliquis textus dogmaticus, qui fuerit in textu originali: ex quo tamen non sequeretur, dogma in illo textu primitivo contentum non esse in fide Ecclesiæ, idem enim dogma potest in aliis locis enuntiari, aut in sola traditione contineri. 3) Quando hujusmodi discrepantiæ occurrunt, recurrendum est ad præsidia critica et hermeneutica; et si, iis adhibitis, dubium maneret, præsumptio esset pro auctoritate Vulgatæ; tum propter specialem Dei providentiam; tum propter auctoritatem S. Hieronymi, cui præsto erant meliores et vetustiores codices; tum quia codices lingua originali conscripti potuerunt longe facilius corrumpi, quam versio, quæ usu universali et quotidiano in Ecclesia frequentabatur *(Franzelin,* th. 19).

405. 3. Eam esse, quam diximus, extensionem declaratæ authentiæ Vulgatæ, jam breviter est probandum. Id autem demonstratur *ex ipso contextu et scopo definitionis Tridentinæ.*

Concilium Tridentinum in eadem sessione (IV) simul conjungit decreta de inspiratione, canone, interpretatione S. Scrip-

turæ, et de authentia Vulgatæ; ita ut hæc omnia unum contextum manifeste faciant. Jam vero Conc. statuit: „si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, *prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata latina editione habentur,* pro sacris et canonicis non susceperit ... a. s." Igitur libri enumerati integri cum omnibus suis partibus determinate *sub hac forma veteris vulgatæ editionis latinæ* declarantur canonici seu divinitus inspirati. Cum autem sub hac forma non sint inspirati, nisi quatenus versio vulgata est conformis textui originali, iidem libri integri cum *omnibus suis partibus,* prout in veteri Vulgata habentur, declarantur conformes Scripturæ primitivæ. Tota igitur quæstio ad hoc revocatur, quid in definitione nomine *partium* intelligatur. Atqui nomine partium intelliguntur *omnes et singuli textus per se dogmatici,* sensu supra declarato. Ergo in his omnibus vetus Vulgata declarata est authentica.

Prob. min. Nomine partium intelligendas tantum esse quasdam partes deuterocanonicas, de quibus controversia erat cum Protestantibus, ut aliqui volunt, minime admitti potest; quia huic restrictioni obstant ipsius decreti tum verba generalia, tum scopus præcipuus ab ipso Concilio indicatus. Illum autem nomini partium subesse sensum, quem diximus, manifestum esse videtur. Sane *a*) scopus præcipuus et directus Concilii non erat canonicas declarare partes Scripturæ, quas Protestantes rejiciebant; sed statuere „quibus potissimum testimoniis ac præsidiis in confirmandis dogmatibus et instaurandis in Ecclesia moribus (Synodus) sit usura." Atqui ad hunc scopum necessarium erat declarare canonicas et inspiratas partes omnes Scripturæ *per se pertinentes ad fidem et regulam morum,* ex quibus deinceps tuto posset Concilium depromere testimonia divina ad confirmanda dogmata et instaurandos mores. Ergo testimonia omnia in veteri editione vulgata, quæ sunt *per se dogmatica*, declarata sunt a Concilio conformia (quoad sensum) textui originali.

b) Hic sensus decreti confirmari potest ex eo, quod talem extensionem authentiæ intellexerunt ac tenuerunt Patres ipsi Concilii et Theologi, qui vel interfuerunt Concilio vel paulo post secuti sunt *(Franzelin,* l. c.).

406. **Scholion.** *Authentia Vulgatæ declarata est in com-*

paratione cum versionibus latinis, quæ recentius ab hæreticis plerumque confectæ tunc circumferebantur, ut constat ex ipsis decreti Tridentini verbis; non vero in comparatione cum textibus hebraico et græco nec cum antiquis versionibus, multoque minus ad excludendam auctoritatem horum textuum. Manserunt igitur hi textus et hæ antiquæ versiones in eadum externa auctoritate, qua tempore Concilii gaudebant. „Porro, ita recte *Franzelin,* licet nullo explicito Ecclesiæ decreto declarata sit authentia textus hebraici in V. T. et textus græci in N. T. ut nobis adhuc præsto sunt, de ea tamen certo constat non solum critice et historice, sed de authentia quoad rei summam etiam dogmatice. Ipsa enim authentia editionis Vulgatæ quæ dogmatice declarata est, supponit authentiam textus hebraici, saltem ut in omnibus exemplaribus simul sumptis in Ecclesia Dei adhuc exstat et dignosci potest. Ad quam intimam connexionem cum Vulgata accedit quoad textum græcum N. T. ipse multorum sæculorum publicus usus in Ecclesia inde ab ætate apostolica. Utrumque hoc argumentum suo modo valet etiam pro authentia versionis LXX. . . . Animadvertendum nihilominus est, non eamdem vigilantiam catholicæ Romanæ Ecclesiæ, et ex multis jam sæculis non eumdem publicum usum ad textum græcum multoque minus ad textum hebraicum referri sicut ad versionem et editionem latinam, nec utrimque eumdem esse modum declarationis ecclesiasticæ, per quam ipsa authentia et præsertim extensio et gradus authentiæ nobis proponitur et manifestatur."

Hinc in interpretando textu Vulgatæ in quatuor casibus ad textus hebraicum et græcum recurrere licet et recurrendum est: 1) quando in nostris Vulgatæ codicibus videtur esse error librariorum; 2) quando latini codices ita variant, ut non possit statui quæ sit vera vulgata lectio; 3) quando sententia in Vulgata est obscura vel anceps; 4) ad intelligendam vim et proprietatem verborum.

CAPUT IV.

DE HABITUDINE S. SCRIPTURÆ AD ECCLESIAM SIVE DOCENTEM SIVE DISCENTEM.

407. Post ea quæ in tractatu de traditione diximus de relatione inter divinam traditionem et sacram Scripturam, quæ ad habitum inter S. Scripturam et Ecclesiam spectant breviter expedire possumus.

I. **Habitus inter S. Scripturam et Ecclesiam docentem.** 1. Cavendum est a fraude adversariorum, qui ut facilius huic quæstioni tenebras offundant, Scripturam semper considerant simpliciter ut verbum Dei, et Ecclesiam ut meram hominum collectionem; cum tamen Scriptura sit verbum Dei scriptum, quod non immediate singulis a Deo proponitur, Ecclesia vero docens sit auctoritas divinitus constituta, quæ a Spiritu veritatis regitur adeoque infallibilitatis charismate est instructa.

2. Scriptura et Ecclesia spectatæ ratione eorum quæ docent ejusdem sunt auctoritatis. Scriptura enim est verbum Dei scriptum, Ecclesia docens sub ductu Spiritus S. nobis infallibiliter proponit verbum Dei.

3. Quoad nos tamen prior est auctoritas Ecclesiæ quam Scripturæ. Nam ab Ecclesia docente accipimus cognitionem tum auctoritatis Scripturæ tum doctrinæ in Scriptura contentæ.

4. Præterea etiam ex *obscuritate* S. Scripturæ oritur habitus dependentiæ ipsius in ordine cognitionis ab auctoritate Ecclesiæ. Ex hac enim obscuritate nascitur necessitas interpretis, cujus munus sane alii tribui nequit quam Ecclesiæ docenti, cui Christus totum revelationis depositum concredidit. Scripturam autem in multis, quæ ad fidem et mores spectant, obscuram esse vel saltem non ita perspicuam, ut interprete authentico non egeat, plane manifestum est, et vel ipsa Protestantium historia luculenter probatur. Scripturæ obscuritatem sæpius inculcant Patres et simul hujus obscuritatis præclaras reddunt rationes.

408. II. **Habitus inter S. Scripturam et Ecclesiam discentem.** Ex dictis jam sequitur, habitum Scripturam inter et fideles non esse immediatum, sed mediatum. Juxta institutionem enim Christi fideles ab Ecclesia docente Scripturas

accipiunt, per Ecclesiam earum auctoritatem cognoscunt, ab Ecclesia authenticam interpretationem et veram intelligentiam eorum quæ in Scripturis continentur petere debent. (1)

409. **Scholion.** *De S. Scripturæ lectione.* (2) De hac ita optime *Hurter,* n. 184: „Cum ergo Scripturæ *a)* ita claræ non sint, ut interprete non egeant; cumque eædem *b)* organum divinitus institutum ad propagandam fidem et in singulos derivandam non sint; cum *c)* earum intelligentia ab Ecclesia sit petenda, adeoque omnes fideles ab ore Ecclesiæ pendere debeant; cum *d)* nullibi exstet præceptum sive divinum sive apostolicum, quo fideles omnes etiam rudes sub periculo amittendæ salutis obstringantur ad SS. Scripturarum lectionem; cum denique *e)* fidelibus multiplici alia ratione consuli possit, ut potiora, quæ divinis litteris continentur, cognoscant: manifestum est, juris et potestatis, necnon muneris Ecclesiæ esse, lectionem SS. Scripturarum, quod fideles spectat, moderari, et etiam, si id exigant temporum locorumque adjuncta, restringere. Hinc cum primis Ecclesiæ temporibus non tantum immineret periculum ex S. Scripturæ lectione, nullam reperies per sæc. saltem 12 prohibitionem universalem. Merito vero Ecclesia usa est sæc. XVI. jure suo. Cum enim hujus temporis hæretici passim Scripturas in linguas vernaculas verterent, et in vertendo subinde etiam perverterent addendo, subtrahendo, immutando pro lubitu, ut eas ad sua dogmata traherent: cum eo tempore pruritus invaserit omnes, rudes quoque et imperitos, disputandi de fide, Scripturas secundum proprias opiniones interpretandi: Ecclesia non nisi inepte et imperite arguitur, quod pro munere suo in utilitatem fidelium prohibuerit non lectionem Vulgatæ latinæ, sed Scripturæ in lingua vernacula, eamque non absolute, sed cum congrua restrictione."

Disciplina juris communis hodie vigens est hæc, ut licita sit fidelibus lectio catholicarum versionum S. Scripturæ in lingua vulgari, dummodo sint vel a Sede apostolica approbatæ, vel editæ sub vigilantia Episcoporum cum adnotationibus desumptis ex SS. Patribus aut ex doctis catholicisque scriptoribus *(Leonis XIII.* Constit. *Officiorum et Munerum,* 25 Jan. 1897).

(1) Cf. *Hurter,* n. 183.
(2) Cf. *Perrone,* de S. Script. c. 5; *Malou,* la lect. de la S. Bible.

TRACTATUS III.

DE ECCLESIA CHRISTI.

Introductio. Nexus doctrinæ; tractatus momentum et divisio.

410. I. **Nexus doctrinæ.** In tractatu de vera religione probavimus, religionem christianam esse divinitus revelatam atque unice veram, quam omnes homines, ut æternam salutem consequantur, profiteri tenentur. In tractatu de fontibus revelationis ostendimus, hujus religionis doctrinas et instituta in divina Traditione et Scriptura contineri. Pariter demonstravimus, totum revelationis christianæ depositum, in Traditione et Scriptura contentum, concreditum esse authentico ac vivo magisterio, per quod jugiter conservetur ac de generatione in generationem propagetur. Ex hisce jam facile colligitur, Christum non ita instituisse suam religionem, ut singuli eam profiterentur, quin ullis externis vinculis inter se colligarentur; sed econtra eum instituisse religionem cum vinculo formæ socialis, ita ut qui veram Christi religionem profitentur, in unam coalescant societatem religiosam, quæ *Ecclesia* vocatur. Hæc Ecclesia est ipsa religio Christi *in concreto,* in ea christiana religio velut incorporata existit. Postquam itaque christianam religionem veluti in abstracto consideravimus, ostendendo illam esse revelatam et unice veram; jam quærendum est in concreto, quænam sit christiana religio, eo vel magis, quod plures sunt hominum cœtus inter se discrepantes, qui christiano nomine gloriantes sibi Christi religionem vindicant. Inquirendum scilicet est, ubinam et quænam sit vera Christi Ecclesia. Hanc quæstionem solvemus, ostendendo Ecclesiam Romano-catholicam eamque solam esse veram Christi Ecclesiam. Quare hic tractatus etiam inscribitur: *demonstratio catholica,* vel *apologia Ecclesiæ catholicæ.* Hinc perspicitur intimus nexus hujus tractatus cum tractatu de vera religione, cujus est continuatio et complementum.

411. II. **Tractatus momentum.** Maximi sane momenti est præsens de Ecclesia Christi tractatio. Sicut enim finis omnis controversiæ cum infidelibus Christus est; ita finis omnis controversiæ cum acatholicis est Ecclesia. Contra infideles ostendimus, Christi religionem unice veram esse; contra acatholicos probandum est, Ecclesiam catholicam eamque solam esse veram Ecclesiam, quam Christus instituit, ut per eam homines veram religionem ediscerent, eamdemque in ipsa profiterentur. Quemadmodum igitur tractatus de vera religione eo spectat, ut homines fiant christiani; ita tractatus de Ecclesia Christi eo pertinet, ut christiani sint catholici. Una hæc de Ecclesia quaestio omnes controversias catholicos inter et acatholicos derimere apta est; soluta enim quæstione, quænam sit vera Ecclesia, quam Christus constituit custodem, magistram, judicem revelationis, eo ipso constat in hac Ecclesia et in hac sola veram Christi religionem inveniri.

412. III. **Ordo dicendorum et partitio tractatus.** Uti ex dictis jam facile colligitur, in hoc tractatu demonstrandum est, *Christum instituisse Ecclesiam,* atque *Ecclesiam, a Christo institutam, esse solam Ecclesiam catholicam.* Licet quidem ad hanc demonstrationem conficiendam haud necesse sit universam de Ecclesia doctrinam exponere, et licet de Ecclesia plura credenda proponat revelatio, quæ ad theologiam specialem proprie pertinent; nos tamen ne, diversis locis de Ecclesia disserentes, jam dicta repetere cogamur, una tractatione integram de Ecclesia doctrinam complectimur. Exponemus proinde in hoc tractatu etiam constitutionem, indolem ac naturam Ecclesiæ. Ad Ecclesiæ constitutionem ac naturam maxime quidem pertinet primatus, qui est principium et centrum unitatis socialis Ecclesiæ; nihilominus ob materiæ gravitatem et claritatis gratia de primatu separatim agere satius esse ducimus. Quare hunc tractatum in duas dividimus partes: prima erit *de Ecclesia Christi* generatim; altera *de Primatu S. Petri et Romani Pontificis.* Ut autem ad hanc de Ecclesia Christi tractationem planior sternatur via, haud inopportunum erit, capite prævio, præmissa significatione nominis „Ecclesia", de Ecclesia Dei generatim spectata et de Ecclesia veteris Testamenti pauca dicere.

CAPUT PRÆVIUM.

DE SIGNIFICATIONE NOMINIS „ECCLESIA", DE ECCLESIA DEI GENERATIM SPECTATA, DE ECCLESIA VETERIS ŒCONOMIÆ.

413. I. **Significatio nominis „Ecclesia"** (1). 1. Nomen *Ecclesia,* a voce græca ἐκκαλέω evocare, *generice* significat multitudinem evocatione in unum collectam, seu cœtum sive religiosum, sive profanum.

2. Significatione *specifica* et ex usu solemni ac communi maxime *propria* designat cœtum *religiosum*, seu societatem vero Dei cultu unitorum. Quia autem in præsenti ordine vera religio semper fuit et est religio revelata et supernaturalis, ideo nomine Ecclesiæ proprie intelligitur societas religiosa *supernaturalis.* Proindeque Ecclesia proprio sensu intellecta est *societas vero supernaturali Dei cultu unitorum.*

414. Porro juxta hanc propriam acceptionem, vox *Ecclesia* sumitur *a) latissime* pro societate eorum omnium, qui sive angeli, sive homines ab Adam usque ad consummationem adhærentes Deo uniti sunt ad communionem sanctorum. Hæc est Ecclesia Dei secundum amplissimam significationem, quæ pro triplici suo statu comprehendit Ecclesiam *militantem* in hisce terris, *purgantem* in purgatorio, *triumphantem* in cœlis. *b)* Nomen *Ecclesia* sumitur *strictius* ad designandam Ecclesiam *militantem.* Juxta hanc autem acceptionem vox *Ecclesia* secundum totam suam amplitudinem significat societatem supernaturalem fidelium omnium in terris ab initio mundi usque ad ejus finem vero Dei cultu unitorum. Ecclesia ita accepta complectitur omnes fideles, sub lege naturæ, Mosaica et lege gratiæ existentes. Ecclesiæ enim militantis in terris triplex distinguitur status: Ecclesiæ *legis naturæ, Ecclesiæ Mosaicæ, Ecclesiæ Jesu Christi.*

c) Sensu demum *stricto* vox Ecclesia sumitur pro *Ecclesia Christi,* seu Ecclesia Novi Testamenti, pro supernaturali scilicet

(1) Cf. *Bellarminus,* de Ecclesia, l. 3. c. 1; *Franzelin,* Theses de Ecclesia Christi, th. 1; *Mazzella,* de Religione et Ecclesia, disp. 3. art. 1; *Jansen,* Theol. fundam. § 50; *De Groot,* Summa apolog. q. 2. art. 1; *Tanquerey,* de Ecclesia Christi, n. 5.

societate fidelium viatorum in Novo Testamento. Ecclesia Veteris Legis potius *synagoga* vocari solet. Nos in hoc tractatu agimus de Ecclesia *sensu stricto* intellecta, de Ecclesia scil. Christi seu Novi Testamenti militante in hisce terris.

415. Porro hoc etiam stricto sensu vox *Ecclesia* adhuc varie sumitur. Etenim non solum adhibetur ad designandum integrum cœtum ex præpositis et fidelibus omnibus coalescentem; sed significat etiam tum 1) Ecclesiæ præpositos, seu Ecclesiam *docentem et regentem,* tum 2) plebem fidelium, seu Ecclesiam *discentem* prout a præpositis distinguitur. Hæc duplex significatio vocis *Ecclesia* inadæquate tantum distinguitur ab altera significatione, qua universalis Christi Ecclesia designatur; nam utraque designatur non solum pars in tota Ecclesia, sed pars essentialis, et quidem priori elementum velut *formale* (visibile) continens et formans totum, posteriori vero elementum velut *materiale* contentum et informatum illo elemento formali. 3) Significat quoque Ecclesiam *particularem* unius domus, civitatis, provinciæ, regni. Hi enim cœtus, utpote partes totius Ecclesiæ, referunt imaginem et participant naturam totius, prout fert proprietas partium totius organici; ideoque usu tum biblico tum ecclesiastico nomine *Ecclesiæ,* cum expressa quidem restrictione ad rationem partis, appellantur; e. g. „Ecclesia quæ est Jerosolymis, Antiochiæ, Corinthi etc."

Quandoque non tam societas fidelium per se spectata quam cœtus actu congregatus ad cultum religiosum nomine *Ecclesiæ* significatur; imo in usu ecclesiastico notissimo per synecdochen Ecclesia vocatur ædes sacra, templum in quo cultus religiosus peragitur.

416. II. **Ecclesia Dei generatim spectata.** Notio fundamentalis est, ut Ecclesia Dei sit ipsa supernaturalis societas omnium vera religione Deo et inter se conjunctorum, adeoque societas destinatione *universalis.* Est enim Ecclesia Dei *regnum Dei sanctificatoris,* collectum creaturarum *vocatione supernaturali* per dona superaddita ad finem, qui est supra exigentiam et potentiam naturæ creatæ.

Jam vero ad hunc ordinem supernaturalem omnes creaturæ rationales, angeli et homines evecti sunt, et vel per dona gratiæ in via ducendi ad finem supernaturalem visionis et fruitionis Dei, vel jam perducti ad hanc finalem felicitatem

per dona gloriæ. Caput autem hujus totius regni Dei sanctificatoris seu totius Ecclesiæ est Verbum incarnatum, Christus, ad unitatem conjungens angelos et homines secum ipso, inter se ipsos, cum Deo uno et trino.

Omnes igitur fideles ab Adam usque ad finem hujus mundi, dum versantur in hisce terris, quibus accensendæ sunt animæ justæ in purgatorio post mortem adhuc pœnis purgandæ et ita perducendæ ad terminum, et omnes sanctorum jam consummatorum in cœlis ordines atque angelorum chori constituunt unam societatem, unam civitatem Dei supernaturalem vocatione, gubernatione, beatificatione per dona gratiæ et gloriæ, sub uno capite Christo Jesu. Hæc est Ecclesia Dei secundum amplissimam significationem in triplici suo statu *militantis*, *purgantis* et *triumphantis,* quæ tota recapitulatur in Christo et sub Christo, qui est „caput corporis, Ecclesiæ, in omnibus ipse primatum tenens" (Col. I, 18). Hæc est Jerusalem cœlestis, Ecclesia una in cœlo et in terra.

Est itaque, uti ex dictis colligitur, Ecclesia Dei secundum amplissimam significationem „supernaturalis societas eorum omnium, qui sive angeli, sive homines ab Adam usque ad consummationem sub capite Christo *fide in via, visione beatifica in termino* adhærentes Deo uniti sunt ad communionem sanctorum" *(Franzelin,* Theses de Ecclesia Christi, th. 1 et 2).

417. **Corollarium.** Ex tradita notione propria et generali Ecclesiæ intelligitur, Ecclesiam Dei non nisi *unam* esse posse, et neminem umquam salvatum fuisse aut salvari posse, qui non *actu ipso* pertinuerit aut pertineat ad Ecclesiam secundum illam generalem notionem: „sine fide impossibile est placere Deo."

Postquam autem Christus Ecclesiæ Dei indidit specialem constitutionem ac formam, et ita suam Ecclesiam in terris specialibus legibus specialique forma instituit, præter hanc Ecclesiam Christi alia in terris jam nulla est aut esse potest vera Ecclesia.

418. III. **Ecclesia Veteris Oeconomiæ,** seu Ecclesia ante Christum. Ecclesia Dei in terris, secundum latiorem notionem supra declaratam, est *societas fidelium,* seu vero cultu Deum colentium. Sicut autem generatim in œconomia revelatiouis et salvationis generis humani per Christum

Redemptorem triplex veluti stadium distinguitur, quo ab imperfectioribus ad perfectiora perpetuo processit usque ad plenitudinem temporis; ita etiam Ecclesiæ, quæ non est nisi concreta expressio ac summa ipsius revelationis ac religionis, triplex distinguitur status: *Ecclesiæ legis naturæ, Ecclesiæ Mosaicæ, Ecclesiæ Jesu Christi.*

419. 1. *Ecclesia legis naturæ.* Ecclesia in statu inchoationis, quæ dici solet legis naturæ, pro humano genere reparando instituta est statim post lapsum protoparentum promisso futuro Redemptore. Sicut autem revelatio ipsa initio minus ampla ac minus distincta erat, ita etiam Ecclesia in illo statu inchoationis minus erat conspicua, et continebatur *professione veræ fidei* et *vero cultu Dei.* Hinc Ecclesiæ unitas visibilis adhuc laxior fere revocabatur ad unam professionem veræ fidei et ad veritatem cultus Dei; eoque ipso corpus Ecclesiæ, quod unitate continetur, velut in prima formatione constitutum et adhuc imperfectum erat.

420. 2. *Ecclesia Mosaica.* Quoniam tota vetus œconomia inde ab Adam præparatio erat et typus ad Christum et ad ejus Ecclesiam; ut vetus illa œconomia huic scopo melius responderet, Deus, progrediente tempore, sibi elegit et per Moysen instituit peculiarem populum, in quo sicut revelatio et ratio typica in dies clarior, ita forma Ecclesiæ esset manifestior. Ecclesia secundum hanc peculiarem formam spectata comprehendebat non simpliciter totum populum Dei sed tantum societatem divinitus institutam *peculiaris* populi Dei; ideoque Ecclesia Mosaica non constituebat totam Ecclesiam Dei, sed erat pars præcipua totius Ecclesiæ Dei jam in protoparentibus pro omnibus posteris promissæ ac institutæ. Nam per fœdus peculiare initum cum populo Israel non abolita fuit aut restricta promissio universalis in Adam toti generi humano a Deo facta, sed in uno populo electo specialius conservata, propagata et distinctius explicata. Ad illam igitur formam peculiarem Ecclesiæ, determinatam pro solo populo hebraico, non tenebantur gentes; sed pro his mansit usque ad Christum Ecclesia legis naturæ.

420. Forma Ecclesiæ illius peculiaris institutæ in populo Israel, præ statu imperfectiori legis naturæ, expressior erat in unitate sacri ministerii, imperii et magisterii, quo totius

illius populi unitas in cultu divino, in sacra disciplina ac doctrina continebatur; attamen et ipsa adumbratio tantum erat et præparatio ad Ecclesiam Jesu Christi in statu perfecto Novi Testamenti. Hæc vero forma Ecclesiæ, uti erat imperfecte in veteri Lege, non desiit in Christo per defectionem sed per translationem ab imperfecto in perfectum; quod ut rite intelligatur, attendendum est ad variam indolem diversorum institutorum Veteris Testamenti. (1)

Hanc *Franzelin*, th. 4, breviter enuntiat his verbis: „In institutis ac legibus Veteris Testamenti distinguenda sunt 1) ea, quæ per se necessaria ad salutem, pertinent ad testamentum æternum et universale, ab aliis quæ pro peculiari dumtaxat populo et pro tempore introductionis ad meliorem spem erant præcepta; 2) in his ipsis institutis peculiaribus distinguantur oportet illa, quæ principali suo fine *typica* erant ad Christum venturum ejusque Ecclesiam, ita ut postquam adimpleta erant in Christo, jam eorum observantia abolita et mortua atque post sufficientem Ecclesiæ propagationem omnino vetita ac mortifera censeri debeant; alia vero quæ, sine proxima saltem et immediata Christi præsignificatione, ad politicam vel religiosam externam disciplinam synagogæ pertinebant, obligatione *juris divini* jam sublata in Ecclesia Christi, possunt nihilominus consuetudine aut lege *humana ecclesiastica* permitti vel etiam præcipi."

421. 3. *Ecclesia Christi.* Ecclesia Dei Christo auctore specialem formam ac constitutionem accepit. Nam præter ampliorem revelationem, obtinuit Ecclesia Christo auctore perfectam rationem supernaturalis societatis, hierarchiam nempe, qua regeretur et infallibiliter doceretur et sacramenta quibus sanctificaretur; ita ut deinceps homines eatenus Christo capiti adhærerent, quatenus hierarchiæ ab eo institutæ adunarentur et subjicerentur. Ecclesia secundum hanc specialem rationem perfectæ societatis spectata nova est et a Christo cœpit atque Ecclesia Christi dicitur, ideoque Christus dixit se ædificaturum Ecclesiam suam. Cum autem forma a Christo inducta jam sit modus necessarius Ecclesiæ Dei, liquet post Christum non posse amplius existere veram Ecclesiam sine illa forma

(1) Cf. *Franzelin,* th. 3.

christiana, adeoque neminem posse pertinere ad veram Dei Ecclesiam, qui penitus sit extra Ecclesiam Christi. De hac Ecclesia a Christo instituta deinceps jam unice nobis est agendum.

PARS I.

DE ECCLESIA CHRISTI GENERATIM.

422. Dicturi in hoc tractatu de Ecclesia Christi non solum ea exponemus, quæ ad conficiendam demonstrationem seu apologiam Ecclesiæ catholicæ requiruntur, sed, uti supra jam monuimus, integram de Ecclesia doctrinam, pro ratione saltem compendii, tradémus. Gravissimam simul et amplissimam hujus primæ partis, quæ est de Ecclesia Christi generatim, materiam in quatuor distribuimus capita. 1mo agemus *de Ecclesiæ institutione;* 2do *de Ecclesiæ natura et constitutione;* 3^tio^ *de Ecclesiæ proprietatibus;* 4to *de Ecclesiæ notis* deque identitate Ecclesiæ catholicæ et Ecclesiæ Christi.

CAPUT I.

DE ECCLESIÆ INSTITUTIONE.

423. Hoc caput in tres dividimus articulos: 1mo probabimus Christum instituisse Ecclesiam et quidem ut veram societatem; 2do ostendemus Ecclesiam ex Christi institutione perenniter esse duraturam; 3^tio^ demonstrabimus Ecclesiam a Christo institutam esse essentialiter visibilem.

Art. I. **Christus instituit Ecclesiam, eique veram ac certam societatis formam tribuit.**

424. I. **Exponitur doctrina.** 1. Hoc articulo duo simul complectimur: Christum instituisse Ecclesiam, et eam instituisse ut veram societatem; quia hæc duo tam intime nexa sunt, ut fere confundantur et eisdem argumentis probentur.

Si excipiantur rationalistæ mythici, quibus Christus non est nisi purus homo, vix ullus invenitur, qui directe et absolute

negaverit aliquam Ecclesiam a Christo esse institutam. Illud tamen indirecte saltem negant *Sociniani* et *Protestantes,* qui *Waldenses* secuti Ecclesiam a Christo cum certa forma societatis institutam esse infitiantur. Hi enim auctoritatem præpositorum in Ecclesia divinitus constitutam rejicientes, talem concipiunt Ecclesiam, quæ sit cœtus adunatorum non quidem ad modum societatis, quæ auctoritate regiminis informetur ac constituatur, sed cœtus adunatorum Deo per fidem et justitiam. Ex quo sequitur, Christum eatenus tantum instituisse Ecclesiam, quatenus doctrinam proposuit tenendam, et sua redemptione meruit omnibus fidem et justificationem. Et revera Protestantes, statuto principio, Ecclesiam esse cœtum fidelium adhærentium immediate Deo per fidem interiorem, adeoque per se invisibilem, negant, Christum separatum quemdam cœtum a synagoga distinctum instituisse. Christus, aiunt, qui ubique locorum docebat, synagogis Judæorum interfuit et pariter cum ipso ad eas convenerunt quotquot ipsum sequebantur, qui non se separaverunt a cœtu Judæorum nec distinctam constituerunt Ecclesiam. Neque Apostoli post Christum se separarunt a Judæorum cœtibus, sed synagogam et templum frequentarunt, ibique Christi doctrinam prædicarunt sacrisque judaicis vacarunt; adeo ut etiam fideles ex gentibus ad eorum observantiam adstringere vellent. Occasione autem persecutionum, quibus a synagoga premebantur fideles, et conversione gentilium, qui jugum legis Mosaicæ repudiabant, factum est ut paulatim fideles a Judæorum cœtibus separarentur et suos separatos cœtus agerent. Tunc demum Apostoli his fidelium cœtibus presbyteros præfecerunt, qui eos regerent. Hoc regimen autem constituerunt Apostoli juxta normam, non a Christo traditam, sed a Judæorum synagogis acceptam. (1)

425. Ex brevi hac erroris Protestantium adumbratione liquet, ad veram doctrinam complete vindicandam tria esse ostendenda: 1) Christum instituisse Ecclesiam; et quidem 2) ut veram societatem; et 3) ut societatem a synagoga distinctam. Demonstratis duobus prioribus, etiam tertium probatum censeri potest; nihilominus, illa demonstratione peracta, de Ecclesiæ a Synagoga distinctione in Scholio quædam

(1) Ita *Boehmer,* Jur. eccl. ant. d. 8. c. 2; *Grotius,* de Imp. sum. potest. c. 11; *Fr. Burman,* Disp. theol. de Synag. § 86 sq.

addemus. Ex ista concinna erroris protestantici expositione pariter liquet, negationem institutæ societatis niti, tamquam principio, negatione veræ auctoritatis præpositorum in Ecclesia a Christo institutæ. Quare ostendendum est, Christum instituisse Ecclesiam quatenus in Apostolis instituit perrennem potestatem regendi, docendi et sanctificandi; hæc est veritas fundamentalis in tractatione de Ecclesia.

426. 2. Antequam ad ipsam institutionem Ecclesiæ ut veræ societatis progrediamur, juverit, ad meliorem rei intelligentiam, generalem societatis notionem hic breviter recolere. *Societas* autem definitur: *conjunctio plurium in communem aliquem finem suis actibus conspirantium.* Ex hac definitione colligitur *a*) societatem non nisi ex entibus rationalibus coalescere posse, hæc enim sola finem, præsertim communem, apprehendunt atque unitis actionibus prosequuntur. *b*) Ad quamlibet societatem quatuor elementa requiri: *multitudinem hominum* (de societate enim hominum agitur), *moralem eorum conjunctionem, finem ad quem conspirent, media ad finem consequendum;* ex quibus multitudo hominum societatis veluti materiam constituit, reliqua veluti formam: ita tamen, ut finis sit præcipuum societatis elementum, ratione cujus et media et sociorum conjunctio postulatur.

c) Cum itaque ad societatem necessaria sit sociorum moralis conjunctio, eorum mutua conspiratio ad commune bonum obtinendum, sequitur ulterius, ad societatem constituendam requiri *auctoritatem.* Illa enim mutua conspiratio entium, intellectu ac voluntate libera præditorum, in qua societatis essentia existit, consistere nequit, nisi adsit principium quoddam intelligens, sociorum intelligentiis eumdem operandi modum præscribens, eorumdemque voluntates ad illum servandum obligans. Atqui principium voluntates liberas obligare valens est et dicitur auctoritas; hæc ergo ab ipsa societatis essentia exigitur. His præstitutis

427. II. **Stabilitur vera doctrina.**

Thesis. Christus instituit Ecclesiam eique certam societatis formam tribuit. (1)

(1) Cf. *Franzelin,* th. 6 sqq.; *Mazzella,* disp. 3. art. 3.; *Palmieri,* de Rom. Pontifice proleg. § 2; *Jansen,* § 51; *De Groot,* q. 2. art. 2; *Pesch,* t. 1. n. 305 sqq.; *Tanquerey,* n. 26 sqq.

Prob. I. Ex prædictionibus propheticis V. T. et ex annuntiationibus in N. T.

1. In prophetiis V. T. passim una cum futuro Messia, tamquam opus ejus, prænuntiatur et describitur Ecclesia ab ipso in terris constituenda. Prænuntiatur autem et describitur ut unum regnum universale ac perenne Christi regis, prophetæ, sacerdotis, ab ipso acquirendum suo sanguine et ad æternam omnium gentium salutem fundandum. Ita e. g. legitur Is. IX, 6 sq.: „Parvulus natus est nobis et filius datus est nobis et factus est principatus super humerum ejus. . . Princeps pacis, multiplicabitur ejus imperium et pacis non erit finis; super solium David et super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud et corroboret in judicio et justitia, amodo et usque in sempertinum." Et Jer. XXIII, 5 sq.: „Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et suscitabo David germen justum, et regnabit rex, et sapiens erit, et faciet judicium et justitiam in terra; in diebus illis salvabitur Juda." Et Dan. II, 44: „Suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur, et regnum ejus alteri populo non tradetur ..... et ipsum stabit in æternum." His et aliis similibus oraculis promittitur *a)* verum regnum Filii Dei incarnati Christi; *b)* regnum Christi in terris, inter homines mortales: quod manifestum est ex muniis a Christo rege obeundis et diserte etiam asseritur a Jeremia; *c)* regnum religiosum ac supernaturale, quo fit ut Deo debitus cultus exhibeatur, ut justitia et pax regnet, ut homines salventur per Christum. Atqui hoc regnum Christi in terris sane non est aliud quam ejus Ecclesia. Promittitur ergo Ecclesia a Christo in hac terra constituenda, et quidem ut vera societas, cujus ideam manifeste exhibet regnum.

428. 2. In Evangeliis, in ipsa proxima præparatione Ecclesiæ, annuntiatur *regnum Dei, regnum cælorum, regnum Jesu Christi,* vel simpliciter *regnum* ab ipso Salvatore ex hominibus et pro hominibus constituendum in terra, perenne ac supernaturale.

Etenim *a)* In ipsa annuntiatione incarnationis Filii Dei angelus de Christo nascituro diserte enuntiat: „Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis" (Luc. I, 32 sq.)

b) Præcursor Christi S. Joannes, ad præparandam viam

Domini, clamabat: „Pœnitentiam agite, appropinquavit enim *regnum cœlorum*" (Matth. III, 2).

c) Et Christus ipse jamjam oblaturus sacrificium crucis, quo Ecclesiam erat acquisiturus, ante tribunal Pilati se regem et *regnum suum* verissimum *in hoc mundo* solemniter professus est, quod quidem regnum licet sit in hoc mundo non tamen est *de hoc mundo* sed ordinis supernaturalis. „*Regnum meum* non est *de hoc mundo* . . . . nunc autem *regnum meum* non est *hinc*" (Joan. XVIII, 36).

Sicut autem Ecclesia annuntiatur in Evangeliis ut regnum Christi, adeoque ut vera societas propriæ constitutionis ac formæ; ita eadem Ecclesia a Christo fundanda et fundata in SS. Scripturis etiam aliis designatur nominibus, quæ societatis notionem præ se ferunt: dicitur enim *ovile*, *civitas*, *domus*, *corpus* et *corpus Christi*.

429. II. *Ex factis et institutis Christi.* Christus Ecclesiam suam, quam se ædificaturum promiserat, etiam revera instituit et quidem ut veram societatem. Instituens enim ministerium apostolicum ad regendos, docendos et sanctificandos homines, eo ipso instituit Ecclesiam suam eique certam societatis formam tribuit.

Sicut Pater misit Christum, regem, prophetam, sacerdotem, ad regendos, docendos, sanctificandos homines; ita Christus misit Apostolos (Joan. XX, 21) in eosque tamquam in suos ministros suam amplissimam potestatem transfudit. Dedit eis potestatem ligandi et solvendi (Matth. XV, 19; XVIII, 18), remittendi et retinendi peccata (Joan. XX, 23); jussit eos docere omnes gentes, discipulos facere eosque initiare Baptismate atque eis tradere servanda omnia quæ ipse mandavit (Marc. XVI, 15 sq.; Matth. XVIII, 18 sq.) Instituit itaque Christus in Apostolis ministerium cum vera potestate regendi, docendi et sanctificandi homines.

Atqui 1) instituendo hoc ministerium, instituit Christus *cœtum religiosum,* seu *Ecclesiam;* nam ex Apostolis docentibus, regentibus et sanctificantibus, et ex hominibus, qui eorum sint discipuli eorumque regimini obnoxii atque ab iis sint sanctificandi, cœtus aliquis religiosus per se coalescit. Hac enim institutione habentur omnia elementa necessaria cœtus religiosi, qualis est Ecclesia. Cœtus enim religiosus per se

constituitur unitate doctrinæ salutaris, rituum sacrorum et mutuæ communionis; atqui hæc omnia habentur per illam triplicem potestatem a Christo constitutam debitamque illi subordinationem *(Palmieri,* l. c.).

2) Instituendo ministerium apostolicum, instituit Christus Ecclesiam suam cum *determinata forma sociali.* Christus enim fundans suam Ecclesiam in ea constituit ministros a se electos, Apostolos, quos instruxit determinata potestate eaque amplissima ligandi et solvendi quæcumque, docendi omnes veritates revelatas, sanctificandi certis ritibus sacris, atque ex illis et super illos elegit unum Petrum, quem potestate instruxit suprema et universali in singulos et omnes (uti in parte seq. probabimus). Atqui hæc propriam ac determinatam formam et constitutionem socialem manifeste constituunt. Ergo Christus ita instituendo Ecclesiam ei certam formam et constitutionem socialem tribuit.

430. III. Præstat hæc omnia illustrare et confirmare uno peculiari testimonio, quod tamen in seq. tractatione de Primatu diligentius expendemus. Matth. XVI, 18 sq. dicit Christus Simoni Petro: „Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum; et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis." De hoc testimonio ita bene *Mazzella* (de Religione et Ecclesia, disp. 3. art. 3): „Cetera nunc supponentes, adnotamus, quod in eo exprimitur 1) multitudo seu certus populus; dicitur enim: ædificabo *Ecclesiam* meam; Ecclesia autem importat *congregationem,* seu congregatum populum. 2) Exprimitur moralis unio in ea multitudine; dicitur enim: *ædificabo* Ecclesiam meam: scilicet diversos homines, tamquam tot lapides apte jungam, ita ut unum evadant spirituale ædificium. Unde etiam (1 Petri II, 5) fidelibus dicitur. Et ipsi tamquam lapides vivi superædificamini, domus spiritualis; itemque fideles (I Cor. III, 9) Dei ædificatio nuncupantur. 3) Exprimitur auctoritas, seu supremum visibile Ecclesiæ caput; dicitur enim: Tu es Petrus, et *super hanc petram* ædificabo Ecclesiam meam; scilicet tu, qui nomine accepto significas soliditatem, tu illam Ecclesiæ conferes. Quæ sequentibus confirmantur:

tibi dabo claves regni cœlorum; Quodcumque ligaveris etc. Quamvis autem diserta hic mentio ceterorum rectorum minime occurrat; in aliis tamen locis habetur: imo quodammodo hic indicantur; quemadmodum enim in suprema potestate omnis potestas comprehenditur, ita in supremo Monarcha magistratus inferiores continentur. 4) Exprimitur proprius finis novæ hujus societatis; ea enim appellatur regnum cœlorum. Revera nuncupatio hæc significat sanctitatem et salutem æternam per hanc societatem obtinendam; atque hac ratione dici potest hæc societas *cœlestis,* seu *regnum cœlorum,* ratione nempe finis et mediorum, alioquin in ceteris est terrena, id est ex hominibus in terra degentibus conflata. 5) Ulterius etiam exprimitur, societatem a Christo fundandam diversam esse a synagoga; dicitur enim *ædificabo* (agitur nempe non de ædificio jam existente, sed futuro) Ecclesiam *meam* (contradistinctam nempe a synagoga, quam solum Apostoli noverant, et de qua potuissent Christum loquentem intelligere)."

431. IV. *Ex ipsius Ecclesiæ testimonio.* A nostra ad Christi ætatem de sæculo in sæculum assurgentes reperimus semper Ecclesiam, cum certa forma sociali, quæ se a Christo auctore institutam esse constanter dicit. Imo adversarii gentiles numquam ipsum institutionis factum impugnarunt, sed solum Christum illius auctorem Deum esse negabant. Deinde ab ævo Apostolico fuerunt plures, qui a catholicis dissidentes, non horum sed suum cœtum dixerunt a Christo fundatam Ecclesiam, quique proinde cum catholicis circa ipsum factum institutæ a Christo Ecclesiæ consentiebant. Jam vero hæc perennis existentia societatis, cum constanti attestatione fundationis a Christo, est factum, quod æquivalet testimonio perpetuo, constanti et universali, quodque proinde ineluctabilem certitudinem parit. (1)

(1) In schemate Constitutionis dogmaticae de Ecclesia Christi patribus Conc. Vaticani proposito c. 2 habetur: „Hanc Ecclesiam, quam acquisivit sanguine suo et tamquam sponsam unice electam aeternum dilexit, auctor fidei et consummator Jesus ipse fundavit atque instituit." In eodem schemate proponuntur etiam hi duo canones: 1. „Si quis dixerit, Christi religionem in nulla peculiari societate ab ipso Christo fundata exstantem et expressam esse, sed a singulis seorsim, non habita ratione ad ullam societatem, quae vera ipsius Ecclesia sit, rite observari et excoli posse; a. s. 2. Si quis dixerit, Ecclesiam a Christo Domino nullam certam ac immutabilem constitutionis formam accepisse, sed aeque ac reliquas hominum societates, pro temporum diversitate vicissitudinibus et transformationibus subjectam fuisse aut subjici posse; a. s."

432. **Scholion I.** Cum Christus, uti demonstravimus, instituerit Ecclesiam propriæ formæ ac constitutionis, jam etiam liquet, *Christum suam fundasse Ecclesiam a synagoga Judæorum plane distinctam ac diversam.* Ceterum ut magis appareat, Ecclesiam Christi distingui et differre a Synagoga, hæc inter alia addi possunt: 1) synagoga typus erat et adumbratio Ecclesiæ, hæc illius antitypus ac veritas, *„finis enim legis Christus."* Ideo synagoga quæ erat populus electus veteris Testamenti, dum recusat transitum divinitus ordinatum ad Ecclesiam Christi, desinit esse populus Dei: „et non erit ejus populus, qui eum negaturus est" (Dan. IX, 26). 2) Diversus est utriusque auctor immediatus: synagogæ auctor est Moyses; Ecclesiæ Christus Filius Dei. 3) Diversa est utriusque amplitudo et duratio: synagoga restricta erat ad unum populum, et temporaria utpote quæ desinere debebat in Christo; Ecclesia vero universalis et perennis. 4) Diversa est utriusque efficacia et finis immediatus: synagogæ erat sanctitas quædam legalis et dispositio ad gratiam; Ecclesiæ est ipsa gratia et sanctitas interna.

433. Quæ Protestantes dicunt vel nihil probant, vel falsa sunt. 1) Nihil probant quæ dicunt de Christo: eum scil. se non separasse a synagoga, sed sancte custodivisse ritus mosaicos. Nam 1) Christus in hisce terris adhuc degens mortalis non dixit se ædificasse, sed ædificaturum Ecclesiam, quam reapse ædificavit, cum a mortuis redivivus oves suas pascendas Petro commisit. Imo 2) uti patet ex verbis Apostoli de Christo (Gal. IV, 4 sq.): *„factus sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret"* (nempe a jugo legis), ipsa subjectio a Christo libere præstita legi potius causa fuit abolitionis legis, ut nempe illi veteri fœderi abolito succederet Ecclesia, quæ ideo ab illo prorsus distincta et separata esse debebat. 2) Nihil pariter concludunt quæ dicuntur de legalibus usurpatis aliquando ab Apostolis; nam quod Apostoli identidem legalia usurpaverint, citra tamen obligationem et ex œconomia quadam prudentiæ et caritatis, ex hoc sane minime sequitur, eos cœtum simul cum Judæis constituisse. 3) Falsum autem est, quod dicunt, fideles initio cœtus separatos a Judæis non egisse; certum enim est, ab initio fideles, etiam ex Judæis, cœtus separatos egisse; nam, ceteris omissis, legitur

(Act. V, 12 sq.): „Per manus autem Apostolorum fiebant signa, et prodigia multa in plebe. Et erant unanimiter omnes in porticu Salomonis; *ceterorum autem nemo audebat se conjungere illis.*" Hinc Apostoli in Concilio Hierosolymitano (Act. XV) solemni etiam definitione declarabant, legem mosaicam in Ecclesia Christi suum valorem suamque obligationem amisisse; atqui cœtus, qui legibus mosaicis non tenebatur, fuit profecto separatus a cœtu Judæorum. Cum autem in isto concilio Petri potius quam Pauli, si ita loqui fas est, sententia prævaluerit, apparet etiam quam falsum sit, quod asserit recens incredulorum schola critica, nempe Paulum novam formam tribuisse Ecclesiæ, scil. Ecclesiæ universalis, omnibus gentibus accommodatam, qua a societate Judæorum eximebatur *(Palmieri,* l. c.).

434. **Scholion II.** Ad complendam doctrinam de institutione Ecclesiæ, quæri potest: *quandonam Christus Ecclesiam fundaverit?*

Cui quæstioni ut plene satisfiat, tria juverit distinguere tempora: 1) Christus ante mortem suam præparavit et inchoavit institutionem suæ Ecclesiæ; hoc igitur tempore jam quasi *concepta* fuit Ecclesia. 2) Christus post mortem redivivus apparens, ante suam in cœlum ascensionem, vere fundavit Ecclesiam, quæ tunc proprie in lucem edita et *nata* est. Consummata enim per crucis sacrificium redemptione mundi et soluto pretio acquisitionis Ecclesiæ, divinus Salvator „præbuit se ipsum vivum post passionem suam in multis argumentis per dies quadraginta apparens eis et *loquens de regno Dei.*" In hisce igitur repetitis apparitionibus complevit Christus institutionem et constitutionem regni Dei in terris. Fundavit autem vere Ecclesiam, dum misit Apostolos cum triplici amplissima potestate docendi, regendi et sanctificandi, eisque præfecit unum Petrum, cum suprema potestate, cui omnes suas oves pascendas commisit. 3) Die Pentecostes Ecclesia promulgata et juris publici facta est, atque legalis et obligatoria evasit.

Art. II. **De Ecclesiæ perennitate seu indefectibilitate in existendo.** (1)

435. I. **Exponitur doctrina.** 1. *Perennitas,* quam Ecclesiæ vindicamus, importat non solum ut Ecclesia numquam

(1) *Bellarminus,* l. 3. c. 13; *Mazzella,* disp. 4. art. 5; *Hurter,* t. 1. n. 196 sq.; *De Groot,* q. 8. art. 1; *Pesch,* n. 313 sqq.; *Tanquerey,* n. 105 sqq.

desinat, sed etiam ut *non possit desinere:* spectata scil. institutione Christi, quæ comprehendit quoque finem, Ecclesia tamdiu in suo esse necessario duratura est, quamdiu sunt homines in terris degentes in stadio viæ. Cum hanc perennitatem vindicemus Ecclesiæ a Christo institutæ, asserimus utique, Ecclesiam secundum essentiam talem perseverare, qualem Christus instituit; quare hanc perennitatem ita intelligimus, ut Ecclesia ex institutione Christi perenniter usque ad consummationem sæculi absque ulla substantiali mutatione sit necessario exstitura. Hæc Ecclesiæ perennitas non differt ab ejusdem *indefectibilitate,* quæ duo aliqui distinguunt.

Dum Ecclesiæ tribuimus perennitatem seu indefectibilitatem, loquimur, uti patet, tantum de Ecclesia universali, non de singulis ejus partibus, nam Ecclesiæ particulares deficere possunt. Est tamen etiam pars quædam Ecclesiæ quæ in se indefectibilis est, Sedes nempe Romana; quia huic speciatim eadem promissio indefectibilitatis facta fuit, quæ toti Ecclesiæ facta est, imo ab hac tamquam a fundamento firmissimo Ecclesia suam indefectibilitatem mutuatur.

436. 2. *Errores.* Plures contra veram Ecclesiæ indefectibilitatem errant, etsi non omnes eodem modo. *a)* Aliqui, uti Anabaptistæ, Swedenborgiani, Irvingiani, eam absolute negare videntur, quia exspectant novam œconomiam (Spiritus sancti), quæ succedat præsenti, sicut hæc successit œconomiæ V. T.

b) Alii dicunt, Ecclesiam ad tempus omnino deficere posse: ita, juxta Palmer, tenent Sociniani, Arminiani et alii.

c) Plerique Protestantes docent, Ecclesiam *invisibilem,* quam veram Christi Ecclesiam putant, non posse deficere; Ecclesiam vero visibilem i. e. secundum formam externam et visibilem deficere posse vel obscurari ita, ut ejus cœtus publicus nullus appareat.

d) Sunt demum aliqui, qui licet Ecclesiæ etiam visibilis indefectibilitatem admittere videantur, hanc tamen pervertant, dicendo Ecclesiam posse deficere quoad unum vel aliud, e. g. puritatem fidei, vel morum, unitatem regiminis etc. Hi omnes non solum defectibilitatem, seu possibilitatem defectionis, plus minusve asserunt; sed etiam dicunt, Ecclesiam de facto aliquo modo defecisse, ut suam ab Ecclesia catholica separationem tueantur et cohonestent.

437. Contra hos omnes itaque errores tenenda et nobis probanda est vera Ecclesiæ indefectibilitas, consistens in perenni et ex institutione Christi necessaria ejus duratione usque ad finem mundi, in ea interna et externa constitutione, in complexu earum proprietatum et dotum, in quo a Christo fuit instituta.

438. II. **Stabilitur vera doctrina.**

Thesis. Ecclesia ex institutione Christi perenniter usque ad mundi finem absque ulla substantiali mutatione est necessario exstitura.

Prob. I. *Ex prædictionibus divinis in V. T.* 1) Sane conferantur testimonia jam supra allata, Is. IX, 6 sq.: „Parvulus natus est nobis. . . . Multiplicabitur ejus imperium et *pacis non erit finis;* super solium David et super regnum ejus sedebit, *ut confirmet illud et corroboret* in judicio et justitia, amodo et *usque in sempiternum.*" Et Dan. II, 44: „Suscitabit Deus cœli regnum, quod *in æternum non dissipabitur* . . . . et ipsum *stabit in æternum.*" Cf. inter alia ps. 88. Hisce testimoniis manifeste prædicitur regnum Christi in terris perpetuo duraturum *in sempiternum, in æternum.*

Hujusmodi autem promissiones esse absolutas patet, tum quia illis prædicitur factum futurum, veritas autem prædictionis postulat ut ipsum factum actu sit; tum quia promissio fit ipsi Christo, cujus meritis rependitur tamquam præmium debitum et cui petenti tribuitur regnum sempiternum; unde ipsi, qui acquisivit Ecclesiam sanguine suo, dicitur (Ps. II, 8): „postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam."

2) In V. T. sæpe opponitur novum fœdus, regnum Christi, Ecclesia christiana, antiquo fœderi et Synagogæ, quatenus hæc desinere aliquando debeat, illa perenniter durare. Hanc doctrinam sæpius proponit et multipliciter evolvit Apostolus Paulus, præsertim in sua epistola ad Hebræos. Cf. quæ diximus in tract. de Traditione, cap. IV.

439. II. *Ex promissionibus ipsius Christi.* 1) Magnifica et solemnis est promissio Christi (Matth. XVI, 18): „Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et *portæ inferi non prævalebunt adversus eam.*" Hisce verbis Christus diserte promittit, Ecclesiam, utpote fundatam supra

firmissimum fundamentum, fore arcem in se firmissimam et inexpugnabilem, ideoque perpetuo duraturam, immutabilem et indefectibilem.

2) Promisit Christus, se futurum cum ministerio apostolico usque ad consummationem sæculi: *„Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi"* (Matth. XXVIII, 20). Prædixit Christus futurum semper permixtum bonum semen, i. e. filios regni, cum zizaniis, i. e. malis in mundo, usque ad secundum suum adventum; in eadem sagena futuros semper bonos et malos pisces (Matth. XIII, 24 sqq.); atqui hæc actualem Ecclesiæ perennitatem manifeste significant.

440. III. *Ex ipsa Ecclesiæ natura.* Ecclesia est institutum necessarium pro omnibus ad consequendam salutem; ergo tamdiu durare debet, quamdiu sunt homines salvandi per Christum, i. e. usque ad finem sæculorum. Præterea Ecclesia in terra degens est *Sponsa Christi,* quam ipse numquam odio habet, quam fovet et nutrit, sicut quilibet carnem suam (Eph. V, 29); est *corpus Christi* (I Cor. XII, 12 sqq.), quod numquam potest divelli a Christo capite, quod vivit Spiritu Christi, qui semper erit cum Ecclesia.

441. IV. *Ex suffragio Patrum,* qui unanimi consensu Ecclesiæ perennitatem et indefectibilitatem testantur. *Ambrosius* (l. de Salom. c. 4) scribit: „Navem Ecclesiam debemus accipere ..... quæ etsi undarum fluctibus aut procellis sæpe vexatur, *tamen numquam potest sustinere naufragium,* quia in arbore ejus, id est in Cruce Christus erigitur, in puppi Pater residet Gubernator, proram Paracletus servat Spiritus. Hanc per angusta hujus mundi freta duodeni in portum remiges ducunt." *S. Hieronymus* suum in Amos commentarium ita absolvit: „Ex quo intelligimus, Ecclesiam usque ad finem mundi concuti quidem persecutionibus, *sed nequaquam posse subverti:* tentari, *non superari."* *S. Augustinus* (in ps. 103. serm. 2 n. 5): „Ubi sunt qui dicunt periisse de mundo Ecclesiam, *quando nec inclinari potest?"* Et ne congeramus testimonia, manifestus est in hoc dogma communis et constans Ecclesiæ consensus.

Corollarium. Ex argumentis sequitur, Ecclesiam non solum usque ad finem mundi duraturam, sed eam etiam sine substantiali mutatione perenniter duraturam esse. Ceteroquin cum

Ecclesia Christi semper sit perseveratura, necesse est utique ut secundum essentiam talis maneat, qualem Christus eam instituit; atqui non maneret talis si mutationem substantialem admitteret: ergo.

Art. III. De Ecclesiæ visibilitate.

442. I. **Exponitur status quæstionis.** Quæstio de visibilitate Ecclesiæ haberi potest ut caput omnium controversiarum Catholicos inter et Protestantes. Negatio enim visibilitatis Ecclesiæ, a Protestantibus ex necessitate polemica adversus Catholicos excogitata, ad tuendam scil. suam ab Ecclesia Romana discessionem, est ipsis fulcimentum totius suæ hæreseos adversus fidem catholicam. Retenta enim catholica notione visibilis Ecclesiæ, evidens prorsus est, totam defectionem sæculi XVI et proinde omnes sectas inde ortas non esse nisi sectas rebelles adversus veram indefectibilem Ecclesiam Christi. Patet itaque hujus quæstionis momentum polemicum maximum esse. Ut autem status quæstionis rite definiatur, paucis exponere errorem Protestantium eique opponere doctrinam catholicam oportet.

443. 1. *Error Protestantium.* Licet incredibilis sit apud Protestantes quoad Ecclesiæ visibilitatem opinionum confusio atque diversitas, generatim tamen in eo conveniunt, quod affirment Ecclesiam veram Christi, cui soli factæ sint divinæ promissiones, essentialiter in sola forma invisibili contineri, negentque formam visibilem esse de essentia veræ Ecclesiæ Christi, seu Ecclesiæ promissionum.

Quoniam omnes et singulas illas sententias discrepantes exponere non vacat, exponemus tantum illam de Ecclesiæ natura theoriam, quam plerique Protestantes sequuntur, quæque cum indole totius ipsorum hæreseos apprime cohæret. Statuunt itaque, *Ecclesiam promissionum,* quæ sola est vera Ecclesia Christi, non constare nisi *solis membris sanctis* (juxta Lutheranos), vel *prædestinatis* (juxta Calvinianos). *Sola fide speciali* singuli christiani apprehendunt merita et justitiam Christi, et per hanc justitiam sibi imputatam singuli non quidem justi sunt, sed coram Deo *velut justi habentur.* Isti igitur sunt sancti et juxta Calvinianos prædestinati, ex quorum omnium

et solorum numero *vera Ecclesia promissionum* constituitur. Hæc membra veræ Ecclesiæ non formantur et generantur ab Ecclesia aliquo ministerio divinitus instituto, sed immediate a Deo docente, regente, sanctificante sibique copulante fideles et sanctos; singulique sibi ipsis sunt sacerdotes, non per ministerium Ecclesiæ et in Ecclesia sanctificati, sed per suam quique fidem specialem, immediate conceptam virtute Spiritus Sancti, Christi meritum apprehendentes et ita Christo capiti uniti tamquam sola vera ejus membra. In hac immediata singulorum unione cum Christo, secluso ministerio Ecclesiæ, rationem veræ Christi Ecclesiæ (quæ revera *Ecclesia* jam non est) constituunt. Ecclesia proinde ex Christi institutione per se invisibilis est.

444. Quod autem per se est invisibile potest manifestari et fieri visibile per effectus et actus externos: ita interior fides et justitia per actus externos potest manifestari, et sic habetur Ecclesia visibilis seu *visibilis forma Ecclesiæ*. Hæc tamen externa manifestatio neque est necessaria, neque est principium interioris formæ, sed ejus consequens. Visibiles utique etiam in hac theoria sunt homines, sensibilis est quoque Scriptura atque verbi prædicatio, sensibilia pariter sunt „verbi adminicula" sacramenta; ast hæc sunt tantum *„signa externa"*, et quatenus externa non propria sunt veræ Ecclesiæ, sed communia etiam massæ damnatæ; nam illa omnia, quibus uniuntur Christo et fiunt membra veræ Ecclesiæ, sunt hominibus prorsus occulta ac invisibilia et soli Deo comperta, ideoque invisibilis est vera Ecclesia, utpote quæ nihil aliud est quam numerus sanctorum vel prædestinatorum soli Deo notorum.

445. Cum vero Protestantes viderent, cum istis suis principiis nullam amplius societatem religiosam consistere posse, coacti sunt, illi Ecclesiæ invisibili superaddere constitutionem quamdam visibilem, aliam tamen ab ea, quam Christus instituit. Ideo a vera Ecclesia invisibili distinguunt „massam ecclesiasticam" visibilem, in qua latet vera Ecclesia invisibilis. Ad hanc „massam" continendam requiruntur quædam ministeria et instituta ecclesiastica, quibus constituitur „constitutio Ecclesiæ." Sed hæc, „constitutio" est humanæ originis, ideoque mutabilis, pro diversis temporibus et locis diversa.

Cum ergo hæc sic dicta Ecclesia visibilis sit humanæ originis, nulla erat ratio eam distinguendi ut diversam a societate politica; unde pronum erat colligere, principibus politicis competere jus, sicuti moderandi ceteras res politicas et civiles, ita etiam gubernandi sic dictam Ecclesiam nationalem, quod in Protestantismo ubique revera factum esse videmus (*Franzelin,* op. cit. Sect. 4. § 1).

446. 2. *Doctrina catholica.* Contra istos errores Catholici docent, *Ecclesiam ex institutione Christi esse essentialiter visibilem*, nullamque aliam esse a Christo institutam præter hanc Ecclesiam visibilem, quæ proinde etiam est *Ecclesia promissionum,* seu illa cui factæ sunt a Christo promissiones.

Antequam vero catholicam doctrinam probemus, ipsam breviter declaremus oportet. Cum de visibilitate Ecclesiæ agitur, non quæritur de ejus visibilitate tantum materiali, sed *de formali.* Non quæritur scil., utrum ea, quibus Ecclesia constat (personæ, ritus quibus sociantur, ministerium quo reguntur et hujusmodi), videri possint; sed quæritur, an videri et innotescere possit, has personas, hos ritus, hoc ministerium et hujusmodi esse ipsam Ecclesiam Christi, adeo ut Ecclesia sit *formaliter* visibilis i. e. visibilis ut vera Ecclesia Christi, et ut talis ab aliis cœtibus discernibilis. Jam vero Catholici docent, Christum instituisse suam Ecclesiam ut visibilem, ideoque Ecclesiam Christi ex essentia sua esse formaliter visibilem.

447. Dum autem dicimus, Ecclesiam esse essentialiter visibilem neque aliam dari Ecclesiam Christi nisi visibilem, sane non negamus in Ecclesia esse etiam essentialia elementa per se *invisibilia:* non negamus in ipsis Ecclesiæ elementis visibilibus esse proprietates, virtutes ac vires efficaces, quæ sint per se invisibiles. Neque enim Ecclesia est cadaver, sed corpus Christi vivens supernaturali virtute ac vigore. Et re quidem vera Ecclesia constat et coalescit non ex solis elementis visibilibus et hominibus certis externis vinculis sociatis; sed ad eam essentialiter quoque pertinent elementa invisibilia et supernaturalia, quibus elementa externa et visibilia informantur, elevantur et ita formaliter constituuntur *ecclesiastica.* Ideo Catholici in Ecclesia solent distinguere duplicem partem essentialem: elementum visibile, humanum, quod *corpus* vocant;

elementum invisibile internum, divinum, quod *animam* Ecclesiæ dicunt: ex duobus conjunctis coalescit Ecclesia. Elementa per se invisibilia manifestantur per elementa visibilia, cum quibus necessario connectuntur, et in quibus atque per quæ innotescunt. Quare Ecclesia, licet non *secundum totum*, tamen *tota* est visibilis. Quibus præstitutis

448. II. **Statuitur vera doctrina.**

Thesis. Ecclesia Christi est ex essentia sua formaliter visibilis: unde non duplex est Ecclesia, una visibilis et altera invisibilis, sed una est Ecclesia essentialiter visibilis; quæ proinde etiam est Ecclesia promissionum. (1)

Prob. I. Ex probata veritate institutæ a Christo Ecclesiæ. 1. Eo ipso, quod Christus aliquam Ecclesiam seu societatem religiosam in terris instituit, certum quoque est ipsum hanc suam Ecclesiam instituisse ut visibilem. Nulla enim est societas inter homines, quæ non contineatur suis nexibus externis et visibilibus. Hi autem nexus sequuntur naturam ipsius societatis, cujus sunt ratio formalis propria. Proinde etiam Ecclesia Christi utpote vera societas suis nexibus continetur: et hi nexus unionis, quibus illa societas formatur et intrinsece constituitur, secundum naturam illius societatis humano-divinæ necessario debent esse *a) visibiles,* secus *Ecclesia in terris et humana societas* non esset, et *b) ab ipso Christo fundatore inditi,* secus non esset societas et Ecclesia *divina* et *christiana.* Ergo Christus, instituens Ecclesiam in terris, necessario eam instituit ut visibilem; ideoque eo ipso, quod constat Christum constituisse aliquam Ecclesiam in terris, certum quoque est ipsum hanc suam Ecclesiam ut visibilem instituisse.

449. Et re quidem vera 2. *Christus totam suam religionem non aliter instituit nisi sub forma concreta visibilis Ecclesiæ.* Sane tota religio christiana continetur veritate doctrinæ revelatæ ad credendum in fide; sanctitate præceptorum et disciplina ad christiane vivendum in fide, spe et caritate; mysteriis sacrificii et sacramentorum ad adorandum Deum in cultu perfecto, et ad sanctificandos homines in gratia ex opere operato.

(1) Cf. *Bellarminus,* l. 3. c. 11 sq.; *Murray,* de Eccl. Christi, disp. 5; *Franzelin,* th. 21; *Mazzella,* disp. 3. art. 4; *Palmieri,* § 10; *De Groot,* q. 3. art. 2; *Hurter,* n. 199 sq.; *Pesch,* n. 322 sqq.; *Tanquerey,* n. 101 sqq.

Atqui hæc omnia Christus non aliter instituit et constituit pro hominibus nisi *in visibili authentico magisterio* Apostolorum eorumque usque ad finem mundi successorum, quo tota veritas revelata doceatur, et cui respondere debeat totius Ecclesiæ fides tum interna tum externa; *in visibili sacro regimine* eorumdem legatorum, quo vita et disciplina christiana in tota Ecclesia dirigatur; *in visibili sacerdotio,* quo iidem sunt insigniti, ut offerant sacrificium eucharisticum ad divinum cultum et communem fructum totius Ecclesiæ, et ut Ecclesiam in suis membris sanctificent per visibilia sacramenta. Christum non nisi sub hac forma concreta suam instituisse religionem et Ecclesiam, manifestissimum est ex tota historia revelationis, nominatim ex factis et verbis Christi atque Apostolorum, quod ex postea dicendis de Ecclesiæ constitutione magis patebit. In his igitur visibilibus elementis Ecclesia a Christo est instituta et ex his essentialiter componitur. Ergo Ecclesia est ex institutione Christi essentialiter visibilis.

450. II. *Probatur ex eo, quod Ecclesia est pro omnibus hominibus medium necessarium ad salutem consequendam.* Homines æternam salutem consequi non possunt nisi in Ecclesia et per eam, a qua petere et accipere debent fidem et sanctificationem; ideoque tenentur homines Ecclesiam ingredi. Atqui hoc præstare non possunt, nisi Ecclesiam Christi cognoscere et ab aliis cœtibus dignoscere queant. Ergo Ecclesia Christi est cognoscibilis ac discernibilis, ideoque formaliter visibilis.

451. III. Ideo Ecclesia Christi in *S. Scriptura* manifeste exhibetur et describitur ut visibilis. *a*) Est enim Ecclesia Christi *regnum, civitas, domus, ovile, corpus;* est *tribunal* ad quod mali sunt deferendi (Matth. XVIII, 17); atqui hæc omnia exhibent Ecclesiam ut societatem hominum non solum cum Deo sed et inter se mutuo conjunctorum, quæ sane societas est ex natura sua necessario visibilis. Ergo illa exhibent Ecclesiam natura sua visibilem.

b) Et in prædictionibus propheticis V. T. prænuntiatur ac promittitur Ecclesia ut cœtus eminenter visibilis et maxime conspicuus. Est enim *domus Dei Jacob in monte sita, ad quam populi multi certatim confluunt, ut doceantur vias Domini et ambulent in semitis ejus* (Is. II, 2 sqq.; Mich. IV, 1 sqq.)

Est præterea cœtus, *per quem ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen Domini in gentibus, quatenus in omni loco sacrificatur et offertur nomini Dei oblatio munda* (Malach. I, 10 sq.)

452. IV. *Ex luculento antiquitatis christianæ testimonio.* Ea sane est Ecclesia Christi, quam unice cognovit et de qua unice loquitur traditio christiana; atqui traditio christiana non cognovit aliam Ecclesiam nisi eam, quæ natura sua sit formaliter visibilis, quæ ita sit conspicua, ut non possit non esse conspicua; ergo Ecclesia Christi est natura sua formaliter visibilis. Hujus traditionis christianæ testes locupletissimi sunt SS. Patres. In re manifesta pauca sufficiant testimonia. Ecclesia „plena est fulgore ab oriente usque ad occidentem; plena est lumine vero, est columna et firmamentum veritatis" (*Origenes* in Matthæi XXIV, 23); „Ecclesia Domini luce perfusa per totum orbem radios suos porrigit unumque lumen est quod ubique diffunditur" (*S. Cyprianus,* de Unit. Eccl.); imo „neque sol ita splendidus, neque ejus lux ita clara est, ut sunt res ad Ecclesiam spectantes, nam domus Dei supra verticem montium" (*S. Chrysostomus* in Isaiæ c. 2); ideo *S. Augustinus* (tract. 1 in ep. S. Joan. n. 13) „nonne aperta est (Ecclesia)? nonne manifesta? .... ecce mons implens universam faciem terræ: ecce civitas de qua dictum est: non potest civitas abscondi super montem constituta."

453. **Corollarium.** Cum, uti demonstravimus, non alia a Christo instituta sit Ecclesia præter visibilem, consequitur hanc ipsam Ecclesiam visibilem esse Ecclesiam *promissionum,* ad quam et ad quam solam referantur promissiones omnes a Christo Ecclesiæ suæ factæ. Imo iisdem verbis, quibus Christus institutionem suæ visibilis Ecclesiæ enuntiavit, etiam declaravit ejusdem indefectibilitatem, infallibilitatem, auctoritatem ac potestatem perennem; ita ut Ecclesia visibilis manifeste exhibeatur ut subjectum, cui factæ sint magnificæ illæ promissiones.

454. **Scholion.** *Solvuntur difficultates.* 1. Opponunt visibilitati Ecclesiæ, quod hæc in symbolo exhibeatur *objectum fidei:* „credo sanctam Ecclesiam;" unde arguunt: vera Ecclesia fide creditur, ergo est invisibilis.

Resp. Primo retorqueri potest argumentum hoc modo:

credenda est *hæc* Ecclesia; atqui *hæc* Ecclesia credi non potest nisi sit quoque visibilis ac sensibus demonstrabilis; ergo Ecclesia ita est objectum fidei, ut sit etiam necessario visibilis. Et re quidem vera satis non est credere aliquam Ecclesiam a Christo esse institutam, sed credenda est hæc determinata Ecclesia, quam Christus instituit et quæ nunc existit inter homines. Jam vero ut certa Ecclesia in particulari seu ut hæc Ecclesia credatur, oportet ut hoc objectum fidei sit in facto positum et sensibus quoque demonstrabile; secus enim non potest dici hæc Ecclesia.

Ut autem appareat quam absurda sit ista adversariorum conclusio, et ut simul ipsa visibilitatis notio illustretur, declarandum est, quomodo hæc duo concilientur: Ecclesia est visibilis et est objectum fidei.

Itaque *respondemus secundo,* ipsa Ecclesia visibilis est objectum fidei, ita tamen ut sub alia ratione formali ac consideratione sit visibilis ac naturaliter intelligibilis, et sub alia ratione per fidem supernaturalem credenda.

Et sane *a)* Ecclesia Christi est quovis tempore visibilis in sua constitutione et elementis externis: in magisterio cum respondente professione fidei, in regimine cum sacra disciplina et externa vita christiana, in sacerdotio cum sacrificio, sacramentis ac cultu divino. Accedunt et huc pertinent *notæ* externæ, quæ tum ut signa distinctiva a Christo suæ Ecclesiæ indita eam visibiliter manifestant ac reddunt certo cognoscibilem, tum ut motiva credibilitatis reddunt Ecclesiam evidenter credibilem. In his igitur elementis visibilibus ac notis externis et per hæc Ecclesia est visibilis ac certo cognoscibilis et quidem formaliter ut vera Ecclesia Christi.

b) Hæc ipsa Ecclesia cum omnibus suis elementis visibilibus ac notis externis etiam describitur ac revelatur verbo Dei; ideoque ut revelata est objectum fide divina credendum propter auctoritatem Dei revelantis. Præterea Ecclesiæ visibili juxta revelationem insunt attributa divina, uti auctoritas, indefectibilitas, infallibilitas, efficacia sacrificii ac sacramentorum aliæque proprietates supernaturales, quæ sola revelatione innotescunt, atque adeo fide divina creduntur. Quare eadem Ecclesia, quæ eo, quo diximus, modo est visibilis, etiam *ut objectum divinæ revelationis et subjectum supernaturalium*

proprietatum fide divina creditur. In hoc sane ne umbra quidem contradictionis inveniri potest.

455. 2. Plura etiam *Scripturæ testimonia* afferuntur a Protestantibus ad probandam suam doctrinam: Ecclesiam posse esse invisibilem. Cum autem Ecclesia in ipsa S. Scriptura, uti vidimus, disertissime exhibeatur ut essentialiter visibilis, ex hoc ipso jam *indirecte* constat, illorum testimoniorum non illum posse esse sensum, quem volunt Protestantes. Ceterum facile etiam *directe* ostenditur, illa testimonia ad rem, de qua agitur, nihil pertinere. Provocant inter alia *a)* ad verba Is. LIV, 13: „ponam universos filios tuos *doctos a Domino*", quibus excluditur, dicunt, visibile magisterium. *b)* Ad verba Christi (Luc. XVII, 20): „*Non venit regnum Dei cum observatione . . . . Ecce enim regnum Dei intra vos est,*" quæ juxta ipsos manifeste significant Ecclesiam invisibilem. *c)* Ad hæc alia (Joan. IV, 23): „venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem *in spiritu et veritate*"; hæc, aiunt, significant adorationem seu cultum Dei esse invisibilem, ideoque et invisibilem esse Ecclesiam. *d)* Ad illud 1 Petr. II, 5: „ipsi tamquam lapides vivi superædificamini *domus spiritualis*"; quod autem spirituale est, dicunt, est invisibile.

Respondemus ad *a)* Verbis Isaiæ non excluditur externum ac visibile magisterium, sed asseritur interna gratia et unctio, abundantior in N. T., qua Deus interius docet ac persuadet, quod per externum magisterium proponitur, quæque adeo est necessaria, ut sine hac externum magisterium nihil proficeret. Hunc esse illorum verborum sensum, patet ex eo, quod illa hoc sensu a Christo citantur (Joan. VI, 45): „est scriptum in prophetis: et erunt omnes docibiles Dei: omnis qui audivit a Patre et didicit venit ad me."

Ad *b)* Verba Christi apud Lucam nullatenus opponuntur visibilitati Ecclesiæ. Etenim illud *cum observatione* significat vel cum sæculari pompa ac apparatu, vel juxta alios cum subtili indagatione. Illud autem *regnum Dei jam intra vos est* probabilius designat ipsum Christum fundatorem Ecclesiæ jam præsentem, in quo tamquam in radice fecunda continebatur regnum Dei fundandum. Pharisæis itaque interrogantibus; quando venit regnum Dei? respondet Christus: non venit regnum Dei cum sæculari pompa ac apparatu, vel non

est opus subtili indagatione ut ejus adventus cognoscatur, et rationem reddit, quia jam erat præsens: „ecce enim regnum Dei intra vos est" i. e. in medio vestri. Hoc autem nedum neget Ecclesiæ visibilitatem, eam potius prædicat.

Ad *c)* In verbis Christi apud Joannem adoratio *in spiritu et veritate,* quæ erit in N. T., non opponitur veteri quatenus hæc erat externa et illa erit mere interna; sed opponitur tamquam spiritualis ac perfecta adorationi Judæorum carnali ac imperfectæ, et tamquam vera adorationi Samaritanorum falsæ. Nomine *adorationis* in objecto loco, uti ex contextu patet, sacrificium significatur: opponitur ergo sacrificium novi Fœderis sacrificiis Judæorum et Samaritanorum. Porro cultus sacrificalis Judæorum verus quidem tunc erat, sed *carnalis* i. e. per victimas carnales: cultus vero Samaritanorum *falsus* erat, quia adorabant quod nesciebant. Utrique opponit Christus cultum sacrificalem novi Testamenti: cultui Samaritanorum, quia erit *in veritate* seu verus; cultui Judæorum, quia erit *in spiritu,* i. e. offeretur victima spiritualis, supernaturalis nempe et vivificans. Non igitur dicit Christus, cultum in novo Testamento fore mere internum, nec proinde excludit cultum externum; imo potius significat, etiam in novo Testamento cultum fore visibilem, quia, cum sacrificium sit actus cultus externi ac publici, cultus sacrificalis necessario est visibilis.

Ad *d)* S. Petrus vocat Ecclesiam *domum spiritualem* non per oppositionem ad visibilem; sed vel per oppositionem ad domum materialem; vel ut significet prærogativam propriam novi Testamenti, quod sit fœdus gratiæ, fidelesque vi illius vivant vita supernaturali ac divina sintque templum Spiritus Sancti.

456. 3. Ne quis contra visibilitatem Ecclesiæ urgeat *invisibilitatem fidei et characteris sacramentalis* (in rite baptizatis), animadvertendum est, hanc nullatenus obesse visibilitati Ecclesiæ. Nam fides et character *a)* sunt moraliter certa per se propter externam fidei professionem et susceptionem Baptismi, si non in singulis, saltem universim in ipso cœtu; ex ipsa enim lege morali, qua reguntur homines, repugnat, ut simulatio et hypocrisis inveniantur in multis. *b)* Ea simpliciter certa fiunt in ipso cœtu ejusque membris generatim per externam Ecclesiæ formam ex promissione divina, qua

constat, ibi fore veros fideles veraque Christi membra, ubi est principium (externum ministerium divinitus constitutum) adunationis corporis Christi. Neque obest de singulis id semper certo affirmari non posse, nam visibilitas Ecclesiæ non oritur ex visibilitate singulorum seorsim consideratorum, sed ex visibilitate collectionis et conjunctionis plurium, qui quidem omnes sunt baptizati ac profitentur eamdem fidem, et de quorum maxima parte constat, ex ratione data, eos rite esse baptizatos, neque per hypocrisim profiteri eamdem fidem.

CAPUT II.

DE ECCLESIÆ NATURA ET CONSTITUTIONE.

457. Ex hucusque demonstratis liquet, Ecclesiam ex Christi institutione esse veram *societatem,* eamque *visibilem:* et in hoc generice convenit Ecclesia cum qualibet alia societate inter homines existente. Jam ad specificam Ecclesiæ naturam ac constitutionem rimandam progredimur. Hæc autem specifica natura, qua Ecclesia Christi a ceteris societatibus distinguitur, maxime pendet ab ejus fine. Quare in investiganda natura Ecclesiæ exordimur ab inquirendo ejus fine, ex quo sequitur ipsius Ecclesiæ supernaturalitas et cum quo proxime cohæret ejusdem necessitas. Fini autem respondet propria constitutio Ecclesiæ, quæ exsurgit ex ejus potestate, ex auctoritate apostolica, quam Christus in Ecclesia constituit et vi cujus competunt Ecclesiæ omnes proprietates, quæ ei insunt. Istis declaratis porro facile solvitur quæstio, quinam homines pertineant ad Ecclesiam Christi, seu quinam sint membra Ecclesiæ. Hæc igitur omnia, ex quibus penitius intelligitur natura et constituo Ecclesiæ, complectimur hoc capite, quod ideo dividimus in tres articulos. 1mo agemus de Ecclesiæ fine, supernaturalitate ac necessitate; 2do de Ecclesiæ potestate; 3^{tio} de Ecclesiæ membris.

ART. I. De Ecclesiæ fine, supernaturalitate ac necessitate.

§ 1. De Ecclesiæ fine.

458. **Prænotandum.** Dum quærimus finem Ecclesiæ, non quærimus, quinam sit ejus *finis ultimus* et supremus; hic non potest esse alius quam *manifestatio gloriæ divinæ,* quæ est finis ultimus omnium operum Dei ad extra. Sed quæritur, quisnam sit Ecclesiæ *finis proximus* et *proprius,* quo ab omnibus aliis societatibus essentialiter distinguatur. Itaque

I. *Finis institutæ a Christo Ecclesiæ est, ut homines per eam et in ea sanctitatem et æternam salutem consequantur.* Hominum sanctificationem ac salutem esse Ecclesiæ finem, ita manifestum est, ut vix probatione indigeat. Sane finis Ecclesiæ est ipse finis incarnationis et redemptionis; Christus enim instituit Ecclesiam, ut in ea et per eam perennem redderet suam visibilem in terris missionem, seu per Apostolos eorumque usque ad finem mundi successores Christus prosequitur opus, ad quod missus est; nam sicut Eum misit Pater, ita et Ipse misit Apostolos (Joan. XX, 21). Atqui finis incarnationis et redemptionis est hominum sanctitas et salus æterna: Pater enim misit Christum in mundum, *„ut salvetur mundus per Ipsum"* (Joan. III, 17), et Christus ipse expresse declarat (Joan. X, 10): *„ego veni ut vitam* (supernaturalem gratiæ) *habeant, et abundantius habeant."* Et re quidem vera finis instituti a Christo perennis ministerii in Apostolis est, ut homines per Apostolorum eorumque successorum magisterium veram doctrinam salutarem doceantur et credant; ut per sacramenta ab ipsis administrata a peccatis liberentur ac sanctificentur; ut regantur eorum auctoritate, quæ ordinata est „ad consummationem sanctorum" (Eph. IV, 11 sq.). Sanctitas igitur et salus hominum est finis Ecclesiæ.

Porro dicimus, hunc finem *per Ecclesiam* et *in Ecclesia* obtineri. Primo obtinetur *per Ecclesiam;* quia obtinetur tum exercitio potestatis factæ Apostolis docendi, regendi ac sanctificandi, tum debita hominum subordinatione iisdem docentibus, regentibus, sanctificantibus; atqui his duobus elementis simul junctis, auctoritate nempe præpositorum et subjectione fidelium constituitur Ecclesia: ergo. Secundo obtinetur *in Ecclesia:* obtinetur

enim quatenus homines subordinantur doctoribus, rectoribus, sanctificatoribus suis; atqui hoc ipso in Ecclesia sunt: ergo

459. II. Ex hoc ipso, quod sanctitas et salus hominum est finis proximus et immediatus Ecclesiæ, consequitur 1) *hunc finem esse Ecclesiæ omnino proprium.* Ceterarum enim societatum finis proprius et immediatus est bonum temporale; salus autem æterna hominum est quidem finis, quem etiam aliæ societates aliquo modo intendere debent, quia huic fini ceteri omnes fines temporales subordinati esse debent; sed non est in illis nisi finis generalis et *remotus.*

2. Consequitur *Ecclesiam esse medium salutis.* Ut hoc distinctius intelligatur, distinguendum est in Ecclesia id quod habet rationem medii, et id quod habet rationem finis. Prout Ecclesia dicit ministerium apostolicum et hominum subordinationem ad ipsum, est medium a Christo institutum ad sanctitatem ac salutem hominum consequendam. Prout vero dicit hominum fidelium et sanctorum unionem cum Deo, est finis quem Christus intendit. Primum in his terris in statu viæ tantum obtinet; alterum in cœlis quoque in termino perennabitur *(Palmieri,* § 4). (1)

§ 2. Ecclesiæ supernaturalitas, ejusque habitudines ad Christum.

460. I. **Ecclesia est societas spiritualis ac supernaturalis.** Id manifeste colligitur ex Ecclesiæ fine. Etenim natura et essentia societatis determinatur a fine. Atqui Ecclesiæ finis est spiritualis et supernaturalis; est enim interior sanctitas sita in adoptiva filiatione Dei, ita ut fideles, si sint quales esse debeant, vocentur filii Dei adoptivi, templum Dei, templum Spiritus S., habitaculum SS. Trinitatis: est et beatitudo cœlestis sita in intuitiva ac beatifica Dei visione. Ergo Ecclesia est societas spiritualis ac supernaturalis. Et re quidem vera, statuto fine supernaturali, sequitur Ecclesiam esse cœtum essentialiter auctum bonis supernaturalibus; talis autem cœtus profecto est supernaturalis. Sane Ecclesia essentialiter aucta est bonis supernaturalibus: tum *destinatione,* quia ex essentia sua destinata est ad finem supernaturalem; tum *active* seu

(1) Cf. *Mazzella,* disp. 3. art. 5; *Hurter,* n. 202 sqq.

efficienter, quatenus essentialiter habet potestatem ac media efficacia conferendi et augendi dona supernaturalia; tum *formaliter,* quatenus eo ipso actu possidet elementa ac bona supernaturalia.

Ex eo autem, quod Ecclesia est societas *spiritualis,* minime sequitur eam nullum jus habere utendi mediis *materialibus.* Non enim est societas spiritualis hoc sensu, quod ex spiritibus sit conflata; sed est societas spiritualis, quia destinata est ad finem spiritualem. Jam vero quævis societas jus habet ad illa media, quæ ad suum finem consequendum necessaria sunt; atqui finis spiritualis, si agatur de societate *humana,* cujus membra sint homines ex anima et corpore compositi, media non solum mere spiritualia, sed etiam materialia necessario exigit. (1)

461. II. **Ecclesiæ habitudines ad Christum.** Ad Ecclesiæ supernaturalitatem præclarasque ejus prærogativas declarandas maxime conducit consideratio mirabilium habitudinum, quibus refertur ad Christum, nominatim tamquam ad suum sponsum et caput. Christus est fundator et sanctificator, sponsus et caput, exemplar et finis suæ Ecclesiæ: per has mirabiles habitudines Christi ad suam Ecclesiam, hæc manifeste constituitur in ordine supernaturali, in quo est Christus Verbum incarnatum.

1. *Christus est Ecclesiæ fundator et sanctificator.* Causa efficiens ac meritoria Ecclesiæ est Christus per suum opus redemptionis. Sane *a)* Ecclesia Jesu Christi est *mundus supernaturaliter transformatus* efficienter a Christo Redemptore per divinam doctrinam, legem et gratiam. Christus enim *magisterio* doctrinæ externæ et internæ illuminans, *imperio* legis ordinans ac gratia confortans, *sacerdotio* sanctificationis justificans et perficiens electos de mundo fide, spe et caritate, doctrina, lege et cultu divino secum ipso et omnes inter se invicem unit, hacque unione externa et interna transformans mundum constituit regnum Dei in terris seu Ecclesiam. Quia autem hæc Ecclesia usque ad consummationem sæculorum durare debet, ideo perennis est in ea sicut forma interna et invisibilis donorum gratiæ, ita forma externa et visibilis in

(1) Cf. *Mazzella,* l. c.; *Hurter,* n. 205.

supernaturali magisterio, imperio, sacerdotio, quod a Christo perenniter derivatur in Ecclesiam. Porro *b)* Christus istam mundi transformationem meruit sanguine suo in cruce effuso. Etenim sanguine suo, tota nempe vita sua ac morte, meruit Christus omnia dona transformantia ac sanctificantia, tam interna quam externa. Quare pretium *redemptionis* mundi et *emptionis Ecclesiæ* est sanguis Filii Dei incarnati: ideoque in ipsis SS. Litteris Ecclesia Christi expresse dicitur (Act. XX, 28): „Ecclesia Dei, quam acquisivit sanguine suo."

462. 2. *Ecclesia est sponsa et corpus Christi.* Hisce præclare exprimitur Christi cum sua Ecclesia intima unio, et effusissima in eam dilectio ac efficientia, et Ecclesiæ sublimatio.

a) Ecclesia dicitur *sponsa* Christi ad designandam Christi intimam cum Ecclesia unionem, et efficacissimam erga eam dilectionem cum largissima donorum cœlestium communicatione. Intima sane amoris, communicationis, unitatis habitudo inter homines est in matrimonio. Jam vero Christus Dominus, ut hæc unitas inter sponsum et sponsam suæ unionis, dilectionis, communicationis et tutelæ, qua Ecclesiam complectitur, perpetua esset objectiva *repræsentatio,* matrimonium elevavit ad ordinem supernaturalem sacramenti; ita ut hæc supernaturaliter sanctificata indissolubilis unitas inter virum et uxorem sit „sacramentum magnum in Christo et Ecclesia" (Eph. V, 32). Multo igitur sublimior, intimior et efficacior est unio et communicatio Christi sponsi cum Ecclesia sponsa, quam sanctificata unitas viri cum uxore, nam hæc illius tantum est sacrum signum et similitudo. Christus per hanc sui ipsius unitionem et amantissimam donorum cœlestium communicationem efformat, sanctificat, fecundat, glorificat Ecclesiam suam: imo tanta est Christi erga suam Ecclesiam dilectio, ut „seipsum tradiderit pro ea, ut illam sanctificaret et exhiberet sibi gloriosam, ut sit sancta immaculata" (Eph. V, 25 sqq.). (1)

Frequenter etiam in aliis S. Scripturæ locis, nominatim in toto fere libro Cantici Canticorum, hæ spirituales Christi cum Ecclesia nuptiæ laudantur.

463. *b)* Ecclesia est *corpus Christi.* Secundum hanc rationem Apostolus Paulus Ecclesiam data opera describit in suis

(1) Cf. Eph. V, 23, 32.

epistolis: 1 Cor., ad Eph. et ad Coloss. Hæc appellatio non solum communiter occurrit penes Patres et Theologos, sed ipsi etiam populo fideli familiaris est; eaque plenius exprimitur per formulam, qua jam Ecclesia solet dici *corpus Christi mysticum.* Hujus itaque appellationis sensum aliquatenus exponamus.

Primo quoniam Ecclesia vocatur *corpus,* significatione translata a corpore organico humano, est in se quoddam *corpus morale,* similitudinem habens cum corpore organico physico, quam similitudinem declarat Apostolus nominatim 1 Cor. XII. Componitur enim Ecclesia pluribus hominibus tamquam *membris* in gradibus et functionibus diversis, quæ omnia membra communi fine communibusque mediis varie distributis atque sic conspirantibus viribus inter se uniuntur, et ab uno rectore tamquam *a capite* in usu mediorum, in assecutione finis, in vita sociali conservantur ac diriguntur.

Ast Ecclesia non solum corpus vocatur, sed *corpus Christi,* quo significatur intima ac efficacissima unio Christi capitis cum Ecclesia corpore suo. Vocatur autem corpus Christi *mysticum,* tum negative quia non est corpus Christi physicum, tum positive et præcipue quia ista intima unio Christi capitis cum Ecclesia corpore suo est *mysterium* credendum et ideo recte dicitur *mystica.*

In quo igitur consistit illa intima ac efficacissima unio *Christi capitis* cum *Ecclesia corpore suo,* et quid proinde importat illa appellatio, qua Ecclesia dicitur *corpus Christi mysticum ?*

Resp. Juxta doctrinam ipsius Apostoli importat 1) *unionem operationis charismatum et gratiarum ex Christo capite in corpus.* A Christo enim capite ordiuntur et per totum corpus diffunduntur organice dispositæ juncturæ quædam veluti nervi et arteriæ, per quas totum corpus et nectitur cum suo capite et in se suisque membris disponitur, unitur, continetur, et per quas vivifica virtus ac vita supernaturalis in totum corpus cohærens diffunditur secundum mensuram uniuscujusque membri. „Est caput Christus, ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri" (Eph. IV, 15 sq.). Illæ juncturæ subministrationis sunt ministeria a Christo instituta, et cum his connexa charismata et sacra-

menta et media sanctificationis, atque cum his omnibus conjuncta et in his omnibus residens vivificans virtus Christi (ibid. IV, 11 sq.)

2) *Hinc augmentum in vita supernaturali corporis ad Christum caput.* Virtute enim vivifica per multiplices juncturas ex capite defluente crescit corpus in fide et caritate, ut conformetur suo capiti Christo. (ibid. IV, 15 sq.)

3) Imo tanta est unio inter Christum caput et Ecclesiam corpus ejus, ut ex iis exsurgat *una persona moralis* seu *unum subjectum juris,* ita ut honor et injuriæ referantur a corpore ad caput, valor et efficacia ministeriorum atque prærogativæ supernaturales a capite dimanent in corpus. Ideo Ecclesia est *plenitudo* Christi, qui ut *effectu ipso plenus redemptor* includit in hac sua plenitudine Ecclesiam redemptam, sanctificatam, consummatam. (1)

4) Hujus demum unionis fastigium est *inhabitatio Christi capitis in Ecclesia suo corpore per sacrificium et sacramentum eucharisticum;* per quam unionem, uti Patris loquuntur, reddimur Christo „concorporales et consanguinei." „Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus" (1 Cor. X, 17).

464. 3. *Christus est exemplar suæ Ecclesiæ.* Ecclesia enim secundum suum elementum visibile et invisibile refert similitudinem et imaginem Verbi incarnati subsistentis in invisibili divina et visibili humana natura. Invenitur hæc similitudo *a) in constitutione* Ecclesiæ generatim, quæ coalescit ex conjunctis elementis humanis visibilibus et elementis divinis invisibilibus priora informantibus ac elevantibus et sic constituitur humano-divina, sicut Verbum per unionem divinæ et humanæ naturæ est Deus-homo. *b)* Speciatim tum in *ministeriis* visibilibus magisterii, imperii et sacerdotii, quæ informantur charismate invisibili ac divino; tum in *sacramentis,* in quibus res sensibilis per divinam virtutem sanctificatricem invisibilem elevatur et constituitur sacramentum supernaturale. *c)* Demum refert Ecclesia imaginem sui fundatoris et capitis in vita et passione atque in sua glorificatione tam inchoata quam consummata.

(1) Cf. Act. IX, 4; Gal. IV, 19; Eph. I, 23; IV, 13; I Cor. XII, 12; XV, 28.

465. 4. *Christus seu gloria Christi est finis Ecclesiæ.* Ecclesia tam militans in terris quam triumphans in cœlis ex sua intima natura ordinatur ad gloriam Christi. Etenim in SS. Litteris dicitur, Christum fudisse sanguinem, ut sibi acquireret et sanctificaret Ecclesiam; fideles adeoque Ecclesiam esse Christi ipsique totam dicatam ac consecratam esse: „omnia vestra sunt; *vos autem Christi*" (1 Cor. III, 22 sq.); Ecclesiam esse objectivam manifestationem gloriæ Christi. Hæc autem Christi glorificatio, quæ inchoatur in Ecclesia militante, consummabitur in Ecclesia triumphante per finalem sanctorum clarificationem. Hinc Ecclesia militans in terris ordinatur, progreditur et anhelat ad hanc finalem glorificationem; et sicut Synagoga exspectabat velut suum finem primum Christi adventum, ita Ecclesia habens suum redemptorem jam præsentem aspirat ad secundum adventum Christi consummatoris. Cf. *Franzelin*, op. cit. th. 17 sqq., qui Ecclesiæ ad Christum habitudines ample ac præclare exponit, et a quo hic tradita desumpsimus.

466. **Corollarium.** Ex eo, quod Ecclesia habet finem supernaturalem et est proinde societas supernaturalis, sequitur *eam a quavis societate civili et politica esse prorsus distinctam.* Ceteroquin id ipsum expresse enuntiat Christus (Joan. XVIII, 36) dicens: „Regnum meum *non est de hoc mundo* . . . . regnum meum *non est hinc.*"

467. **Scholion.** *Corpus et anima Ecclesiæ.* Ex iis, quæ dicta sunt de Ecclesiæ visibilitate ac supernaturalitate, liquet in Ecclesia distinguendum esse elementum visibile externum, et elementum invisibile internum, quo illud primum informetur, elevetur ac determinetur, sicut corpus vivum informatur anima. Hinc distinguitur a theologis in Ecclesia *corpus* et *anima.* Licet autem generatim referri possit ad Ecclesiæ *corpus* quidquid est visibile, externum et veluti determinabile, et ad ejus *animam* quidquid est per se invisibile, internum ac determinans; solet tamen illa distinctio adhiberi ratione vitæ internæ supernaturalis, ita ut proprie *anima* dicatur *principium formale hujus vitæ supernaturalis* in membris Ecclesiæ et consequenter in ipsa Ecclesia: hoc principium formale et proinde anima sunt supernaturalia interna dona fidei, spei et caritatis, gratiæ sanctificantis, ceterarumque virtutum ac donorum Spiritus sancti.

§ 3. De Ecclesiæ necessitate.

468. I. **Exponitur doctrina.** 1. Societas *voluntaria* illa est, quam ingrediendi nulla datur obligatio; *necessaria* vero ea dicitur, a qua abstinere non licet. Necessitas autem societatis incundæ potest esse vel a natura, vel ab institutione seu lege positiva. Jam vero dicimus, *ex divina institutione necessarium esse hominibus pertinere ad Ecclesiam Christi,* ut æternam salutem consequantur.

2. Porro duplex distinguitur necessitas, *medii* et *præcepti.* Necessitas mera *præcepti* unice oritur ex imperio superioris, quod imperium est adimplendum, ut servetur ordo moralis et ut vitetur peccatum, quod est impedimentum gratiæ et salutis. Necessarium itaque ad salutem mera necessitate præcepti illud est, quod faciendum est, ut vitetur peccatum et ut removeatur obex gratiæ. Necessitas *medii* oritur ex connexione medii tamquam causæ sine qua non cum fine, quæ connexio oriri potest vel ex ipsis rerum naturis vel ex libera institutione illius, qui potestatem habeat connectendi consecutionem finis cum aliquo medio. Illud igitur est necessarium necessitate medii ad salutem, quod est reapse medium sive causa positive influens seu conferens ad salutem ita, ut sine illa salus obtineri nequeat.

Hinc sequitur, salutem obtineri non posse sine illo, quod est necessarium necessitate medii, etiam inculpabiliter omisso: quia non posita causa (sine qua non) effectus esse nequit; econtra vero *inculpabilem* omissionem illius, quod est tantum necessarium necessitate præcepti, non obesse saluti: quia talis omissio fit sine peccato et necessarium necessitate præcepti faciendum tantum est, ut vitetur peccatum.

469. Cum igitur medium hic significet *causam,* necessaria necessitate medii ad salutem sunt ea omnia et sola, quæ per modum causæ vel formalis, vel efficientis, vel disponentis conducunt ad salutem ita, ut sine illis salus haberi nequeat. Hæc porro sunt triplicis ordinis. *a*) Per modum causæ formalis necessarium medium est *gratia sanctificans,* et hujus medii necessitas in præsenti ordine supernaturali est *fundamentalis.* Hæc enim gratia sola sufficit et sine ea nihil sufficit ad salutem; alia media necessaria tantum sunt, quatenus ad

gratiam sanctificantem acquirendam vel conservandam requiruntur. Itaque *b*) pro adultis in ordine ad ipsam gratiam sanctificantem acquirendam et consequenter ad salutem necessaria media sunt *gratiæ actuales* et quidam *actus supernaturales* per modum causæ disponentis. Utraque hæc causa tum formalis tum disponens est necessaria ex ipsa ratione supernaturalis finis, ideoque ex ipsa natura rei, sine alia speciali Dei institutione. *c)* Sunt tamen in præsenti ordine media necessaria quædam alia per modum causæ efficientis ad consequendam gratiam sanctificantem adeoque ad salutem ex speciali positiva Dei institutione: scilicet Sacramentum Baptismi, et pro peccatoribus baptizatis Sacramentum Pœnitentiæ. Quia autem hæc media sunt *externa,* et quia, ut Patres docent, apud Deum „perfecta voluntas pro facto reputatur;" hinc fit, ut justificatio et consequenter salus ab adultis obtineri possit per *votum* (seu voluntatem) hujusmodi sacramenti conjunctum cum actu caritatis vel contritionis. Advertatur discrimen inter hoc votum et propositum generatim servandi præcepta, quod ad justificationem obtinendam requiritur. Nam propositum servandi præcepta est propositum rei, quæ per se non est causa gratiæ neque proinde per se requiritur ante justificationem, ideoque illud propositum requiritur tantum ad excludendam voluntatem peccati atque ita ad removendum obicem gratiæ. Econtra propositum sacramenti e. g. Baptismi est propositum rei non solum præceptæ sed etiam institutæ, ut sit per se instrumentalis *causa* gratiæ, quæ per se, posita divina institutione, requiratur ante justificationem. Quare per hujusmodi votum sacramenti subordinatur justificatio, quæ obtinetur, ad medium a Christo institutum et sic verum est, sine subordinatione ad media divinitus instituta non obtineri justificationem et salutem.

470. Jam vero cum, uti diximus, Ecclesia ex institutione divina sit necessaria omnibus hominibus ad salutem, ulterius quæritur, *utrum hæc necessitas sit tantum præcepti, an sit etiam medii.* Docemus itaque hanc necessitatem non solum esse præcepti sed etiam medii, seu docemus uniri ac pertinere ad Ecclesiam Christi esse pro omnibus hominibus *medium necessarium* ad salutem. Ex hoc ipso autem, quod Ecclesia est medium necessarium ad salutem, sequitur utique etiam unionem cum Ecclesia esse *pro adultis de necessitate præcepti;*

ceteroquin ingressus in Ecclesiam peculiariter etiam et explicite præceptus est. Dum dicimus, Ecclesiam esse medium necessarium, intelligimus eam esse tale medium, quod non solum *in re,* sed etiam *in voto* haberi possit, ita ut quis (adultus), licet actu non pertinens ad Ecclesiam, nihilominus justificationem et salutem consequi possit, si nempe voto (perfecto caritate vel contritione) ad eam pertineat. Quare *integer sensus illius quod dicimus, nempe Ecclesiam esse omnibus necessariam ad salutem necessitate medii et præcepti, huc redit:* non potest justificari nec proinde salvari *a*) qui voluntarie seu culpabiliter non est actu et realiter in Ecclesia Christi, nec *b*) qui etiam inculpabiliter non pertinet vel actu vel saltem in voto ad Ecclesiam Christi. Patet utique infantes, qui actus liberi adeoque prædicti voti sunt incapaces, non posse salvari nisi actu sint in Ecclesia Christi per realem Baptismatis susceptionem (*Franzelin,* th. 24).

Ecclesiam revera esse omnibus necessariam necessitate medii ad salutem, est doctrina catholica sæpius ab Ecclesia solemniter asserta et declarata. Hoc e. g. definivit *Concilium Lateranense IV,* cap. *Firmiter* docens: „Una est fidelium universalis Ecclesia, *extra quam nullus omnino salvatur.*" Adhuc expressius idem dogma enuntiat *Pius IX* in solemni Allocutione (habita 9 dec. 1854) dicens: „Tenendum quippe ex fide est, *extra Apostolicam Romanam Ecclesiam salvum fieri neminem posse.*" His itaque præstitutis

471. II. **Statuitur vera doctrina.**

Thesis. Ecclesia Christi ex divina institutione necessaria est omnibus hominibus ad salutem necessitate medii et præcepti; ideoque salvi esse non possunt non solum illi qui culpabiliter sunt extra Ecclesiam Christi, sed etiam illi qui inculpabiliter non pertinent ad eam vel actu vel saltem in voto.

Doctrina in thesi enuntiata post declarationem supra datam facile probatur.

Prob. I. Sine religione vera revelata nullus omnino in hoc ordine reparato salvari potest. Atqui in sola Ecclesia Christi concreta et velut incorporata existit vera religio revelata; vera enim religio non est nisi christianismus, et christianismus

in concreto est ipsa Ecclesia. Ergo extra Ecclesiam Christi nullus omnino salutem consequi potest, adeoque unio cum hac Ecclesia est medium absolute necessarium ad salutem.

472. II. Elementa visibilia Ecclesiæ ex institutione Christi sunt media necessaria ad justificationem ideoque et ad salutem obtinendam: nimirum sacramentum Baptismi et per hoc unio cum Ecclesia Christi (per Baptismum enim incorporatur quis Ecclesiæ), et pro peccatoribus jam baptizatis sacramentum Pœnitentiæ. Hinc in novo Testamento nemo potest justificari et salvari nisi dependenter ab his sacramentis utpote mediis per se necessariis justificationis et salutis, ac proinde nisi vel actualiter suscipiat sacramentum et per hoc (nominatim Baptismum) actu uniatur Ecclesiæ, vel habeat votum saltem implicitum sacramenti et per hoc unionis cum Ecclesia Christi. Licet enim adulti, qui *operis operantis* sunt capaces, possint sine reali usu sacramenti per actum perfectæ contritionis vel caritatis consequi justificationem et proinde salutem; hoc tamen non consequuntur per contritionem nisi *quatenus hæc includat votum seu voluntatem sacramenti* in Ecclesia instituti qua medii per se necessarii ad salutem. Hæc sane est doctrina *Concilii Tridentini,* quod docet (Sess. 4. cap. 4.), translationem in statum gratiæ et filiorum Dei „post evangelium promulgatum *sine lavacro regenerationis aut ejus voto* fieri non posse, sicut scriptum est: nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu S., non potest introire in regnum Dei"; et alibi (Sess. 14. c. 4.): „reconciliationem ipsi contritioni *sine sacramenti voto,* quod in illa includitur, non esse adscribendam."

473. *Necessitas præcepti* ingrediendi Ecclesiam jam manifeste sequitur ex demonstrata necessitate medii: cum enim omnes homines gravissima teneantur obligatione ad procurandam suam salutem; gravissime etiam obligantur ad adhibendum medium ad salutem absolute necessarium. Præterea Christus etiam expresse præcepit omnibus sub discrimine æternæ salutis ingressum in Ecclesiam (1).

Haud necesse est, Ecclesiæ necessitatem confirmare antiquitatis christianæ sententia, quæ ex scriptis Patrum est manifestissima. Patribus axiomatis instar ratum erat illud

(1) Matth. XXVIII, 20; Marc. XVI, 16.

S. Cypriani (de Unit. Eccl.): *„Habere non potest Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet matrem."*

474. *Quæstio.* Cum, uti vidimus, nemo salvari possit, qui non saltem *in voto* pertineat ad Ecclesiam Christi, quæritur: *quale debeat esse illud votum sacramenti et unionis cum Ecclesia?*

Resp. Non requiritur votum speciale et explicitum, sed sufficit *implicitum,* quod in quovis actu perfectæ contritionis seu caritatis, elicito etiam ab illo qui penitus ignorat sacramentum et Ecclesiam, includitur quatenus nimirum est voluntas generalis adimplendi omnia præcepta divina et adhibendi omnia media necessaria ad justificationem et salutem.

Manifestum utique est pro illis, qui non nisi voto ad Ecclesiam pertinent, manere semper in hac vita grave præceptum eam actu ingrediendi. Ab hoc quidem præcepto, sicut a quovis præcepto, excusare potest impotentia; sed qui sciens et volens negligit actualem ingressum in Ecclesiam, eo ipso culpa lethali gratiam sanctificantem, per votum sacramenti acceptam, et consequenter salutem amittit. Postremo animadvertendum est, illum, qui *inculpabiliter* est extra Ecclesiam Christi, non quidem propter hunc defectum, qui non est in ipso peccatum, damnari, sed illum a peccatis aliunde contractis non liberari, propter quæ peccata non remissa damnatur. (1)

475. **Corollarium.** 1. Ex dictis colligitur, neminem posse salvari qui non *actu* pertineat ad *animam* Ecclesiæ; qui non particeps fiat elementorum spiritualium Ecclesiæ, hoc autem ipsum, scil. pertinere ad animam Ecclesiæ, non posse haberi sine unione vel in re vel saltem in voto cum elementis visibilibus adeoque cum corpore Ecclesiæ.

2. Sequitur falsa prorsus ac perniciosa esse illa indifferentismi axiomata, ad salutem sufficere honeste vivere, naturæ legem observare, quemlibet in sua secta posse salvari, neminem in sua professione religiosa esse inquietandum etc.; ideoque merito a *Pio IX* in *Syllabo* plures hujusmodi propositiones damnatas esse. Sequitur etiam *tolerantiam religiosam* impiam et absurdam esse.

476. **Scholion.** Cum secundum dicta fieri possit, ut quis,

(1) Cf. *Franzelin,* l. c.; *Palmieri,* § 7 *Mazzella,* disp. 3. art. 6; *Pesch,* n. 391 sqq.

licet non sit membrum Ecclesiæ, nihilominus salutem consequatur; sequitur *non licere* de quolibet homine in concreto, qui extra visibilem communionem Ecclesiæ moriatur, *certo* affirmare, eum esse damnatum. Neque etiam statim canonizandi sunt illi, qui extra Ecclesiam ad speciem duxerunt honestam vitam et extra Ecclesiam mortui sunt. De talibus certum judicium proferre nec prudens nec tutum est; totum Dei judicio relinquatur. Notatu dignissima in hac re sunt præclara *Pii IX* (Alloc. 9 Dec. 1854) verba: „Tenendum quippe ex fide est, extra Apostolicam Romanam Ecclesiam salvum fieri neminem posse..... Sed tamen pro certo pariter habendum est, qui veræ religionis ignorantia laborent, si ea sit invincibilis, nulla ipsos obstringi hujusce rei culpa ante oculos Domini. Nunc vero quis tantum sibi arroget, ut hujusmodi ignorantiæ designare limites queat juxta populorum, regionum, ingeniorum aliarumque rerum tam multarum rationem et varietatem? Enimvero cum soluti corporeis hisce vinculis videbimus Deum sicuti est, intelligemus profecto, quam arcto pulchroque nexu miseratio atque justitia divina copulentur; quamdiu vero in terris versamur mortali hac gravati mole, quæ hebetat animam, firmissime teneamus ex catholica doctrina unum Deum esse, unam fidem, unum baptisma; ulterius inquirendo progredi nefas est. Ceterum prout caritatis ratio postulat, assiduas fundamus preces, ut omnes quaquaversus gentes ad Christum convertantur, communique hominum saluti pro viribus inserviamus, neque enim abbreviata est manus Domini, gratiæque cœlestis dona nequaquam illis defutura sunt, qui hac luce recreari sincero animo velint et postulent. Hujusmodi veritates defigendæ altissime sunt fidelium mentibus, ne falsis corrumpi queant doctrinis eo spectantibus, ut religionis foveant indifferentiam, quam ad exitium animarum serpere latius videmus ac roborari".

Art. II. **De Ecclesiæ potestate.**

477. Ad penitius rimandam naturam atque ad intelligendam constitutionem Ecclesiæ necesse est, considerare potestatem seu auctoritatem ipsi divinitus concessam. Inquiremus itaque primo hujus potestatis existentiam, qua probata, considera-

bimus ejus subjectum, atque gradus hierarchicos divinitus constitutos inter illos qui potestatem in Ecclesia obtinent. Ad illam doctrinam complendam porro agemus duas quaestiones cum ea nexas, nempe de forma regiminis a Christo in Ecclesia instituta, et de ratione perfectæ societatis, quæ Ecclesiæ ex Christi institutione inest. Quare hunc articulum in quinque dispescimus paragraphos: 1mo agemus de potestatis existentia; 2do de potestatis subjecto; 3^{tio} de Ecclesiæ hierarchia; 4to de forma regiminis monarchica in Ecclesia; 5to videbimus Ecclesiam esse societatem perfectam.

§ 1. De existentia potestatis Ecclesiæ.

478. Jam sæpius locuti sumus de potestate docendi, sanctificandi et regendi, quam Christus in sua Ecclesia constituit. Hæc triplex potestas seu auctoritas intime conserta est cum Ecclesiæ existentia ac natura; nam Christus suam instituit Ecclesiam, instituendo in Apostolis hanc triplicem potestatem, cui respondere debeat in aliis subjectio sub hac potestate. Christum revera in sua Ecclesia hanc triplicem constituisse potestatem, jam nobis probandum est; brevitatis autem gratia hæc omnia una propositione simul complectimur.

479. **Thesis.** Christus instituit in sua Ecclesia perennem potestatem 1. docendi seu authenticum magisterium, 2. sanctificandi seu sacrum ministerium, 3. regendi seu imperium. (1)

Probantur primo tres partes simul argumento generali. Sicut Christus missus est a Patre, ita Apostoli missi sunt a Christo. Atqui Christus a Patre missus est cum triplici munere ac potestate docendi, sanctificandi et regendi homines. Ergo Apostoli a Christo missi sunt cum eodem triplici munere ac potestate ad Ecclesiam nomine ac vice Christi docendam, sanctificandam, regendam.

Exponitur argumentum. Christus a mortuis redivivus apparens Apostolis ipsis solemniter dixit: „*Sicut* misit me Pater, *et ego mitto vos*" (Joan. XX, 21). Hisce verbis expresse

(1) Cf. *Franzelin,* th. 9, 14, 15; *Jansen,* § 60; *De Groot,* q. 9 et 10; *Pesch,* n. 261 sqq.

edicitur, missionem, quam a Christo accipiunt Apostoli, esse *similem* missioni, quam ipse Christus accepit a Patre; eoque ipso enuntiatur, Christum mittere Apostolos ad opus suum continuandum in terris, ad eadem munera obeunda, ideoque et cum eadem potestate, cum qua ipse missus erat a Patre: quæ utique potestas pro diversitate subjecti in Christo Deo homine est principalis, in Apostolis participata et ministerialis. Porro Christum a Patre cœlesti missum esse ad triplex in mundo obeundum munus: *Magistri, Sacerdotis* et *Regis,* ipsumque hoc triplici munere revera functum esse, ex historia revelationis est manifestum. Huic triplici muneri respondebat triplex in Christo misso potestas tradita a Patre: auctoritas magisterii, sacrum sacerdotium, potestas imperii. Christus ipse diserte testatur, sibi datam esse a Patre omnem potestatem: „*Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra.* Euntes *ergo docete* omnes gentes, *baptizantes* eos .... docentes eos *servare omnia quæcumque mandavi* vobis" (Matth. XXVIII, 18 sqq.); „Et *potestatem dedit* (Pater) *ei* (Filio) *judicium facere,* quia Filius hominis est" (Joan. V, 27). „Sicut *dedisti ei potestatem omnis carnis,* ut omne, quod dedisti ei, *det eis vitam æternam*" (ibid. XVII, 2). Christus ascensurus in cœlum sibi in regno suo super terram substituit Apostolos, per quos hisce muneribus post suam in cœlum ascensionem jugiter fungeretur: misit nempe Apostolos transfundens in eos suam triplicem potestatem, qua illi eorumque successores, ut Ipsius ministri, pro Ipso docerent, sanctificarent ac regerent Ecclesiam, quamdiu hæc in terris est exstitura.

480. *Probatur secundo singula pars theseos specialibus argumentis.*

I. *Potestas docendi seu authenticum magisterium.* (1)

1. *Christus Apostolos* a se electos, ac speciali ratione instructos, *sua auctoritate docendi insignivit,* eisque prædicandi munus et obligationem imposuit. „Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. *Euntes ergo docete omnes gentes,* baptizantes eos.... *docentes eos servare omnia* quæcumque mandavi vobis" (Matth. XXVIII, 18 sqq.); „*Euntes in mundum universum prædicate evangelium omni creaturæ* .... qui non

(1) Haec potestas docendi triplex complectitur munus: cum auctorita *testandi* veritatem revelatam, eam *docendi,* et obortis controversiis de ea *judicare*.

crediderit condemnabitur" (Marc. XVI, 15 sq.); „*Eritis mihi testes* in Jerusalem et usque ad ultimum terræ" (Act. I, 8). Cf. *de div. Trad.* Cap. I, art. 1, ubi divinam institutionem magisterii pluribus data opera demonstravimus.

2. *Apostoli munus docendi et prædicandi doctrinam Christi præcipuum suum munus semper habuerunt illudque strenue exercuerunt.* Postquam enim Christus in cœlum ascendit Apostoli munus docendi aggressi sunt, testante S. Marco (XVI, 20): „Illi autem profecti *prædicaverunt ubique;*" „Omni die non cessabant in templo et circa domos docentes et evangelizantes Christum Jesum" (Act. V, 42); „Nos orationi et ministerio verbi instantes erimus" (Act. VI, 4). Hoc enim magisterium est medium ordinarium divinitus institutum ad ingerendam hominibus fidem, ideo Apostolus (Rom. X, 14 sq.): „Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? Quomodo vero prædicabunt, nisi mittantur?"

481. **Corollaria.** 1. In jure et officio authentice docendi veritates revelatas continetur etiam jus et officium cum auctoritate *proscribendi doctrinas revelationi oppositas.* Hoc liquet tum ex natura rei, tum ex S. Scriptura (1), tum ex perpetua praxi Ecclesiæ. Quare fideles tenentur obedire Ecclesiæ tam decernenti quid respuendum, quam docenti, quid tenendum sit.

2. Cum hoc ipso ulterius cohæret Ecclesiæ jus et officium cum auctoritate, cui parendum sit, damnandi, *prohibendi libros fidei vel moribus contrarios* et fidelium bono spirituali nocivos. Id enim continetur in jure et officio tum generatim procurandi bonum spirituale fidelium, tum speciatim arcendi doctrinam revelationi oppositam: id insuper elucet ex constanti praxi Ecclesiæ.

3. Sequitur etiam Ecclesiam habere *jus præscribendi, ne libri de rebus religiosis sine approbatione magisterii ecclesiastici in lucem edantur.* Hoc enim jus requiritur, ut possit Ecclesia efficaciter tueri doctrinam revelatam, rectam fidem et bonos mores.

4. Sequitur Ecclesiam non solum habere *jus exclusivum erigendi, regendi ac ordinandi scholas, in quibus futuri ejus ministri instituantur; sed eam habere etiam jus et officium*

(1) Cf. Gal. I, 8; 1 Tim. I, 3. 20; 2 Tim. II, 25; Tit. I, 13; III, 10.

invigilandi scholis universim, in quibus juventus christiana instituitur, et cavendi, ne fides et mores christiani juventutis per institutionem in scholis detrimentum capiant vel corrumpantur. Hoc enim manifeste postulat Ecclesiæ munus docendi, promovendi ac tuendi fidem et mores fidelium. Quare *Pius IX* in *Syllabo* merito damnavit varias propositiones (28. 33. 44. 45. 46. 47. 48), quibus auctoritati civili tribuitur instructionis publicæ monopolium ac totum publicarum scholarum societatis christianæ regimen, imo ipsæ instructiones pastorum Ecclesiæ et methodus in ipsis seminariis clericorum adhibenda ejus judicio ac auctoritati subjiciuntur.

482. II. *Potestas sanctificandi seu sacrum ministerium.*

1. *Christus dedit Apostolis etiam potestatem sanctificandi homines per certos ritus sacros,* qui vocantur Sacramenta. Dedit eis potestatem spiritualiter regenerandi homines ex aqua et Spiritu Sancto per Baptismum: „Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti" (Matth. XXVIII, 19); celebrandi sacrificium eucharisticum et dandi hominibus carnem et sanguinem suum: „hoc facite in meam commemorationem" (Luc. XXII, 19); remittendi peccata: „Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt" (Joan. XX, 22 sq.). Et post suam resurrectionem Christus, per quadraginta dies apparens Apostolis, locutus est eis multa de regno suo (Act. I, 3); quæ autem tunc instituerit et ordinaverit Christus ad complendum suum regnum in terris, apparet ex eis, quæ Apostoli postea egerunt.

2. *Apostoli hac potestate utentes per certos ritus externos homines sanctificant.* Etenim Baptismate homines spiritualiter regenerant et in Ecclesiam recipiunt (Act. II, 38, 41; VIII, 12, 13 etc.); altari deserviunt (1 Cor. IX, 16); per impositionem manuum dant Spiritum Sanctum (Act. VIII, 17; XIX, 16) et episcopos constituunt (1 Tim. I, 6).

483. III. *Imperium seu potestas regendi,* quæ solet dici *potestas jurisdictionis* complectens potestatem legislativam, judicialem et coactivam. 1. Christus tribuit Petro et Apostolis potestatem universalem atque efficacem ligandi et solvendi (Matth. XVIII, 18): „Amen dico vobis: *quæcumque alligaveritis super terram erunt ligata et in cœlo, et quæcumque*

solveritis super terram erunt soluta et in cœlo." Atqui hæc potestas ligandi et solvendi importat veram potestatem jurisdictionis, quæ complectitur prædictam triplicem potestatem. Quid enim est ligare et solvere? Sane non agitur de vinculis physicis, sed de vinculis moralibus injiciendis aut solvendis. Porro triplex est vinculum morale, quo homo ligari et a quo solvi potest: vinculum legis, vinculum culpæ, vinculum pœnæ. Jam vero cum verba Christi universalissime pateant („quæcumque"), enuntiant potestatem cujuslibet vinculi moralis in Ecclesia injiciendi et solvendi, proinde potestatem ferendi leges easque abrogandi, judiciales sententias ferendi, pœnas infligendi et remittendi. Et hæc potestas est divinitus efficax: habet enim vim efficacissimam obligandi; nam quæ ligant aut solvunt Apostoli, ligat aut solvit Deus. Ergo Christus tribuit Apostolis veram potestatem jurisdictionis, i. e. potestatem legiferam, judicialem, coactivam. (1) Præterea Christus in hisce terris *verum quoddam regnum spirituale* constituit. Atqui in quovis regno debet esse suprema quædam auctoritas regendi. Ergo talem potestatem Christus etiam in suo regno instituit.

2. *Apostoli veram potestatem jurisdictionis sibi vindicarunt eamque de facto exercuerunt.* Et quidem *a*) potestatem *legiferam.* In concilio Hierosolymitano Apostoli tulerunt legem pro fidelibus abstinentiæ „a sanguine et suffocato" (Act. XV, 28). Apostolus Paulus hanc potestatem sibi diserte adscribit: „Laudo vos, fratres, quod, sicut tradidi vobis, *præcepta mea tenetis*" (1 Cor. XI, 2); et (ibid. v. 34) post præcepta divina de sumptione Eucharistiæ promittit leges suas dicens: „cetera, cum venero, disponam." *b)* Potestatem *judicialem* et *coactivam.* Ita Apostolus in Corinthium incestuosum (1 Cor. V, 3 sqq.) et in Hymenæum et Alexandrum (1 Tim. I, 20) sententiam tulit eosque punivit. „Quid vultis, in virga veniam ad vos, an in caritate et spiritu mansuetudinis?" (1 Cor. IV, 21). (2)

484. **Corollarium.** Cum Ecclesia habeat potestatem coactivam, sequitur eam posse infligere pœnas saltem *spirituales.* Quæri autem hic ulterius potest, *utrum in hac potestate coactiva contineatur etiam jus infligendi pœnas corporales.* Id omnimo

(1) Cf. *Palmieri,* § 19.
(2) Cf. 2 Cor. X, 3—8; XIII, 2, 3, 10.

affirmandum est. Cum enim Ecclesia habeat plenissimam potestatem puniendi, cumque punitio corporalis non adversetur indoli Ecclesiæ, quæ, licet sit societas spiritualis ratione *finis,* est tamen societas hominum visibiliter unitorum, et cum insuper pœnæ temporales conducere possint imo sæpe solæ conducant ad finem intentum a potestate vindicativa Ecclesiæ; sane dubitari nequit, quin Ecclesiæ competat potestas infligendi pœnas etiam corporales. Distinguatur autem jus infligendi pœnas corporales a facultate expedita illas punitiones exsequendi, vi externa adhibita. Quoad hoc alterum sufficeret, societatem civilem ratione suæ subordinationis teneri nomine Ecclesiæ illas exsequi; et hoc saltem modo scilicet *mediate* esse in Ecclesiæ potestate vim adhibere externam, certum est. Id docet *Bonifacius VIII* in Bulla *Unam Sanctam* dicens: „Uterque (gladius) est in potestate Ecclesiæ, spiritualis scilicet gladius et materialis. Sed is quidem *pro* Ecclesia, ille vero *ab* Ecclesia exercendus. Ille sacerdotis, is manu regum et militum, sed *ad nutum* et patientiam sacerdotis. Oportet autem gladium esse sub gladio et temporalem auctoritatem spirituali subjici potestati." (1)

485. **Scholion I.** *Perennitas ministerii apostolici* seu triplicis potestatis ecclesiasticæ. Ministerium in Apostolis institutum perpetuo duraturum esse, jam sequitur ex supra demonstrata perennitate Ecclesiæ, cum qua ministerium intime ac necessario consertum est. Præterea 1) *Christus promittit se fore cum Apostolis docentibus, sanctificantibus et regentibus usque ad finem mundi:* „Ecce ego vobiscum sum *usque ad consummationem sæculi*" (Matth. XXVIII, 20); ut Apostoli suo munere rite fungerentur, Christus promisit illis Spiritum Sanctum, qui maneret cum eis in æternum: „Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, *ut maneat vobiscum in æternum,* Spiritum veritatis" (Joan. XIV, 16 sq.). Sacramenta in Ecclesia ministranda sunt usque ad secundum Christi adventum: etenim Apostolus, narrata institutione Eucharistiæ, adjungit: „Quotiescumque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, *donec veniat*" (1 Cor. XI, 26). 2) *Apostolus*, declarans finem instituti ministerii

(1) Cf. *Palmieri,* l. c.

ecclesiastici, *hujus perpetuitatem manifeste significat:* „Et ipse dedit . . . . pastores et doctores *ad consummationem sanctorum* in opus ministerii, *in ædificationem corporis Christi; donec occurramus omnes in unitatem fidei*, et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, *in mensuram ætatis plenitudinis Christi.*" (Eph. IV, 11 sqq.). 3) Ideo *Apostoli*, ut ministerium ecclesiasticum perpetuaretur, *constituerunt sibi successores* (Act. XIV, 22; 1 Tim. I, 3; Tit. I, 5), hisque injunxerunt, ut etiam alios post se instituerent (Tit. I, 5). Hinc *Irenæus* (Adv. Hær. l. 3. c. 3 n. 1): „Habemus adnumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt episcopi et successores eorum usque ad nos." (1) Ceterum, historia teste, invenimus semper in Ecclesia ministerium, cum testificatione suæ connexionis cum Apostolis, quæ connexio repetebatur ex voluntate Christi instituentis in Apostolis ministerium in eorum successoribus perpetuo duraturum.

486. **Scholion II.** *Distinctio potestatis ordinis et jurisdictionis.* Universa potestas ecclesiastica, quam Christus instituit, usu communi ac solemni distinguitur in potestatem *ordinis* et potestatem *jurisdictionis.* 1. Potestas *ordinis* immediate respicit internam hominum sanctificationem, quatenus hæc ex institutione Christi confertur *ex opere operato* mediate per sacrificium et immediate per sacramenta. Est itaque potestas ordinis *potestas offerendi sacrificium et conficiendi ac conferendi sacramenta* ad sanctificandos homines. Hæc potestas ordinis ipsa confertur ex opere operato per sacramentum Ordinis et indelebili *charactere* obsignatur. Hinc hæc potestas, utpote essentialiter nexa cum charactere sacramentali, est indelebilis, eadem in omnibus insignitis eodem charactere, semper *valide* exerceri potest, nemini inesse potest, qui careat charactere ipsi potestati respondente. Per characterem sacramentalem et respondentem potestatem ordinis nulla quidem confertur potestas jurisdictionis, redduntur tamen homines jure divino idonei ad potestatem jurisdictionis.

2. Potestas *jurisdictionis* per se et immediate spectat ad externam gubernationem hominum; finaliter vero ad internam sanctitatem *ex opere cooperantium.* Est itaque potestas juris-

(1) Cf. *Clemens Romanus,* ep. 1 ad Corinth. n. 42, 44.

dictionis *potestas dirigendi auctoritative actus subditorum,* est proinde potestas ferendi leges, judicandi de actibus subditorum eosque coercendi pœnis, seu est potestas *legifera, judicialis, coercitiva.* Hæc potestas confertur non per sacrum ritum seu sacramentum, sed per simplicem injunctionem seu missionem. Hinc hæc potestas potest inesse alicui, qui non habeat characterem impressum per sacramentum Ordinis; potest, si non sit suprema sed inferior, a superiore restringi, suspendi, auferri, ita ut actus non modo illiciti sed etiam invalidi fiant; potest aliis communicari intra limites jure divino vel ecclesiastico constitutos. Ad potestatem jurisdictionis, quatenus hæc distinguitur a potestate ordinis, pertinet quoque potestas authentice docendi. Ad majorem tamen claritatem et propter proprietates diversas, potestas jurisdictionis in illa partitione generice sumpta recte ulterius distinguitur in potestatem *regiminis* seu *jurisdictionis specifice dictæ* et in potestatem *authentici magisterii,* ita ut tota potestas ecclesiastica recte distinguatur in triplicem potestatem, authentici nempe magisterii, ecclesiastici imperii, sacri ministerii seu sacerdotii. (1)

§ 2. De subjecto potestatis ecclesiasticæ.

487. I. **Exponitur status quæstionis et doctrina.** Probata existentia triplicis potestatis a Christo in Ecclesia institutæ, quæritur, quodnam sit subjectum illius potestatis.

1. *Errores a)* Sæc. XIV. *Marsilius Patavinus* docuit subjectum, in quo primo resideat omnis auctoritas seu jurisdictio ecclesiastica, esse cœtum fidelium, et non aliam concedit præpositis ecclesiasticis jurisdictionem, nisi quam a populo christiano, vel a repræsentante populum i. e. imperatore acceperint. Hoc systema ut hæreticum damnavit *Joannes XXII.*

b) Marsilii placitis adhæserunt sæc. XVI *Protestantes.* Hi enim nullam admittunt specialem, divinitus institutam, et nonnullis tantum competentem potestatem docendi, regendi, sanctificandi, nullam agnoscunt distinctionem, jure divino con-

(1) Cf. *Franzelin,* th. 5.

stitutam, inter *clericos* et *laicos*. Dicunt itaque omnes christianos æqualiter esse sacerdotes, magistratus autem ecclesiasticos non Christi institutioni, sed populi electioni ac deputationi ortum suum debere. Cum enim integer populus nequeat per se et immediate sacris muneribus fungi, vacare prædicationi et administrationi rerum religiosarum, quosdam dicunt a populo vel a principibus sæcularibus ad hæc munera eligi ac deputari, et ex hac tantum vocatione auctoritatem ministrorum sacrorum derivari. Hæc Protestantium doctrina cohæret cum ipsorum principio fundamentali de sola fide justificante et de Scriptura unico fonte ac norma fidei. Protestantium errores damnavit *Concilium Tridentinum.*

c) Alter surculus Marsilii Patavini est *Edmundus Richerius,* qui in suo libello „de ecclesiastica et politica potestate," edito a. 1611, docet claves seu totam jurisdictionem ecclesiasticam *primario, proprie* ac *essentialiter* convenire Ecclesiæ (i. e. toti populo christiano), quæ eam exercet per suos ministros et instrumenta Papam et Episcopos: hi itaque non habent potestatem in Ecclesia nisi ut ministri a populo deputati. Hoc systema adoptavit, præter Van Espen et alios, *Febronius,* qui docet potestatem clavium a Christo datam esse Ecclesiæ universitati, quæ eam principaliter et radicaliter obtinet quæque eam exercet per suos ministros et præsertim per Romanum Pontificem. Hi errores sæpius damnati sunt a Summis Pontificibus.

d) Veteres errores nuperrime instauravit et auxit, nedum democratiam sed et anarchiam in Ecclesia inducens, *Dr. Josephus Langen* in opere „Das Vaticanische Dogma von dem Universal-episcopat und der Unfehlbarkeit des Papstes in seinem Verhältniss zum neuen Testament und der kirchlichen Ueberlieferung," edit 2da Bonn. 1876. Statuit nempe potestatem, quæ in Ecclesia est, esse per se penes communitatem, cujus vice pastores eam exerceant, et laicos etiam, exceptis tamen mulieribus, partem habere cum aliis in magisterio et gubernatione Ecclesiæ.

488. 2. *Doctrina catholica.* Contra hos omnes errores ex doctrina catholica tenendum est, Christum potestatem, quam in sua Ecclesia instituit, non universo fidelium cœtui communicasse, ut ab hoc certis ministris delegaretur, sed eam

certis ac determinatis personis immediate contulisse propagandam perpetuo ab illis in alios, qui determinato ritu ac legitima auctoritate assumerentur. Hinc ex institutione Christi ac jure divino existit essentiale discrimen inter *clericos* et *laicos,* et sunt in Ecclesia alii præpositi, alii subditi, alii doctores, alii discipuli, alii mysteriorum dispensatores, alii sanctificandi.

Priusquam hanc doctrinam probemus, juverit adhuc quædam tum perspicuitatis tum complementi gratia notare.

a) Cum quæstio de subjecto, cui Christus contulerit potestatem a se institutam, sit quæstio *facti,* ea non veluti a priori ex rationis principiis, sed ex legitimis testimoniis referentibus voluntatem Christi institutoris dirimenda est.

b) In præsenti quæstione sedulo distinguendum est inter *subjectum* et *finem* potestatis ecclesiasticæ. Sicut enim quævis potestas socialis est propter bonum totius societatis; ita etiam potestas ecclesiastica est propter bonum totius Ecclesiæ, et ideo hæc potestas *finaliter* quidem et *passive* data dici potest toti Ecclesiæ. Aliud autem prorsus est quærere, quibusnam hæc potestas exercenda in utilitatem totius Ecclesiæ data sit *formaliter* et *active,* seu quinam sint subjectum hujus potestatis. Confusione finis et subjecti potestatis nititur sophisma Richerii, quod suæ doctrinæ *infallibile firmamentum* jactat.

c) Ex doctrina catholica sequitur Ecclesiam non esse societatem æqualem, in qua omnibus eadem competant jura; sed eam esse ex institutione Christi societatem *inæqualem,* in qua diversorum membrorum alia atque diversa sint jura, in qua alii sint superiores et alii subditi.

d) Sequitur insuper universa Ecclesiæ membra distingui in duas classes, in *Clericos* nempe et *Laicos,* hancque distinctionem esse *ex institutione Christi.* Usu ecclesiastico *clerus* dicitur collegium eorum, qui sacris functionibus vacantes cultui Dei sunt specialiter deputati; hinc *clerici* vocantur illi, qui ministeriis sacris sunt mancipati. Hujus appellationis rationem reddit *Hieronymus* (Ep. 52 ad Nepotian. n. 5): „Si enim κλῆρος græce, *sors* latine appellatur, propterea vocantur *clerici* vel quia de sorte sunt Domini, vel quia Dominus sors, id est, pars clericorum est." Ceteri qui non pertinent ad hierarchiam ecclesiasticam, qui potestate sacra non gaudent, *laici* dicuntur a voce græca λαός, populus.

489. II. **Statuitur vera doctrina.**

Thesis. Christus instituens potestatem ecclesiasticam, non eam universo fidelium cœtui communicavit, sed 1) eam certis personis, nempe Apostolis, immediate contulit, 2) perpetuo propagandam ab illis in alios, qui determinato ritu et legitima auctoritate assumerentur.

Prob. 1ma pars I ex Evangeliis. 1) Christus Dominus, pollens omni potestate in cœlo et in terra, ex discipulis sibi conjunctis solemniter *elegit duodecim,* quos *Apostolos* vocavit, quosque constituit unum speciale collegium multis prærogativis distinctum ab aliis suis fidelibus (Luc. VI, 12 sqq.). 2) Hos duodecim specialiter electos atque a ceteris secretos Christus peculiari ratione ac cura instituit atque erudivit ad munus apostolatus; cujus peculiaris institutionis finis est, ut quod ipsi Apostoli seorsum audierunt, „dicant in lumine et prædicent super tecta" (Matth. X, 27). Porro 3) hisce Apostolis specialiter electis et a reliqua discipulorum turba secretis contulit omnem suam potestatem (1). 4) Potestatem collatam fuisse Apostolis, non prout erant cœtus fidelium aut illum repræsentabant, sed prout erant personæ distinctæ a ceteris et ut per eam potestatem discernerentur a ceteris eisque jure divino superiores essent, ex dictis pariter liquet. Ceteroquin nullum est indicium talis repræsentationis; imo hæc manifeste excluditur, cum tunc nondum existeret Ecclesia, sed hæc ipso Apostolorum ministerio adhuc esset colligenda.

490. *Prob. II. Ex doctrina et praxi Apostolorum.* 1) Sibi directe et immediate communicatam esse potestatem a Christo testantur Apostoli: „Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed *per Jesum Christum*" (Gal. I, 1). Ideo Apostoli passim se *ministros Christi* (1 Cor. IV, 1), qui pro Christo legatione fungantur (2 Cor. V, 18 sqq.), non populi delegatos exhibent. 2) Pariter successores suos, seu ceteros præpositos, *a Deo institutos* esse dicunt Apostoli: „Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui *vocatur a Deo*, tamquam Aaron" (Hebr. V, 4). „Vos *Spiritus Sanctus posuit* episcopos regere Ecclesiam Dei" (Act. XX, 28). „*Et ipse* (Christus)

(1) Joan. XX, 21 sqq.; Matth. XVIII, 18; XXVIII, 18 sqq.; Marc. XVI, 15 sq. etc.

dedit quosdam quidem Apostolos . . . . alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi" (Eph. IV, 11 sq.). 3) Idem *praxi* ostenderunt Apostoli. Neque enim significarunt se agnoscere in cœtu fidelium ullam potestatem; neque disposuerunt ut populus sacros ministros institueret seu delegaret; sed independenter a populo Ecclesiæ ministros constituerunt, vel constituendos præceperunt. (1)

491. *Prob. III ex antiquitatis christianæ consensu,* quem perpetua et constans agendi ratio manifestat. Sane numquam ex omnibus fidelibus generalia concilia convocata vel eorum suffragium ex auctoritate petitum est. Numquam agnita fuit in universis fidelibus potestas instituendi præpositos et episcopos iisque conferendi ullam potestatem; sed distinctione facta inter jus eligendi ac conferendi potestatem et jus ferendi testimonium de vita instituendorum atque etiam postulandi electionem seu institutionem, hoc quidem fidelibus fuit permissum, illud semper negatum. Quare jam Canon Apostolicus 31 statuit: „Si quis episcopus sæcularibus potestatibus usus ecclesiam per ipsos obtinuerit, deponatur et segregentur omnes qui illi communicant."

492. *Pars 2da* theseos post hucusque dicta et post ea, quæ de *perpetuitate* potestatis ecclesiasticæ supra diximus, probatione vix indiget. Sane ex illis manifestum est, Christum voluisse, ut potestas a se primitus collata Apostolis *successive* in alios perpetuo propagaretur. „Cum propagatione autem successiva nexa est propagatio veluti *extensiva,* qua ab iis qui instructi sunt potestate communicatur aliis participatio ejusdem potestatis, qui simul cum dantibus eam exerceant plus minus perfecte, plus minus subordinate. Oportuit enim amplificata Ecclesia, pastorum et doctorum numerum augeri ac præexistere eos, per quos defunctis prioribus successio continua obtineri posset" *(Palmieri,* § 12).

Cum autem hæc propagatio sacræ potestatis nunc non fiat, sicut olim in veteri Testamento, via generationis carnalis; „necesse est, ut qui cooptandi sunt in cœtum præpositorum sacrorum assumantur ab iis, qui ad illum cœtum jam pertinent,

(1) Act. XIV, 22; 1 Tim. I, 3; Tit. I, 5.

per actum vel institutionis potestatem conferentis si de inferioribus agitur, vel saltem electionis si de suprema potestate agitur, quam Deus immediate confert singulis" *(Palmieri* ibid.). Hoc constat tum ex ipsa natura potestatis, quæ ex divina institutione ad certum cœtum tantum pertinet; tum ex asserta ab Apostolo necessitate *legitimæ missionis* (Rom. X, 15). Hoc inter alios testatur *Clemens Romanus* in sua epistola ad Corinth. n. 42 et 44. Præterea si Christus voluit ut sacro ritu constituantur subjecta idonea sacræ potestatis, necesse quoque est, aliquo ritu sacro initiari ministros hujus potestatis. Jam vero Christum id revera voluisse constat universa Traditione ecclesiastica, quæ certi ac determinati ritus semper meminit sub nomine *ordinationis* seu *impositionis manuum,* quo sacri ministri initiari debeant. Hoc liquet ex existentia sacramenti Ordinis a Christo instituti ad initiandos ministros sacros, quæ alibi probatur. (1)

493. **Corollarium 1.** Ex demonstrata doctrina colligitur, *Ecclesiam ex institutione divina esse societatem inæqualem.* Sequitur, ex eadem institutione ideoque jure divino esse discrimen inter *clericos* et *laicos.* Cumque clerici, saltem illi qui jure divino sunt tales suntque jure divino subjectum idoneum ad potestatem jurisdictionis, per sacramentum indelebili consecratione ac charactere ministeriis sacris deputentur; sequitur insuper, discrimen, quo clerici a laicis secernuntur, esse per aliquam intrinsecam et immutabilem formam divinitus impressam.

Corollarium 2. Ex dictis corruunt placita recentium Protestantium, uti *Harnack* et aliorum, qui negant Ecclesiam, ut a Christo instituta est, veram societatem hierarchice ordinatam esse. Dicunt hierarchiam in Ecclesia catholica existentem esse originis humanæ et contra mentem Christi pugnare.

494. **Scholion.** *Solvuntur difficultates.* Breviter respondebimus ad præcipua illorum, quæ ad probandum potestatem ecclesiasticam esse per se penes communitatem nuperrime protulit vetus-catholicus *Dr. J. Langen* in opere citato, renovans cum antiquo errore etiam antiqua commenta a catholicis toties refutata.

(1) Cf. *Franzelin,* th. 9. 14. 15; *Palmieri,* § 12 et 13; *Mazzella,* disp. 3. art. 7; *De Groot,* q. 3. art. 4 sqq.; *Hurter,* n. 248 sqq.; *Jansen,* § 61.

Obj. 1. Provocat *a)* ad verba Christi Matth. XX, 25 sq. (cf. Luc. XXII, 25 sq.): „Scitis, quia principes gentium dominantur eorum, et qui majores sunt potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos, sed quicumque voluerit inter vos major fieri sit vester minister." Hisce verbis, aiunt, Christus negat potestatem ac potestatis exercitium in Ecclesia. Appellant *b)* ad alia Christi verba Matth. XXIII, 8: „Vos autem nolite vocari Rabbi, unus est enim Magister vester: omnes autem vos fratres estis . . . Magister vester unus est Christus." Nullus igitur, dicunt, est in Ecclesia magister super terram.

Resp. ad *a) Dist.* Christus negat quamlibet potestatem et quodlibet potestatis exercitium in Ecclesia, *nego;* negat quamdam speciem potestatis et quoddam potestatis exercitium, *concedo.* Negat nempe Christus in Ecclesia fore eam potestatem, quam reges gentium sibi vindicabant, scil. dominium seu despotismum, atque abusum potestatis in commodum non subditorum sed imperantium: modum negat non ipsam rem. Christus enim loquitur non de regibus simpliciter, sed de regibus *gentium,* qui subditis tamquam servis dominabantur, vultque ut præpositi ab ipso in Ecclesia constituti sint aliorum ministri, i. e. in subditorum utilitatem suam auctoritatem exerceant. Et sane cur Christus ad docendos Apostolos humilitatem reges in medium producit, si Apostolis nulla in alios potestas competit? Nonne hoc ipso significat et supponit ipsis quoque veram competere auctoritatem, quam tamen alio modo, ac reges, exercere deberent? Ceteroquin si Christus hic negat omnem potestatem omneque exercitium potestatis, cur eam Christus instituit, cur Apostoli, imo ipsi laici, ut vult Dr. Langen, eam exercuerunt?

Resp. ad *b) Dist.* Damnat Christus ipsam rem ac dignitatem magistri utique ministerialis et subordinati Magistro Christo, *nego;* damnat appellationem magistri cum fastu et sine subordinatione ad Magistrum Christum, *concedo.* Sane Christum tantum damnare hujusmodi appellationem cum fastu atque superba arrogantia, qualem ambiebant Pharisæi, ex toto verborum contextu est prorsus manifestum. Illud autem, quod dicitur: „magister unus Christus," excludit quidem alios magistros principales, quorum dignitas et potestas non esset a Christo derivata nec ipsi subordinata; non vero excludit,

imo potius adsignificat alios magistros ministeriales, qui suum magisterium derivent a Christo et ipsius nomine exerceant: nam per hos tamquam per suos ministros et legatos docet ipse Christus, qui ideo manet „unus magister."

Obj. 2. Apostolus 2 Cor. VIII, 8 dicit: „non quasi imperans dico;" ergo, aiunt, Apostolus caruit potestate imperandi aut saltem independente exercitio potestatis.

Resp. Nego consequentiam. Quis enim umquam probabit, eum, qui gaudet potestate independente, non posse alloqui subditos nisi modo imperativo?

Obj. 3. In verbis Matth. XVIII, 17: „dic Ecclesiæ" nomine Ecclesiæ intelligitur cœtus fidelium; ergo potestas judiciaria immediate data est ipsi communitati.

Resp. Nego antecedens; nego consequens. Nomine enim Ecclesiæ hic significari non communitatem fidelium, sed præpositos in Ecclesia ex ipsis Christi verbis est manifestissimum. Verba enim objecta nectuntur cum verbis immediate sequentibus: „amen dico vobis, quæcumque alligaveritis" etc., et quidem nexu causali; quatenus nempe potestas facta Apostolis est ratio, cur fideles eos audire eisque obedire debeant, si membra Ecclesiæ esse velint. In hoc igitur contextu significatio nominis *Ecclesia* manifeste determinatur ad designandos præpositos, qui apte vocantur Ecclesia, quia totam societatem juridice repræsentant.

Obj. 4. Ex Act. VI, 1 sq. liquet populum concurrisse ad electionem diaconorum.

Resp. Dist. Populus concurrit proprie eligendo seu constituendo diaconos, *nego;* testimonium ferendo, *concedo.* Etenim populum tantum partes testium egisse, Apostolos vero proprie constituisse diaconos clare edicitur ibidem v. 3: „Considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu Sancto et sapientia, quos *constituamus* super hoc opus."

Obj. 5. Fideles omnes dicuntur sacerdotes: „vos regale sacerdotium" (1 Petr. II, 9); et „fecit nos regnum et sacerdotes Deo" (Apoc. I, 6).

Resp. Dist. Fideles dicuntur sacerdotes sensu proprio *nego;* sensu latiori ac minus proprio, *concedo.* „Laicus justus, inquit *S. Thomas* (3 q. 82 a 1 ad 2) unitus est Christo unione spirituali per fidem et caritatem, non autem per sacramentalem

potestatem; et ideo habet spirituale sacerdotium ad offerendum spirituales hostias, de quibus dicitur in ps. L, 19: Sacrificium Deo spiritus contribulatus; et Rom. XII, 1: Exhibeatis corpora vestra hostiam viventem. Unde et 1 Petr. II, 5 dicitur: Sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias." Ita populo Israelitico dictum est. (Exod. XIX, 6): „Vos eritis mihi in regnum sacerdotale;" licet tamen sacerdotium proprie et stricte dictum in sola familia Aaron constitutum esset.

Obj. 6. Si Christus Ecclesiæ in Apostolis contulit potestatem, tota potestas Apostolorum ad eorum successores transire debuit. Atqui tota Apostolorum potestas ad eorum successores non transiit e. g. jurisdictio universalis singulis Apostolis concessa. Ergo.

Resp. Dist. majorem: Transire debuit in successores tota Apostolorum potestas ordinaria, *concedo;* extraordinaria, *nego.* Potestas extraordinaria Apostolorum pertinebat *ad fieri* Ecclesiæ, ordinaria vero ad *conservari:* ideo illa cum ipsis fundatoribus Ecclesiæ desiit, hæc autem in eorum successoribus manet. In illis autem Christi verbis, ex quibus probamus perennem potestatem in Ecclesia a Christo constitutam, agitur de potestate ordinaria Apostolorum; de eorum autem potestate et prærogativis extraordinariis non ex istis locis sed aliunde constat.

§ 3. De Hierarchia et de gradibus hierarchicis.

495. I. **Exponitur doctrina.** 1. *Notio hierarchiæ.* *a*) *Hierarchia* (ἱερα αρχή) vi vocis est *sacer principatus;* hierarcha itaque is est qui sacris præest. In Ecclesia existere hierarchiam, seu illam esse societatem hierarchicam ex hucusque disputatis jam manifestum est. Demonstravimus enim, Christum in sua Ecclesia constituisse sacram potestatem, quam solis Apostolis immediate contulerit, in eorum successores perpetuo transmittendam; proindeque Ecclesiam jure divino distingui in docentem, regentem, et audientem, obedientem, in clerum et populum. Est igitur in Ecclesia ex institutione Christi *principatus,* qui dicitur *sacer* ratione suæ originis immediatæ a Deo et ratione objectorum sacrorum, circa quæ versatur.

b) Ex usu autem loquendi solemni nomen *hierarchia* non

solum significat potestatem et personas illa insignitas, sed simul importat *distinctionem* et *subordinationem potestatum ac personarum* ratione majoris vel minoris potestatis eisdem collatæ. Hierarchia enim significat diversos potestatis gradus, apte coordinatos et dispositos, quorum alius alii inferior est ac subjicitur, et unus supra reliquos eminet. Hinc definiri potest: *cœtus* seu *ordo personarum, quibus relatione superiorum et inferiorum apte dispositis, concessa est sacra potestas, in varios ad invicem ordinatos gradus distributa.*

496. 2. Licet hierarchia ecclesiastica in se *una* tantum sit, ratione duplicis tamen existentis in Ecclesia potestatis, ordinis et jurisdictionis, solet distingui in hierarchiam *ordinis* et *jurisdictionis*. Etenim tum potestas ordinis in distinctos ordines dividitur, tum potestas jurisdictionis in varios gradus distinguitur, sub una suprema potestate Romani Pontificis summi hierarchæ constitutos et ordinatos: ex quibus hierarchia constituitur, nempe unus sacer principatus, qui est una multitudo secundum diversos gradus ordinata sub unius principis gubernatione.

497. 3. Porro hierarchia, tum ordinis tum jurisdictionis, est vel *juris divini* vel *juris ecclesiastici*. Est enim alia potestas ordinis instituta a Christo, quæ confertur per sacramentum et quæ pertinet ad conficienda sacramenta; est alia potestas ordinis instituta ab Ecclesia, quæ non confertur per sacramentum nec ordinatur ad conficienda sacramenta. Similiter alia est potestas jurisdictionis juris divini, ex concessione immediata Christi; alia est potestas jurisdictionis juris ecclesiastici, ex immediata institutione vel missione Ecclesiæ. Nos hic agimus de sola hierarchia divina.

498. 4. *Doctrina catholica.* Existere in Ecclesia hierarchiam (sacrum principatum) divinitus institutam, et sacram potestatem quibusdam tantum ac determinatis personis esse tributam, jam supra vidimus. Præter ista doctrina catholica de hierarchia divinitus instituta hæc complectitur: *a) Ad hierarchiam ordinis divinitus institutam pertinent episcopi, presbyteri* et *diaconi,* qui constituunt tres gradus hierarchicos distinctos. Hoc est *de fide* ex definitione *Concilii Tridentini* (Sess. 13. can. 6): „Si quis dixerit, in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ

constat ex episcopis, presbyteris et ministris; anathema sit." Nomine ministrorum intelliguntur saltem diaconi, qui per excellentiam ministri vocantur et primum gradum inter ministros absque dubio obtinent. *b) Jure divino episcopi presbyteris et presbyteri diaconis sunt superiores. c) In hierarchia jurisdictionis duo ex divina institutione sunt gradus: primatus Summi Pontificis* et *episcopatus. d) Romanus Pontifex jure divino vi primatus est summus hierarcha,* fundamentum et caput totius hierarchiæ, habens *plenitudinem potestatis ordinis et jurisdictionis:* ipsi omnes alii hierarchæ in Ecclesia subjiciuntur, et ab eo in acquirenda et exercenda potestate, pro diversitate hujus potestatis, aut quoad validitatem, aut saltem quoad liceitatem actuum potestatis, dependent. Hæc doctrina breviter est probanda, seposito tamen interim primatu Romani Pontificis, cujus divinam institutionem in altera hujus tractatus parte data opera demonstrabimus.

499. II. **Statuitur vera doctrina.**

Thesis I. Ad hierarchiam divinitus institutam 1) pertinent episcopi, presbyteri et diaconi; 2) episcopi autem presbyteris et presbyteri diaconis jure divino sunt superiores. (1)

Prænotandum. Hierarcharum divinitus institutorum tria nomina occurrunt in SS. Litteris: *episcopi, presbyteri* et *diaconi.* Ex novo Testamento quidem certum est, episcopatum et diaconatum esse duos ordines seu duos gradus hierarchicos divinitus institutos et distinctos. Sæpius enim distincte mentio fit episcoporum et diaconorum et quidem ita, ut manifeste repetendi sint ex institutione Christi, sintque distincti propter distinctam potestatem diversaque munia, quæ ipsis attribuantur. Non ita facile autem ex solis Scripturis *certo* probari potest, episcopatum et presbyteratum esse etiam duos ordines seu duos gradus hierarchicos formaliter distinctos. Ratio hujus incertitudinis est frequens in novo Testamento *promiscua usurpatio nominis episcopi et presbyteri ad designandas easdem personas.* Convenit enim inter omnes, eosdem qui dicuntur episcopi sæpe in N. T. etiam appellari *presbyteros.* Non convenit autem inter eruditos, num in N. T. *sacerdotes quoque*

(1) Cf. *Palmieri,* § 14; *Franzelin,* th. 15 et 16; *De Groot,* l. c. et art. 7; *Jansen,* § 64; *Pesch,* n. 333 sqq.; *Tanquerey,* n. 57 sqq.

secundi ordinis, quos nos modo presbyteros vocamus, *appellati umquam sint episcopi.* Alii cum S. Joanne Chrysostomo affirmant; alii plures, et ut videtur probabilius, negant.

Quidquid autem est de argumento ex solis SS. Scripturis per se spectatis deducto; *ex traditione christiana certissime demonstratur, presbyteratum esse ordinem ab episcopatu distinctum,* seu esse ordinem intermedium inter episcopatum et diaconatum, eumque etiam esse ordinem a Christo institutum. Quare hierarchiam divinitus institutam constare ex triplici distincto ordine, episcoporum (seu sacerdotum primi ordinis), presbyterorum (sacerdotum secundi ordinis), diaconorum (seu ministrorum), demonstrabimus ex constanti et perpetua traditione christiana, quæ ex antiquitatis monumentis colligitur. Itaque

500. *Prob. 1ma pars ex traditione christiana.* In monumentis antiquitatis pertingentibus usque ad tempora apostolica constanter nobis exhibetur Ecclesia hierarchice constituta, et quidem ita *ut in singula ecclesia unus præesset episcopus et sub eo presbyteri et diaconi,* idque *ex ordinatione divina derivari* simul significatur.

1. *S. Clemens Romanus* circa finem sæculi I, quo tempore S. Joannes saltem adhuc vivebat, scribens ad Corinthios manifeste indicat triplicem ordinem hierarchicum Christi ordinatione constitutum. „Omnia, inquit, ordine debemus facere, quæ Dominus statutis temporibus peragi jussit. Oblationes scilicet et officia sacra præcepit perfici non temere et inordinate, sed statutis temporibus et horis; ubi et a quibus celebrari vult, ipse *suprema sua voluntate* definivit . . . . . *Domini enim statuta* sequentes non aberrant. *Summo namque sacerdoti propria munera attributa sunt,* et *sacerdotibus proprius locus assignatus est,* et *levitis propria ministeria incumbunt,* homo laicus laicis præceptis obligatur" (Ep. I ad Corinth. n. 40). Comparatio hierarchiæ ecclesiasticæ cum hierarchia veteris Testamenti frequenter occurrit apud Patres, qui episcopum æquiparant summo sacerdoti, presbyteros sacerdotibus et diaconos levitis. Idem *Clemens* in eadem epistola n. 44 testatur, Apostolos „per regiones et urbes constituisse *episcopos* et *diaconos*"; et n. 57 diserte etiam commemorat *presbyteros* in Corinthiorum ecclesia, dicens: „Subditi estote presbyteris."

2. Ex Patribus apostolicis luculentissime etiam de muneribus ecclesiasticis loquitur *S. Ignatius* Apostoli Joannis discipulus, qui tres istos gradus hierarchicos et eorum ad invicem subordinationem divinitus institutam sollicite commendat. Secundum Ignatium munera in ecclesia gerunt episcopi, presbyteri et diaconi: „*episcopo præsidente* loco Dei, et *presbyteris* loco senatus apostolici et *diaconis* mihi suavissimis concreditum habentibus ministerium Jesu Christi" (Ad Magnes, 6). „Cuncti revereantur *diaconos* ut Jesum Christum, sicut et *episcopum*, qui est typus Patris, *presbyteros* autem ut senatum Dei et concilium Apostolorum. *Sine his ecclesia non vocatur*" (Ad Trallian, 3). „Decet vos uniri episcopi sententiæ, quod et facitis. Nam memorabile *vestrum presbyterium, dignum Deo, ita coaptatum est episcopo, ut chordæ citharæ*" (Ad Ephes., 4). „Studete igitur confirmari in doctrinis Domini et Apostolorum . . . cum dignissimo *episcopo* vestro et digne contexta spirituali corona *presbyterii* vestri et cum *diaconis* Deo placentibus" (Ad Magnes, 13). „Omnes *episcopo* obtemperate, ut Jesus Christus Patri, et *presbyterio* ut Apostolis, *diaconos* autem revereamini ut Dei mandatum. *Separatim ab episcopo nemo quidquam faciat* eorum, quæ ad ecclesiam spectant. Illa rata habeatur Eucharistia, *quæ sub episcopo peragitur vel cui episcopus commiserit . . . . Non fas est sine episcopo baptizare, neque agapen facere;* sed quod ille probaverit, hoc et Deo est beneplacitum" (Ad Smyrn. 8). Cf. etiam epistola *Polycarpi* primi Smyrnæorum episcopi, testante Irenæo, ab ipsis Apostolis constituti.

3. Apud Patres, ætatem apostolicam proxime subsequentes, invenimus descriptam eamdem hierarchiam in toto orbe constitutam, quam supponunt vel etiam diserte docent ex ordinatione divina derivari. Ita *Eusebius* (Hist. Eccl. l. 4.) narrat, *Hegesippum*, qui vixit circa medium sæculum II, „scribere, se cum Romam proficisceretur, *plurimos episcopos* adiisse, et ab omnibus unam eamdemque audivisse doctrinam;" atque „*in singulis episcoporum successionibus* et in singulis civitatibus" eamdem manere doctrinam. Idem *Eusebius* exhibet nomina episcoporum Hierosolymitanorum, Antiochenorum et Alexandrinorum, ut ita præcipuarum ecclesiarum istius ætatis episcopos usque ad Apostolos pertingentes noverimus.

S. Irenæus, Polycarpi auditor, in præclaro suo opere *adversus hæreses* diserte et distincte exhibet et declarat hierarchiam ecclesiasticam, in toto orbe constitutam, per continuam successionem ab Apostolis derivatam. „Traditionem itaque, inquit, Apostolorum in toto mundo manifestatam in omni ecclesia adest respicere omnibus, qui vera velint videre: et habemus annumerare eos *qui ab Apostolis instituti sunt episcopi in ecclesiis et successores eorum usque ad nos*" (adv. hær. l. 3. c. 3).

Tertullianus (de Præscript.) contra hæreticos provocat ad apostolicam episcoporum successionem. Et (de Bapt. c. 17) diserte commemorat tres gradus hierarchicos distinctos et quidem ita, ut plures presbyteri et diaconi in unaquaque ecclesia ab uno pendeant episcopo: „Dandi quidem (baptismi), ait, habet jus *summus sacerdos, qui est episcopus;* de hinc *presbyteri* et *diaconi,* non tamen sine episcopi auctoritate propter ecclesiæ honorem, quo salva pax est."

Eamdem hierarchiam commemorant *Clemens Alexandrinus* ejusque discipulus *Origenes.*

S. Cyprianus in suis epistolis et in opere de *Unit. Eccl.* disertissimis verbis eamdem hierarchiam in universa Ecclesia obtinentem et jure divino constitutam exhibet. Secundum ipsum *„ecclesia est plebs sacerdoti adunata et pastori suo grex adhærens"; „*Episcopus in ecclesia est et *ecclesia in episcopo"* (Ep. 69).

Ex allatis testimoniis constat, *Ecclesiam inde ab ætate apostolica semper hierarchice constitutam fuisse* et quidem in triplici gradu distincto episcoporum, presbyterorum et diaconorum, hancque proinde hierarchiam ex Christi ordinatione originem ducere. Patet ergo, falsissimum esse quod dicunt adversarii, hierarchiam ecclesiasticam post tempora Apostolorum tantum introductam ideoque humanæ originis esse.

501. *Prob. 2da pars. Jure divino episcopos presbyteris, et presbyteros diaconis esse superiores.* Hoc ex demonstratione partis primæ jam etiam demonstratum censeri potest. In allatis enim testimoniis tres gradus hierarchici exhibentur et distinguuntur ita, ut dicta subordinatio vel indicetur vel etiam expresse enuntietur. Exhibetur enim universa Ecclesia jure divino hierarchice constituta ita, ut in unaquaque ecclesia particulari præsit unus episcopus, et sub ipso sint plures

presbyteri et tamquam utrorumque ministri diaconi. Ceteroquin episcopos jure divino superiores esse presbyteris patebit adhuc magis ex thesi sequente, in qua probabimus, episcopos esse divinitus institutos tamquam successores Apostolorum ad regendam Ecclesiam, sub summo Pontifice, cum vera potestate jurisdictionis. Hinc quando medio sæculo IV Aërius docere cœpit, presbyteros episcopis esse æquales, *Epiphanius* vocat „illius dogma supra hominis captum furiosum et immane ..... stoliditatis plenissimum." Sane episcopus, testante tota antiquitate christiana, est qui presbyteros ordinat, qui unus ecclesiam regit atque presbyteris præest. Est igitur presbyteris superior, idque jure divino, cum ordinatio presbyteri utpote sacramentum sit divinitus instituta: et eo quod potest ecclesiæ rectores ordinare seu generare atque sic ecclesiam perpetuare, est subjectum jure divino idoneum ad ecclesiam regendam.

502. **Scholion.** *Solvitur objectio ex S. Hieronymo.* Doctrinæ catholicæ, qua episcopi ex institione Christi dicuntur esse superiores presbyteris, videtur contradicere *S. Hieronymus.* Scribit enim (in Titum I, 5): „Idem est ergo presbyter, qui et episcopus; et antequam diaboli instinctu studia in religione fierent et diceretur in populis: ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ (1 Cor. I, 12), communi presbyterorum consilio ecclesiæ gubernabantur. Postquam vero unusquisque eos, quos baptizaverat, suos putabat esse, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de presbyteris electus superponeretur ceteris, ad quem omnis ecclesiæ cura pertineret, et schismatum semina tollerentur. Sicut ergo presbyteri sciunt se ex ecclesiæ consuetudine ei, qui sibi præpositus fuerat, esse subjectos, ita episcopi noverint se magis consuetudine, quam dispositionis dominicæ veritate, presbyteris esse majores et in commune debere ecclesiam regere."

Resp. 1. Dato Hieronymum negasse episcoporum superioritatem esse ex institutione divina, nihil inde sequeretur contra doctrinam catholicam, cum unius Hieronymi opinio nihil valeret contra communem sententiam antiquitatis; sequeretur tantum ipsum in hac re errasse, ideoque seponendum esse.

2. Ast merito negatur, Hieronymum a communi doctrina Ecclesiæ recessisse, non solum quidem propter magnam auctoritatem, qua S. Doctor in Ecclesia semper potitus sit, sed

etiam propter alias rationes. Nam *a)* alibi S. Hieronymus communem doctrinam haud obscure docet. Agnoscit discrimen inter episcopos et presbyteros ex collata a Christo potestate ordinationis dicens: „Quid enim facit, *excepta ordinatione,* episcopus, quod presbyter non faciat?" (Ep. ad Evang.). Et in Dialog. contra Luciferianos (c. 9) scribit: „Ecclesiæ salus in summi sacerdotis dignitate pendet, cui si non exsors quædam et ab omnibus eminens detur potestas, tot in ecclesiis efficientur schismata quot sacerdotes. Inde venit ut sine chrismate et *episcopi jussione* neque presbyter neque diaconus jus habeant baptizandi." Hanc autem episcopi superioritatem paulo ante ab Apostolis promanare dixerat: „Disce hanc observationem ex ea auctoritate descendere, quod post ascensum Domini Spiritus Sanctus ad Apostolos descendit." Nisi igitur sibi contradicat, noluit verbis supra allatis episcoporum superioritatem divinitus institutam negare. Insuper *b)* licet S. Doctor, æstu disputationis abreptus, in textu objecto nimis extollat presbyterorum eminentiam et non admodum accurate loquatur, ejus tamen verba recto et secundum communem Ecclesiæ doctrinam sensu exponi posse multis persuasum est. Sane quod dicit: „idem est presbyter, qui et episcopus," ipse proxime explicat de *nomine*, aiens: „Presbyterum et episcopum unum esse, et aliud ætatis, aliud nomen officii. . . Eosdem episcopos illo tempore, quos et presbyteros appellabant; propterea indifferenter de episcopis quasi de presbyteris est locutus (Paulus)." Quod autem ait: „Communi presbyterorum consilio ecclesias gubernatas esse" intelligi potest de communi actu gubernationis, quin dicatur par fuisse omnium auctoritas; ut ipse innuit subjungens: „episcopos et presbyteros in commune debere ecclesiam regere, imitantes Moysen, qui, cum haberet in potestate solus præesse populo Israel, septuaginta elegit, quibuscum populum judicaret." Neque enim illi septuaginta viri auctoritate pares erant cum Moyse. Quod non censuerit in illa communi gubernatione parem fuisse episcoporum et presbyterorum auctoritatem, eruitur quoque ex iis, quæ ipse scribit: „Quod Aaron et filii ejus atque levitæ, hoc sibi episcopi et presbyteri et diaconi vindicant in ecclesia." Quod demum dicit: „episcopi noverint se *magis* consuetudine, quam dispositionis dominicæ veritate, presbyteris esse majores,"

illud non excludit *dispositionem domininicam,* ut ostendit adverbium „magis." (1)

503. **Thesis II.** Ex Christi institutione, præter Romanum Pontificem, 1) potestatem jurisdictionis in Ecclesia obtinere debent episcopi, 2) qui singuli singulas ecclesias ordinaria jurisdictione regant. (2)

Prænotandum. Hic non quærimus, utrum jurisdictio singulis episcopis conferatur immediate a Deo, an a Summo Pontifice. Hac quæstione modo seposita a cujus solutione theseos veritas minime pendet, probare nitimur, Christi institutionem ac voluntatem esse, ut Ecclesia ab episcopis sub Petri successore ordinaria jurisdictione regatur.

Prob. 1ma pars. Ex demonstrata divina institutione ministerii apostolici perpetuo duraturi liquet voluisse Christum, ut præter unum Petrum ejusque successores essent alii, et quidem usque ad finem sæculorum, potestatem habentes docendi, sanctificandi et regendi Ecclesiam. Vi igitur hujus institutionis plures esse debent in Ecclesia, qui cum Petro et sub Petro potestate jurisdictionis potiantur. Hinc Apostolus (Eph. IV, 11 sq.) expresse dicit: „Ipse (Christus) dedit..... quosdam *pastores et doctores* ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi." Ex institutione itaque Christi debent esse perpetuo in Ecclesia pastores et doctores ad docendam, sanctificandam, regendam Ecclesiam. Atqui illos successores Apostolorum in ordinaria potestate regendi Ecclesiam, illosque pastores et doctores divinitus constitutos esse episcopos constat tum ex SS. Litteris, tum ex perpetua ac constanti traditione christiana. Teste enim Apostolo (Act. XX, 28) *„episcopi positi sunt a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei."* Quare, ut supra vidimus, ecclesia a *S. Cypriano* definitur: *„Plebs sacerdoti* (episcopo) *adunata* et *pastori suo grex adhærens"*, et dicitur „Episcopus esse in ecclesia et *ecclesia in episcopo."*

504. *Prob. 2da pars.* Alterum quod asserimus, nempe ex institutione Christi singulos episcopos, non universam Ecclesiam,

(1) Cf. *Petavius,* de eccl. hierarch. l. 2. c. 5; *Palmieri,* § 14: *De Groot,* q. 3. art. 7; *Pesch,* n. 361; *Tanquerey,* n. 64.

(2) Cf. *Palmieri,* § 17; *Jansen,* § 64. Prop. 2.

sed aliquam tantum ecclesiam particularem ipsis assignandam regere debere, liquet ex perpetuo inde a tempore apostolico ac constanti catholico intellectu divinæ institutionis episcopatus. Sane ita ipsos Apostolos Christi institutionem intellexisse et executioni mandasse, patet ex eo, quod Apostolus præcepit Tito I, 5 et 7, ut per civitates episcopos constitueret; Petrus 1 ep. V, 2. monet episcopos, ut pascant gregem Dei, qui *in ipsis* est; Joannes in Apocalypsi II sq. septem ecclesiarum totidem angelos seu episcopos commemorat. Hanc fuisse semper constitutionem Ecclesiæ, ex Christi institutione derivatam, ut singuli episcopi regerent portionem gregis sibi assignatam, luculentissime testatur traditio christiana, uti ex adductis pro thesi præcedente testimoniis satis superque liquet.

Episcoporum autem jurisdictionem esse *ordinariam* ex demonstratis manifestum est; nam est ex officio divinitus instituto.

505. **Scholion.** *De gradibus hierarchicis ab Ecclesia institutis.* 1. In hierarchia *ordinis* præter tres ordines seu gradus divinitus institutos, de quibus hucusque egimus, sunt in Ecclesia alii quinque *ordines inferiores: subdiaconatus, acolythatus, exorcistatus, lectoratus, ostiariatus.* His præmittitur *tonsura,* qua quis in statum clericalem cooptatur. Plures quidem præsertim ex antiquis scholasticis censent, ordines inferiores diaconatu esse totidem sacramenta ideoque institutionis divinæ; plures autem præsertim recentiores vel dubitant vel id negant. Optima videtur hujus quæstionis solutio, quam tradit *Thomassinus* scribens: „nihil probabilius quam minores ordines, comprehenso subdiaconatu, veluti quasdam portiones esse diaconatus, aliis aliisque temporibus et necessitatibus ab eo (per Ecclesiam) decerptas. Quamobrem aliquo sensu eoque vero recte dixeris, minores ordines in fonte sui ac origine i. e. in diaconatu, unde tamquam rivuli scaturierunt, institutionis esse divinæ."

2. In hierarchia *jurisdictionis duo tantum sunt gradus divinitus instituti: primatus* Summi Pontificis et *episcopatus.* Quia inter episcopos nulla jure divino constituta est inæqualitas, sed omnes pariter soli Romano Pontifici sunt subjecti, ideo gradus in ipso episcopatu obtinentes: *patriarcharum, primatum, archiepiscoporum* et *simplicium episcoporum* non ex jure divino,

sed ex jure ecclesiastico vel apostolico-ecclesiastico originem habent, et consequenter a Summo Pontifice abrogari, immutari, restringi possunt.

Quod ad *parochos* spectat, hi non sunt ex institutione divina, sed ex institutione ecclesiastica. Est quidem ex institutione Christi, ut sint sacerdotes secundi ordinis, qui *possint* assumi ad officium parochi; non vero est a Christo ordinatum, ut *debeant* esse parochi: primis enim sæculis parochi nulli fuerunt in Ecclesia. Hinc parochi qua tales non constituunt gradum distinctum hierarchiæ divinitus institutæ. Ne quidem *distinctum gradum* hierarchiæ ab Ecclesia institutum constituunt. Etenim distincti gradus hierarchiæ per distinctam et specialem potestatem constituuntur. Atqui parochi eamdem potestatem ordinis habent ac ceteri presbyteri: potestatem jurisdictionis in foro externo nullam habent: potestatem jurisdictionis in foro interno ex institutione Ecclesiæ habent quidem vi sui officii adeoque ordinariam, sed eamdem obtinere potest quilibet presbyter ab episcopo delegatam, ita ut discrimen sit non in majori vel minori potestate, sed totum in diverso modo communem potestatem acquirendi (Palmieri, § 17).

§ 4. De regiminis forma monarchica in Ecclesia.

506. Licet solutio quæstionis de forma regiminis a Christo in Ecclesia constituta pendeat a dogmate catholico de primatu Romani Pontificis, in secunda hujus tractatus parte probando; propter logicum tamen nexum et ad complementum doctrinæ de constitutione Ecclesiæ, hic veram doctrinam de forma regiminis ecclesiastici paucis exponendam esse ducimus.

I. **Triplex distinguitur forma regiminis.** Nulla potest esse societas sine auctoritate sociali, qua regatur, et quæ dicitur *forma* societatis. Juxta diversos modos, quibus exercetur auctoritas socialis, diversa regimina existunt. Jam vero tres formæ regiminis distinguuntur: *monarchica, aristocratica* et *democratica.* Habetur *monarchia,* quando suprema potestas regendi est *in uno.* Adest *aristocratia,* quando suprema potestas est in *paucis* et *optimatibus,* qui ex æquo participes sunt jurisdictionis, ita ut licet inter illos aliquis honoris gradu præcellere possit, nemo tamen sit, qui præ ceteris potestate

polleat aliosque sibi subditos habeat. *Democratia* demum est regimen *totius populi,* ita ut suprema potestas sit actu in universa societate, quæ leges sancit, omnes magistratus instituit, quos judicare et punire pro culpa potest. Si una vel altera ex hisce formis sola obtinet, habetur forma regiminis *simplex.* Possunt tamen ex permixtione duarum vel trium illarum formarum oriri regimina *mixta.* Hisce formis hodie additur regimen *constitutionale* seu *repræsentationum*, quod est temperamentum quoddam monarchiæ et democratiæ, quodque refertur ad formam monarchicam, licet non sit nisi nomine monarchicum. Etenim in regimine constitutionali suprema auctoritas legislativa est præcipue saltem penes delegatos a populo, potestas autem *executiva* legum penes regem et ejus ministros. Hinc illud recens ineptum adagium: *Rex regnat, sed non gubernat.*

Hisce prænotatis quæritur: quamnam regiminis formam in Ecclesia instituerit Christus? Consulto quærimus, quamnam formam *instituerit Christus:* nam forma regiminis ecclesiastici non est a priori fingenda neque ex analogia aliarum societatum derivanda, sed ex institutione Christi, fundatoris Ecclesiæ, est desumenda. Itaque

507. II. **Traditur vera doctrina.** 1. *Forma regiminis ecclesiastici non est democratica;* hoc jam demonstratum est § 2 hujus articuli. Ex ibidem dictis liquet, regimen Ecclesiæ non solum non esse *actu* sed neque *radicaliter* democraticum, quemadmodum docuit Abulensis Episcopus Tostatus, dicens jurisdictionem non quidem secundum actum et usum esse in multitudine, eam tamen esse *in communitate secundum originem et virtutem;* quia omnes personæ accipientes potestatem ex virtute communitatis eam accipiunt. Hoc enim prorsus abludere ab institutione Christi, patet ex supra allatis argumentis, quibus probavimus, Christum nullam potestatem dedisse communitati fidelium, sed omnem potestatem contulisse Apostolis a se electis et a cœtu fidelium secretis.

2. *Regimen ecclesiasticum non est aristocraticum.* Licet enim Episcopi jure divino regant Ecclesiam, eorum tamen etiam collective sumptorum potestas non est suprema, sed dependens a potestate Summi Pontificis, Petri successoris, eique subordinata.

508. 3. *Forma regiminis ecclesiastici est monarchica.* Ex

institutione enim Christi suprema potestas in Ecclesia est indivisa penes unum. Uti postea probabimus, Christus plenitudinem potestatis contulit uni Petro ejusque in primatu successoribus, ipsum unum constituit visibile caput suæ Ecclesiæ in terris, ut sua potestate suprema et independente regat universam Ecclesiam, ut præsit immediate omnibus sive singillatim sive collective sumptis.

Si vero quæratur, utrum monarchia in Ecclesia sit *simplex,* an *temperata* vel *mixta* aristocratia; non una videtur esse Catholicorum sententia. Sunt enim nonnulli, qui cum *Bellarmino* statuant regimen Ecclesiæ monarchicum esse aristocratia aut etiam democratia temperatum. Contra illos autem innumeri theologi et canonistæ docent, regimen ecclesiasticum esse monarchiam simplicem. „Discrimen, inquit *Mazzella* (disp. 3. art. 8. § 1), inter hos theologos (qui dicunt regimen Ecclesiæ esse simpliciter monarchicum) et Bellarminum non *rei* est, sed *nominis;* aut si rei dici velit, illud non ipsam Ecclesiæ constitutionem respicit, sed potius conceptum quem sibi de regimine simpliciter monarchico efformant." De hac quæstione bene scribit idem *Mazzella* l. c.: „Si verus monarchiæ conceptus retineatur, facile patet constare, quoad rem, apud catholicos, Ecclesiam esse *simplicem monarchiam.* Constat enim apud ipsos 1) plenitudinem supremæ potestatis in Ecclesia fuisse a Christo Petro collatam, eamque permanere integre in Petri successoribus. 2) Apud simplices fideles nullam esse potestatem in regimine Ecclesiæ. 3) Episcopos, sive singillatim sive collective sumptos, pendere a Petri successore; hunc vero ita esse ab ipsis independentem, ut ab eorum suffragio minime pendeat vis et efficacia eorum quæ decernit. 4) Quid ergo superest? Id solum, quod Episcopi debeant esse in Ecclesia jure divino, qui proinde non sint tamquam vicarii Summi Pontificis, sed ordinariam jurisdictionem habeant. At id, proprie loquendo, non efficit, ut Ecclesiæ regimen non sit vere monarchicum: Episcoporum enim potestas subordinata est supremo Capiti, ab eoque dependens; Capitis e contra potestas non pendet ullo modo ab Episcoporum potestate; nulla ergo est divisio supremæ potestatis, ejusque diminutio in capite. Quare qui ob originariam Episcoporum potestatem, regimen Ecclesiæ mere monarchicum negant, vel monarchicum

Aristocratia temperatum appellant, minus accurate minusque proprie loqui convincuntur; cum aut Monarchiam aut Aristocratiam alieno ac improprio sensu intelligi oporteat; ac tale temperamentum admittunt, quod vere non temperat supremam unius Capitis potestatem." Quæ cum ita sint, cumque in re tam gravi proprie et accurate sit loquendum, abstinendum omnino est a dicendo regimen Ecclesiæ monarchicum mixtum vel temperatum aristocratia; et dicendum econtra est, Ecclesiam esse *simplicem Monarchiam.* Multo minus dici potest regimen Ecclesiæ monarchicum temperatum democratia, cum populo nulla prorsus in regimine Ecclesiæ potestas competat.

Solum dici potest Monarchia Ecclesiæ *temperata* in propria oppositione ad monarchiam *absolutam,* quatenus scilicet *temperata est legibus evangelicis.* Licet enim Summus Pontifex habeat plenitudinem potestatis in Ecclesia et ideo vere sit monarcha Ecclesiæ; est tamen Vicarius Christi, qui non proprio arbitrio regit Ecclesiam, sed sub Christo, qui per seipsum ordinavit Ecclesiam suam legibus a se latis. Has leges evangelicas potest quidem Summus Pontifex auctoritative interpretari, eas tamen neque immutare, neque contra illas Ecclesiam sibi commissam regere potest. Quia igitur suprema potestas Summi Pontificis non quidem dividitur inter plures, sed *restringitur* illis legibus positivis, ideo sensu indicato regimen Ecclesiæ monarchicum dici potest temperatum. (1)

§ 5. Ecclesia est societas perfecta et a civili societate prorsus independens.

509. I. **Exponitur status quæstionis.** 1. Cum hodie sat communis sit error, Ecclesiam esse instar *collegii* a civili societate dependentem, cumque generatim nostra ætate omnes Ecclesiæ hostes rationem societatis perfectæ et independentis denegent Ecclesiæ, ut eam, quam eradicare nequeunt, in vincula conjiciant, haud abs re erit, hujusmodi errores directe impugnare ostendendo, Ecclesiam esse societatem perfectam et a civili societate independentem. Hoc breviter tantum

(1) Cf. *Zigliara,* Propaed. ad S. Theol. l. 4. c. 11; *Palmieri,* de Rom. Pont. th. 18; *Mazzella,* disp. 3. art. 8; *Jansen,* § 65; *De Groot,* q. 3. art. 8; *Pesch,* n. 364 sqq.

præstabimus, fusior enim hujus doctrinæ evolutio et probatio ad juris canonici peritos spectat.

Errores catholicæ doctrinæ oppositos proscripsit *Pius IX* in *Syllabo,* in quo damnantur plures propositiones, quæ jura Ecclesiæ lædunt, quarum præcipua est prop. 19: „Ecclesia non est vera perfectaque societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus juribus sibi a divino suo Fundatore collatis, sed civilis potestatis est definire, quæ sint Ecclesiæ jura ac limites, intra quos eadem jura exercere queat."

510. 2. *Notio societatis perfectæ.* Illa societas dicitur *perfecta,* quæ est integra et in se tota seu quæ ita est in se completa, ut media sufficientia ad suum finem consequendum in semetipsa habeat. Hinc ad rationem perfectæ societatis hæc requiruntur:

a) ut non sit pars alterius societatis, secus enim non esset in se tota et completa, cum pars sit totius et non nisi in toto suum complementum habeat. *b) Ut non habeat finem alterius societatis fini in eodem genere subordinatum;* a fine enim pendet existentia et natura societatis, si igitur finis unius subordinatur alterius fini, etiam una societas subordinatur alteri nec proinde est in se completa sed veluti pars alterius. *c) Ut consequenter habeat in semetipsa media necessaria* ad suam conservationem et sui finis consecutionem; secus enim deberet ab alia accipere, nec proinde esset in se tota et completa. *d) Ut sit in suo genere independens;* hoc enim ex præcedentibus consequitur. Nam societas, cujus finis alterius societatis fini non subordinatur, et quæ in semetipsa habet media sufficientia, profecto est societas independens.

Cum ad rationem perfectæ societatis requiratur, ut ipsa sibi sufficiens sit ad assequendum finem, seu ut habeat in semetipsa media sufficientia, notandum est, non necessario requiri, ut societas habeat in semetipsa omnia media necessaria *re,* sed sufficere ut ea habeat *re* vel *virtute.* Habet ea *re,* quando nullo modo illa repetere debet ab alia societate; habet vero ea *virtute,* quando illa quidem repetere debet ab alia societate, sed ea repetere potest *proprio jure,* ita ut hæc altera societas neque jus habeat ea negandi, nec ultimatim judicandi utrum sint concedenda.

511. II. **Statuitur vera doctrina.**

Thesis. Habita ratione tum finis tum potestatis Ecclesiæ, patet Ecclesiam esse societatem perfectam et a civili societate prorsus independentem. (1)

Prob. 1. Ex fine Ecclesiæ. Finis supremus non potest ad alium finem ordinari neque ejus veluti pars esse. Atqui finis Ecclesiæ est supremus, nempe sanctitas in hac vita et salus æterna in altera. Ergo finis Ecclesiæ non potest ad alium quemvis finem ordinari neque ejus pars esse. Jam vero natura cujusvis societatis ab ejus fine determinatur. Ergo Ecclesia est natura sua societas suprema ad nullam aliam societatem ordinata, et nullius alterius pars: est proinde societas in se tota et completa seu perfecta.

512. *Prob. 2. Ex independentia potestatis ecclesiasticæ.* Ecclesia est societas perfecta et a civili independens, si ejus auctoritas est omnino independens a potestate civili. Atqui Ecclesiæ auctoritas est omnino independens a quavis potestate civili. Ergo.

Prob. min. a) Ex verbis Christi, ex quibus constat Christum in sua Ecclesia constituisse magistratus proprios cum potestate amplissima et a quavis potestate humana, adeoque et a civili, independente. Verba Christi ad Apostolos sunt (Matth. XVIII, 18): „Quæcumque alligaveritis super terram erunt ligata et in cœlo, et quæcumque solveritis super terram erunt soluta et in cœlo." Hisce verbis exhibetur potestas tum universalissima (quæcumque) adeoque ad consequendum finem certe sufficiens, tum independens a quavis potestate humana, nam quodcumque ligat hæc potestas, ligat Deus, quodcumque solvit, solvit Deus. Ergo Ecclesia est societas sui juris seu *autonoma* et a societate civili *independens.*

Prob. min. b) ex scopo potestatis ecclesiasticæ. Enimvero cum potestas in quavis societate spectet ad efficiendam conspirationem et unitatem totius societatis, potestas Ecclesiæ spectat ad efficiendam unitatem totius Ecclesiæ. Jam vero hæc nequit esse principium efficiens illam unitatem, nisi sit a civili potestate independens. Ecclesia enim diffusa est per

(1) Cf. *Mazzella,* disp. 3. art. 9; *Zigliara,* l. 4. c. 4; *Palmieri,* § 18; *De Groot,* q. 4. art. 1; *Hurter,* n. 215 sqq.; *Pesch,* n. 379 sqq; et Canonistae passim.

plurimas societates civiles sibi sæpe inimicas, quare si esset a potestate civili dependens, potestas ecclesiastica alio et alio modo se gerere deberet in diversis regnis juxta placitum diversorum principum: ideoque deficiente directione communi et uniformi pro universa Ecclesia, deficeret Ecclesiæ unitas. Imo si Ecclesiæ potestas penderet a potestate civili, potestas suprema pro Ecclesia esset in singulis regnis potestas civilis; consequenter non una amplius esset Ecclesia, sed tot essent Ecclesiæ, quot regna, quia tot essent Ecclesiæ quot supremæ potestates.

Ex demonstratione facta consequitur, potestatem ecclesiasticam non solum non *directe,* sed neque *indirecte* pendere a potestate civili. Dependentia unius potestatis ab alia dicitur *directa*, quando aliqua potestas subest alteri *ratione sui* prout nempe est talis potestas; ita potestas inferior subest potestati in eodem ordine superiori. Hæc saltem dependentia directa potestatis ecclesiasticæ a potestate civili probatione facta manifeste excluditur. Dependentia dicitur *indirecta,* quando una potestas alteri subest *ratione alterius rei,* puta ratione finis superioris et excellentioris, quem intendit hæc altera potestas et cui illa potestas nequit adversari, sed ei potius tamquam medium subordinatur. Porro hanc etiam indirectam dependentiam potestatis ecclesiasticæ a potestate civili negandam esse, ex dictis pariter manifestum est; finis enim Ecclesiæ utpote superior imo supremus fini societatis civilis nullatenus subordinatur.

3. Hanc Ecclesiæ autonomiam et independentiam Patres et Summi Pontifices amplissime asseruerunt et strenue defenderunt. Vide testimonia apud *Bellarminum,* de Rom. Pont. l. 1. c. 7. (1)

513. **Scholion I.** *Habitus inter Ecclesiam et civilem societatem.* Licet Ecclesia sit societas perfecta, a societate civili distincta eaque longe præstantior, non tamen inde sequitur, illas societates nullo nexu inter se vinciri. Qualis autem sit hic nexus, ad canonistas spectat definire. Sufficiat nobis de

(1) Huc inter alia pertinent variae propositiones in *Syllabo* damnatae, quarum praecipua est prop. 19 supra relata. Huc spectant quoque verba *Leonis XIII* (Encycl. *Immortale Dei,* 1 Nov. 1885): Ecclesia „societas est genere et jure perfecta, cum adjumenta ad incolumitatem actionemque suam necessaria, voluntate beneficioque conditoris sui omnia in se et per se ipsa possideat." Cf. Encycl. *Libertas,* 20 Junii 1888; et *Sapientiae Christianae,* 10 Jan. 1890.

habitu Ecclesiam inter et civilem societatem nominatim catholicorum hæc breviter notare: 1. Societas civilis licet distincta ab Ecclesia ab hac tamen non debet *separari,* ita ut civilis societas indifferenter se haberet in iis quæ ad religionem spectant. Duæ illæ societates apte a Deo coordinatæ potius amico fœdere conjungi debent, ex qua conjunctione maxima in utramque societatem commoda redundant. 2. Civilis societas *non directe* subordinatur Ecclesiæ, non proinde subest Ecclesiæ in rebus temporalibus et sub respectu finis temporalis. Est enim civilis societas etiam societas perfecta, in suo ordine suprema ideoque in suo ordine et sphæra independens. 3. Cum finis Ecclesiæ sit altior fine societatis civilis, hæc Ecclesiæ *indirecte* subordinatur, et quidem tum *negative,* quatenus civilis societas, etiam intra limites proprii sui objecti, nihil agere possit, quod sit contra finem Ecclesiæ, in quo judicio ipsius Ecclesiæ acquiescere debet; tum *positive,* quatenus civilis potestas suppetias ferre debet Ecclesiæ eique illa præstare auxilia, quæ Ecclesia ipsa ad suum proprium finem necessaria esse aut conferre judicat. Hinc civilis societas vel in ipsis rebus temporalibus, concurrente necessitate finis spiritualis, Ecclesiæ cedere debet. (1)

514. **Scholion II.** *Ecclesia est societas legalis et quidem ubique legalis.* Societas dicitur legalis, quæ secundum legem est, sive naturalem, sive positivam aut divinam aut humanam. Cum itaque Ecclesia sit instituta immediate a Christo, Deohomine, existit ex lege *positiva divina,* seu existit jure divino, et est proinde societas *legalis* habens jus divinum existendi. Cumque insuper Christus instituerit suam Ecclesiam ita, ut possit et debeat ubique propagari, habet quoque ex institutione divina jus ubique se propagandi et existendi atque liberrime agendi, estque proinde societas *ubique legalis.* Cum autem contra hanc summam Ecclesiæ legalitatem, ortam ex lege divina, nihil valeant leges humanæ, patet injustas prorsus et irritas esse omnes leges humanas, quæ hujusmodi supremæ legalitati refragentur. (2)

(1) Cf. *Leo XIII,* Encycl. *Diuturnum,* 20 Jun. 1881; *Immortale Dei,* 1 Nov. 1885; *Libertas,* 20 Jan. 1888; et, praeter Canonistas, *Mazzella,* disp. 3. art. 10; *De Groot,* q. 11; *Tanquerey,* n. 227 sqq.

(2) Cf. *Mazzella,* disp. 3. art. 6; *De Groot,* q. 4. art. 2.

ART. III. **De membris Ecclesiæ.** (1)

515. Ad absolvendam doctrinam de constitutione Ecclesiæ superest, ut quæstionem de membris Ecclesiæ instituamus. Ut hæc quæstio, quæ valde complexa est, planius et facilius solvatur, proponemus plures distinctas quæstiones, exordiendo ab indagandis conditionibus requisitis ut quis sit membrum Ecclesiæ. Verum ut rite intelligatur sensus et scopus hujus primæ quæstionis, quædam breviter sunt

Prænotanda: 1. Aliud est *simpliciter pertinere* ad Ecclesiam et esse membrum ejus, aliud est *secundum quid,* seu *ex aliqua parte* pertinere ad Ecclesiam. Fieri enim potest, ut quis aliquo vinculo imo pluribus vinculis cum Ecclesia aliquatenus cohæreat, quin tamen ad eam simpliciter pertinere ejusque vere membrum esse dici possit. Hic quærimus conditiones requisitas, ut quis simpliciter pertineat ad Ecclesiam et vere ejus membrum haberi possit.

2. Cum Ecclesia Christi sit essentialiter visibilis et nulla alia, præter visibilem Ecclesiam, a Christo in terris sit instituta, quæritur hic, quid requiratur, ut quis ad veram *Ecclesiam visibilem* tamquam membrum pertineat.

3. Scopus hujus quæstionis est, ut ea soluta, facilius ac plenius solvatur ipsa quæstio de membris Ecclesiæ. Statutis enim conditionibus, sine quibus nemo potest esse vere membrum Ecclesiæ, illico sequitur, illos omnes et solos esse proprie membra Ecclesiæ, in quibus omnes illæ conditiones inveniantur; econtra vero omnes illos non esse simpliciter membra Ecclesiæ, qui vel omnibus vel una ex requisitis conditionibus destituantur, quamvis horum plures ad Ecclesiam secundum quid et ex aliqua parte pertinere possint.

516. *Quæritur I. Quænam conditiones requirantur, ut quis sit membrum Ecclesiæ Christi?*

Respondetur: Conditiones necessariæ ad constituendum vere et simpliciter membrum Ecclesiæ colligendæ sunt ex natura ipsius Ecclesiæ a Christo in terris fundatæ. Hanc porro naturam apte exprimit vulgata Ecclesiæ definitio, quam post *Bellarminum* theologi communiter tradunt: „*Ecclesia est cœtus*

(1) Cf. *Bellarminus,* de Eccles. l. 3. c. 2—10; *Franzelin,* th. 22 sq.; *Mazzella,* disp. 3. art. 11.

hominum viatorum unius et ejusdem fidei professione et eorumdem sacramentorum communione conjunctus sub regimine legitimorum pastorum ac præcipue Romani Pontificis." Ex hac definitione colligitur, tres esse conditiones necessarias: 1) *unitatem fidei cum fidei sacramento,* nempe Baptismate; 2) *unitatem legitimæ subordinationis* seu obedientiam hierarchicam, quam etiam unitatem caritatis socialis vocant; 3) *unitatem juridicæ communionis,* seu jus permanens communionis ecclesiasticæ.

Cum hæ conditiones sponte fluant ex natura Ecclesiæ, cumque ex toto hoc tractatu liqueat, naturam Ecclesiæ revera talem esse, qualem eam in data definitione indicavimus, haud erit necesse, singularum conditionum necessitatem data opera demonstrare, sed quædam breviter adnotasse sufficiet.

517. 1. *a*) Prima conditio, sine qua nemo potest esse membrum Ecclesiæ, est *unitas fidei,* est obedientia fidei, explicita scilicet vel saltem implicita professio totius fidei ab Ecclesia propositæ et prædicatæ. Ecclesia enim Christi in terris est essentialiter *regnum veritatis revelatæ,* cui respondet fides divina. In hoc autem regno visibili omnis veritas revelata concredita est magisterio visibili a Christo instituto ad eam infallibiliter custodiendam eamque authentice prædicandam et explicandam omnibus hominibus usque ad consummationem sæculi: „Euntes ergo docete omnes gentes . . . . . docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi." Huic prædicationi authenticæ omnes, qui ad Ecclesiam Christi pertinere et per eam salutem æternam consequi volunt, obedientiam fidei præstare tenentur: „Prædicate evangelium omni creaturæ . . . . qui non crediderit condemnabitur." Fides ergo in Ecclesia Christi requisita est obedientia fidei, est omnium et singulorum unius fidei professio sub magisterio visibili a Christo instituto; ideoque prima conditio, sine qua nemo potest esse membrum regni Christi in terris, est *professio totius fidei ab Ecclesia propositæ.*

b) Præter fidem autem requiritur initiatio per *sacramentum Baptismi,* quo imprimitur indelebilis character tamquam consecratio in membrum corporis Christi. Cum fide enim ubique conjungitur Baptismus ad formanda membra Ecclesiæ: „qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit;" „qui receperunt

sermonem ejus (Petri) baptizati sunt, et appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia" (Act. II, 41). Hinc Baptismus vocatur *janua* Ecclesiæ et catechumeni dicuntur esse „in vestibulo," quibus adhuc „in ipsam aulam ingredi necesse est." Quare declarat *Eugenius IV* in decreto ad Armenos: „Primum omnium sacramentorum locum tenet sanctum Baptisma, quod vitæ spiritualis janua est; per ipsum enim membra Christi et de corpore efficimur Ecclesiæ."

518. 2. Secunda conditio est *unitas legitimæ subordinationis,* seu obedientia hierarchica. Sicut enim ex institutione Christi Ecclesiæ essentiale est magisterium infallibile cum respondente unitate fidei, sic ex eadem institutione ipsi essentialis est *potestas regiminis* in legitima successione apostolica et nominatim in successoribus Petri, eidemque potestati respondens obedientia et per hanc unitas seu communio ecclesiasticæ conversationis, quæ unitas caritas socialis vocari solet; quatenus scilicet ista obedientia singuli fideles cum suis pastoribus, perque suos pastores secum ipsis cohærentes in unum corpus in unam societatem omnes concurrunt. „Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam .... et tibi dabo claves regni cœlorum" (Matth. XVI). „Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos .... alios autem pastores et doctores ad comsummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi" (Eph. IV). Qui igitur non vult fundari in petra non est de domo Christi, Ecclesia; qui renuit obedire potestati clavium non est de regno Christi; qui recusat subesse ministerio, quo ædificatur corpus Christi, non est membrum corporis Christi, Ecclesiæ. Quare etiam Christus expresse extorrem a suo regno pronuntiat illum, qui renuit obedire potestati ecclesiasticæ: „si Ecclesiam non audierit, sit tibi tamquam ethnicus et publicanus."

In communione ecclesiasticæ conversationis, per obedientiam potestati ecclesiasticæ præstitam, includitur quoque, uti patet, *communicatio sacramentorum* sub legitimo sacerdotio, a Christo in sua Ecclesia instituto, a quo solo sacramenta legitime administrantur. In subjectione igitur sub hierarchica Ecclesiæ potestate, sine qua nemo potest esse membrum Ecclesiæ, continetur etiam subjectio sub ejusdem Ecclesiæ potestate liturgica.

519. 3. Ex institutione Christi, ex doctrina et praxi Apostolorum constat, Ecclesiam vi suæ plenissimæ potestatis regiminis, quæ non solum legifera, sed etiam judiciaria et coercitiva est, posse eos, qui gravium criminum rei sunt, excludere ob Ecclesia. Talis porro excommunicationis sententia, qua quis a communione ecclesiastica repellitur, si est perfecta, privat generatim omnibus illis bonis, quæ pendent ab Ecclesia atque ejusdem ministerio conferuntur aut denegantur. Quare directe et immediate privat iis visibilibus bonis, quibus ecclesiastica communio perficitur, externa scilicet communicatione seu participatione in liturgia et sacramentis, et eo ipso privat etiam illis bonis spiritualibus et invisibilibus, quæ in istis visibilibus continentur et per ea conferuntur. Cum igitur Ecclesia possit graviter delinquentes a suo gremio excludere ita ut non amplius sint ipsius membra, cumque hoc faciat privando eos per excommunicationem jure communicationis in bonis ecclesiasticis, liquet *jus permanens communionis ecclesiasticæ* esse conditionem, sine qua nemo vere membrum Ecclesiæ esse possit *(Franzelin,* th. 22).

520. *Quær. II. Quinam non sint membra Ecclesiæ?*

Resp. Inspectis conditionibus requisitis ut quis sit membrum Ecclesiæ, liquet non esse membra Ecclesiæ:

1. *Infideles,* qui cum omnibus conditionibus destituantur, manifeste omnino foris sunt.

2. *Hæreticos*, quia carent integritate fidei; et cum integritas fidei sit fundamentum, cui et subjectio hierarchica et communio juridica innitantur, atque ideo hæresis per se includat schisma et excommunicationem, hæretici carent quoque unitate tum hierarchicæ subjectionis tum communionis ecclesiasticæ. Hinc ipsa Scriptura S. et omnia monumenta antiquitatis hæreticos a gremio Ecclesiæ excludunt.

3. *Schismaticos,* qui renuentes subesse potestati ecclesiasticæ, nominatim potestati supremæ Summi Pontificis, scindunt unitatem caritatis socialis et carent proinde unitate legitimæ subordinationis.

4. *Excommunicatos* plena et perfecta excommunicatione, quia unitate juridicæ communionis carent.

5. *Catechumenos*, qui nondum Baptismo initiati nec ad communionem ecclesiasticam admissi sunt.

521. *Quær. III. An prædicti saltem aliquatenus ad Ecclesiam Christi pertinere seu referri dici possint?*

Resp. Licet supra memorati simpliciter ad Ecclesiam non pertineant nec ejus membra vere sint, omnes tamen illi, præter infideles qui omnino foris sunt, *secundum quid* et ex aliqua parte ad eam pertinere dici possunt; ita tamen ut hæc aliqualis eorum cohæsio cum Ecclesia in diversis aliter atque aliter se habeat. Hoc secundum quid pertinere ad Ecclesiam quomodo in diversis illis se habeat concinne et dilucide enuntiat *Franzelin* (th. 23): „1. Qui in secta aliqua (hæretica vel schismatica) *materialiter* tantum (h. e. bona fide) versantur, ii in foro interno et in judicio Dei per veram fidem et characterem baptismi sunt membra unius catholicæ Ecclesiæ Christi, in foro tamen externo et in judicio Ecclesiæ adulti inter eos *præsumuntur* hæretici et schismatici; hæretici et schismatici *formales* ipso charactere baptismali manent jurisdictioni ac legibus Ecclesiæ subjecti, et eodem charactere omnibusque institutis Ecclesiæ propriis quæ sibi retinuerunt, eo strictius obligantur, ut redeant ad ovile, cujus signum gerunt impressum, sicut vicissim Ecclesia oves cum signo errantes eo diligentius quærit. 2. Excommunicati ex ipsa intentione pœnæ *medicinaliter* non *mortaliter* sunt exclusi, ut quam primum satisfaciendo quærant reconciliationem, et vi pœnæ bonis quidem visibilibus Ecclesiæ visibilis, non tamen per se spiritualibus, nisi quatenus hæc cum illis cohærent, privati sunt. 3. Catechumeni quantumvis fide, spe et caritate cum spiritu Ecclesiæ (cum anima Ecclesiæ) atque ita voluntatis *voto* cum ipsa visibili Ecclesia in terris uniri possint, quoniam tamen eidem *actu ipso* et charactere sacramenti fidei incorporati non sunt, ideo nec visibilium mysteriorum Ecclesiæ participes esse possunt, nec ejus jurisdictioni ac legibus obnoxii sunt, sed ex lege divina et naturali obligantur magisterio Ecclesiæ ejusdemque magisterii disciplinæ."

522. *Quær. IV. Utrum hæreticus occultus sit membrum Ecclesiæ?*

Resp. 1. Sunt non pauci theologi, uti *Suarez* et alii, qui *negent* hæreticos occultos esse membra Ecclesiæ. In hanc sententiam negantem inclinat recens *Murray* (de Ecclesia, disp. 3. n. 107). In hujus sententiæ patrocinium adducuntur

verba *Pii IX* in Bulla *Ineffabilis Deus,* in qua Summus Pontifex post definitam Immaculatam Conceptionem B. M. V. ita prosequitur: „Quapropter si qui secus ac a Nobis definitum est, quod Deus avertat, præsumpserint *corde sentire,* ii noverint, ac porro sciant se proprio judicio condemnatos, naufragium circa fidem passos esse, *et ab unitate Ecclesiæ defecisse,* ac præterea facto ipso suo semet pœnis a jure statutis subjicere, si quod corde sentiunt, verbo aut scripto aut alio quovis externo modo significare ausi fuerint."

2. Alii cum *Bellarmino communius tenent,* hæreticos occultos esse vere membra Ecclesiæ, licet sint membra imperfecta, arida, mortua, ut ea vocat Bellarminus. Inter recentiores *Palmieri* (op. cit. § 11) Bellarmini sententiam, quam veram esse censet, pluribus tuetur. Inculcat ipse (ibid.) „principium formale Ecclesiæ, prout est *societas*, esse auctoritatem, atque hanc, quatenus est formale principium, non immerito appellari posse animam Ecclesiæ." Inde infert: „Quotquot proinde illi auctoritati subsunt, ab ea animari dicendi sunt. Jam vero qui exterius profitentur fidem, quam Ecclesiæ auctoritas docet, qui eidem obediunt, et cum ea in participatione sacrorum communicant, imperfecte quidem, quia fidem ex corde detrectant, aliquo tamen vero modo ab eo principio formali animantur, quia libere ei se in extrinseca professione et communione subordinant." Distinguit enim *duplicem* Ecclesiæ vitam, „alteram *externam* et *socialem,* cujusmodi competere potest cuique bene institutæ societati, alteram *interiorem*, quæ singula membra immediate afficit vel afficere potest. . . . . Duplex ergo principium *formale* distinguendum est in Ecclesia: alterum principium formale *societatis,* alterum principium formale *vitæ supernaturalis* in membris. Illud essentiale est Ecclesiæ, ut ea sit societas mediumque idoneum hominibus pro consequenda justitia et salute; hoc necessarium est membris, ut illud assequantur et sint propter quod ad Ecclesiam sunt vocati." Et re quidem vera hæreticum occultum adhuc esse membrum Ecclesiæ videtur dicendum, quia secundum omnes episcopus vel parochus occulte hæreticus retinet jurisdictionem; imo si quis concedit absolute fieri posse, ut Summus Pontifex sit occulte hæreticus (hoc fieri non posse saltem non est certum), debet concedere occulte hæreticum posse esse caput Ecclesiæ.

Atqui jurisdictionem in Ecclesia habere et a fortiori caput Ecclesiæ esse non potest, nisi qui sit membrum Ecclesiæ. Ergo occulte hæreticus manet membrum Ecclesiæ. Hanc sententiam etiam tuetur *Mazzella,* op. cit. disp. 3. art. 11. Neque contra hanc sententiam nimis urgeri possunt verba Pii IX in Bulla: *Ineffabilis,* quia vix admitti potest, Pontificem obiter et nullo præmisso examine controversiam inter catholicos celebrem dirimere voluisse.

523. *Quær. V. Utrùm e censu membrorum Ecclesiæ excludantur non prædestinati et peccatores?*

Resp. Plures hæretici uti Novatiani, Donatistæ, Wickleffitæ, Hussitæ et nonnulli Protestantes contendunt, omnes et solos prædestinatos, vel omnes et solos justos esse membra Ecclesiæ. Hi errores sæpius damnati sunt ab Ecclesia.

Contra hos tenendum est *dogma catholicum,* ad Ecclesiam Christi pertinere non solum prædestinatos et justos, sed etiam *non prædestinatos* et *peccatores,* exceptis utique illis, quos supra ab Ecclesia exclusos esse diximus. Sit itaque

Thesis. 1) Non omnes semper nec soli prædestinati sunt membra Ecclesiæ; 2) neque peccatores ab Ecclesia excluduntur.

Prob. 1ma pars: Non omnes semper nec soli prædestinati sunt membra Ecclesiæ.

1. *Non omnes prædestinati semper pertinent ad Ecclesiam.* Si enim omnes prædestinati essent membra Ecclesiæ, sequeretur omnes qui aliquando salvabuntur, adeoque prædestinati sunt, licet nunc in infidelitate, in Judaismo aut odio Christianismi sint, esse vera membra Ecclesiæ. Hoc autem plane absurdum est atque a tota Scriptura S. et universo sensu christiano quam maxime abhorret. Sane Saulus, licet prædestinatus, non erat membrum Ecclesiæ, quando adhuc spirans minarum et cædis persequebatur discipulos Domini.

2. *Non soli prædestinati sunt membra Ecclesiæ.* Nam *a)* hoc admisso periret visibilitas Ecclesiæ, quia nobis incompertum est, qui sint prædestinati.

b) Omnes fideles particularium ecclesiarum Romæ, Ephesi, Corinthi etc., ad quos suas epistolas dedit S. Paulus, boni et mali certe erant membra Ecclesiæ. Atqui dici nequit, eos omnes fuisse prædestinatos: hoc enim conciliari nequit cum

universo tenore harum epistolarum, in quibus Apostolus acriter reprehendens peccatores, non modo nullum dat indicium eos esse prædestinatos, sed imo anxietatem manifestat circa suam ac bonorum finalem perseverantiam.

Prob. 2da pars. Ab Ecclesia non excluduntur peccatores, sed ea ex justis et peccatoribus constat.

Hoc patet 1. *ex variis parabolis et imaginibus, quibus Ecclesia adumbratur,* quæque in hoc conspirant, ut significent bonorum et malorum commixtionem in una eademque societate. Tales e. g. sunt parabolæ *sagenæ* missæ in mare et ex omni genere piscium congregantis bonos et malos (Matth. XIII, 47); *convivii nuptialis,* ad quod ingressus est etiam homo non vestitus veste nuptiali (Matth. XXII, 2); *decem virginum,* quarum quinque erant prudentes et quinque fatuæ (Matth. XXV): imago *domus magnæ,* in qua sunt vasa in honorem et vasa in contumeliam (2 Tim. II, 20). Hoc argumento SS. Patres passim usi sunt contra Donatistas, et tanta fuit vis hujus argumenti, ut, teste Augustino, eo victi Donatistæ fassi tandem sint, malos bonis permixtos in Ecclesia existere.

Hoc patet 2. ex reprehensionibus Pauli in 1 Ep. ad Cor.; ex judicio lato in fornicarium Corinthium (ibid. cap. V); ex monito de præmittenda probatione sumptioni Eucharistiæ (ibid. XI); ex præcepto fraterne corripiendi peccatores eosque hac correptione non emendatos deferendi ad tribunal Ecclesiæ (Matth. XVIII); maxime ex collata Ecclesiæ protestate remittendi peccata (Joann. XX). Hæc sane omnia manifestissime supponunt in Ecclesia semper etiam fore peccatores.

Accedit 3. *luculentum suffragium universalis traditionis.* Hanc Patres amplissime testantur tum *a)* theoretice, dum omnes docent quod scribit *S. Fulgentius* (de Fide ad Pet. c. 43): „Firmiter crede, et nullatenus dubites, aream Dei esse catholicam Ecclesiam, et intra eam usque ad finem sæculi frumento mixtas paleas contineri, id est, bonis malos sacramentorum communione misceri."

Tum *b)* practice, nominatim dum crebris suis increpationibus et exhortationibus peccatores in Ecclesia ad pœnitentiam et vitæ emendationem adducere student.

Demum 4. si Ecclesia constaret ex solis justis, periret ejus visibilitas, cum sciri a nobis nequeat, quinam sint justi.

524. *Quær. VI. Ad quid attendendum sit, ut rite intelligantur quædam effata Patrum,* nominatim S. Augustini, quibus peccatores ab Ecclesia excludere videntur?

Resp. Ista effata minime esse intelligenda sensu negante peccatores esse vere membra Ecclesiæ, vel ex eo liquet quod iidem Patres et imprimis Augustinus contra Donatistas data opera propugnaverint dogma catholicum: in Ecclesia Christi in terris peccatores cum justis semper mixtos fore.

Ut autem istarum locutionum genuinus intelligatur sensus, animadvertendus est diversus modus, quo justi et peccatores sunt membra Ecclesiæ. Licet enim peccatores omnibus vinculis externis sint cum Ecclesia conjuncti ideoque sint vere ejus membra, sunt tamen membra *imperfecta* et infirma, cum ab elementis internis Ecclesiæ et ab ejus fine proximo, qui est sanctificatio, adeoque ab ejus anima seu spiritu sint alieni. Hinc si Ecclesia unice consideretur secundum nobiliora sua elementa et finem actualis sanctificationis ideoque unice secundum spiritum, peccatores possunt et debent dici non pertinere ad Ecclesiam. Porro Patres, quando videntur subinde excludere peccatores ab Ecclesia, hanc revera ita considerant et ab ea ita spectata (non itaque ab ea simpliciter) excludunt peccatores. Ratio autem ita considerandi Ecclesiam, ut non includantur peccatores, istis Patribus erat duplex: altera *generalis,* ex ipsa rei natura petita, quia nempe actualis sanctitas est præcipuum elementum et finis proximus per se intentus Ecclesiæ; altera erat *particularis* et polemica contra Donatistarum hæresim eorumque argumenta. Ceterum nominatim *Augustinum,* ad quem præcipue provocant adversarii, peccatores non excludere ab Ecclesia, ex ejus scriptis luculentissimum est. In Ecclesia enim esse etiam peccatores data opera propugnavit contra Donatistas, idque alibi sæpe disertissime docet. Sic e. g. in Serm. 223 n. 2 ait: „Ecclesia hujus temporis areæ comparatur, habens mixta grana cum paleis, *habens permixtos bonis malos;* habitura post judicium sine ullis malis omnes bonos." Et in Serm. 264 n. 5: „Quamdiu vivitur in hoc sæculo, et per Baptismum tamquam per diluvium Ecclesia purgatur, *non potest nisi habere bonos et malos.*"

CAPUT III.

DE ECCLESIÆ PROPRIETATIBUS ET DOTIBUS.

525. Exposita Ecclesiæ natura ac intima constitutione, jam investigandæ veniunt ejus proprietates essentiales, quæ ab Ecclesiæ natura seu essentia dimanant.

Porro quatuor sunt Ecclesiæ proprietates, quas in *Symbolo Constantinopolitano* profitemur: *unitas, sanctitas, catholicitas,* et *apostolicitas.* Hæ autem dupliciter considerari possunt: prout sunt mere *intrinsecæ,* et sic spectatæ vocantur *proprietates,* ex quibus intelligimus *qualem* Christus instituerit Ecclesiam hancque proinde cognoscimus in *abstracto.* Spectari possunt prout sunt etiam *externæ,* et veram Christi Ecclesiam manifestant, et sic consideratæ vocantur *notæ,* ex quibus cognoscimus Ecclesiam Christi *in concreto,* seu cognoscimus, quænam ex tot societatibus christianis sit vera Ecclesia Christi.

Ad plenam Ecclesiæ notitiam acquirendam, præter proprietates, etiam considerandæ sunt ejus *dotes,* quæ sunt *indefectibilitas, auctoritas* et *infallibilitas.* Quia autem de duabus prioribus dotibus jam egimus supra restat modo, ut post consideratas proprietates de ultima dote, nempe de infallibilitate, in hoc capite disseramus. Quare illud in quinque dividimus articulos: 1mo agemus de Ecclesiæ *unitate;* 2do de ejus *sanctitate;* 3^{tio} de *catholicitate;* 4to de *apostolicitate,* demum 5to de ejusdem *infallibilitate.*

ART. I. **De Ecclesiæ unitate.** (1)

§ 1. EXPONITUR DOCTRINA.

526. I. **Doctrina catholica.** 1. Ecclesiæ unitas generatim in eo consistit, quod non plures, sed *unica* sit Ecclesia Christi. Quamdiu sub hoc generali tantum ac confuso conceptu quæritur de Ecclesiæ unitate, nemo eam negat. Ut vero

(1) Cf. *Suarez,* de Fide, disp. 9. s. 4—6; *Bellarminus,* de Eccl. l. 4. c. 10; *Murray,* de Eccl. disp. 6; *Palmieri,* § 48; *Mazzella,* disp. 4. art. 1; *De Groot,* q. 5. art. 2; *Hurter,* n. 286 sqq.; *Jansen,* § 66; *Tanquerey,* n. 114 sqq.

Ecclesia dici possit una et unica, requiritur quædam *unio* eorum omnium qui ad eam pertinent, qua unione fit, ut isti omnes revera unam Ecclesiam constituant. Quæritur itaque, *qualis sit hæc unio, qua Ecclesia Christi sit una et unica,* seu quænam importet unitas, quæ est Ecclesiæ propria.

527. 2. Ut autem hæc unio et consequenter vera notio unitatis Ecclesiæ rite intelligatur, animadvertendum est, Ecclesiam esse *societatem fidelium;* ideoque unitatem Ecclesiæ eam esse debere, qua fiat ut revera sit *societas una,* nempe *una religiosa* societas *fidelium.* Porro hæc unitas triplicem includit et requirit unitatem: unitatem *fidei,* qua Ecclesia est una societas *fidelium;* unitatem *socialem,* qua *una* est *societas;* unitatem *ritualem,* qua est una societas *religiosa.*

a) Unitas *fidei* in eo consistit, quod fideles per orbem diffusi saltem implicite credant ac profiteantur *omnes et easdem veritates, quas Ecclesia credendas proponit.* Hæc itaque unitas duo complectitur: consensum omnium in easdem veritates, qui consensus dicitur *unitas materialis;* et adhæsionem omnium eidem principio consensum determinanti, quod est magisterium ecclesiasticum, et hæc adhæsio vocatur *unitas formalis.* Quare unitas fidei non tantum importat *factum* consensus, sed etiam *jus,* seu principium a quo illud factum perpetuo producitur et conservatur.

b) Unitas *socialis* consistit in unitate legitimæ subordinationis sub eodem regimine, seu in conspiratione mutua omnium sociorum sub directione unius regiminis; per hoc enim constituitur unum corpus, una societas. Hæc unitas vocatur etiam unitas *communionis,* vel *caritatis socialis.*

c) Unitas *ritualis* consistit in communione omnium in eosdem omnes ritus sacros, qui sunt divinæ institutionis. Ecclesia enim utpote cœtus religiosus in Dei cultum destinatus debet colligari quibusdam ritibus sacris, quibus homines et Deo dedicentur et Deo cultum exhibeant et a Deo vicissim perficiantur. Quia autem Ecclesia est *una* societas religiosa, iidem ritus sacri communes sint oportet omnibus ad illam societatem pertinentibus. Hæc autem omnium communicatio eorumdem rituum (septem sacramentorum et sacrificii) potest esse vel immediata, vel mediata uti sacramenti Ordinis quod a quibusdam tantum percipi potest in omnium tamen bonum cedit. Porro

unitas ritualis est tum *materialis*, quæ est ipsa communicatio sive immediata sive mediata omnium rituum; tum *formalis*, quæ est principium in ipsa Ecclesia existens determinans istam communicationem ejusque stabilitatem ac perennitatem: hoc principium est ministerium ecclesiasticum a Christo institutum ad sacros ritus infallibiliter custodiendos et administrandos. Patet autem hanc unitatem ritualem necessario jam includi in unitate fidei et sociali seu regiminis; quando enim hæ duæ adsunt, illa abesse nequit.

Hinc duplex crimen scindit unitatem Ecclesiæ: *hæresis* et *schisma*. Hæresis, quæ est „error in fide pertinax," scindit unitatem fidei; schisma, quod est „spontaneus ab unitate Ecclesiæ recessus," scindit unitatem socialem. Notandum autem est, non quamlibet inobedientiam constituere schisma, sed ad hoc requiri, ut quis renuat subesse potestati Ecclesiæ nominatim Summi Pontificis et illam agnoscere ut superiorem, seu ut renuat ut pars Ecclesiæ operari.

528. II. **Errores.** Heterodoxi quidem generatim non negant Ecclesiæ unitatem, sed hujus unitatis conceptum prorsus pervertunt. Non vacat omnes has falsas sententias exponere, præstat tamen præcipuos indicare errores, ut exinde melius innotescat doctrina catholica.

1. Quoad *unitatem fidei* Protestantes generatim sequuntur errorem, quem methodice evolvit *Jurieu,* minister calvinisticus, qui, invecta distinctione inter articulos *fundamentales* et *non fundamentales,* asserit ad unitatem fidei consensum circa articulos *fundamentales* sufficere: ideoque „Ecclesiam catholicam, ut ait ipse, conflari ex omnium christianorum societatibus, quæ non errant in fundamentalibus, etiamsi nulla inter sectas illas servetur communio, imo etiamsi se mutuo excommunicent et anathematizent." Quinam sint articuli fundamentales, qui non fundamentales, et quæ sit tuta norma illos ab istis discernendi, nec apud ipsos hujus erroris patronos constat. Generatim vocant articulos *fundamentales* illas veritates revelatas, quæ fidei christianæ ita constituunt fundamentum, ut sine dispendio salutis negari et ignorari non possint, quæque ideo ab omnibus, qui salvi esse velint, explicite sint credendæ. *Non fundamentales* vero dicunt alias veritates, licet revelatas et a magisterio apostolico ut credendas propositas, quæ sine

dispendio salutis negari et rejici possunt. Sedulo notetur ingens discrimen inter hanc distinctionem invectam ab Heterodoxis et distinctionem articulorum fundamentalium et non fundamentalium traditam a Catholicis. Catholici enim docent, *omnes veritates revelatas* esse ab omnibus necessario credendas; dicunt autem inter has veritates esse quasdam, quæ ita constituant fundamentum vitæ christianæ, ut ab omnibus necessario sint *explicite* cognoscendæ et credendæ, easque ideo vocari posse articulos *fundamentales;* esse vero alias, quas *implicite* credere sufficiat, quæque proinde *non fundamentales* dici possint.

2. Quoad unitatem *socialem* seu *regiminis* negant *Jurieu* ejusque sectatores, Ecclesiam universalem esse externam societatem, et docent, singulas ecclesias particulares esse a se invicem independentes, atque nullo alio vinculo colligatas nisi solo vinculo interno caritatis. Non quidem negant, omnes et singulas ecclesias, licet a se invicem independentes, posse amico quodam fœdere uniri, sed dicunt, hanc confœderationem non esse necessariam, ita ut ecclesia, quæ ab inita confœderatione resiliat, non ideo tamen minus vera sit Ecclesia, etsi illicite agat si hoc absque justa ratione faciat.

529. 3. Peculiariter commemorandus est error Oxoniensium, qui nomine *Puseyitarum* venire solent. Hi *a)* ad unitatem *fidei* requirunt, ut omnes profiteantur cunctas veritates, quas Ecclesia universalis credit, aut legitimo judicio proposuit credendas. Hanc autem Ecclesiam *universalem* coalescere dicunt ex Romano-catholica, Græca et Anglica (Angliæ *constituta*). Hinc non nisi sex priora Concilia pro œcumenicis habent, et sufficere dicunt, ut omnes conveniant in articulis ab his conciliis definitis; imo videntur restringere necessariam unitatem fidei ad professionem articulorum Symboli Apostolici. *b)* Quoad unitatem *socialem,* seu *regiminis,* dicunt eam, quam Catholici requirunt, perfectiorem quidem esse, et forsan *præceptam;* non vero *essentialem:* ideoque eam abesse posse, quin deficiat ipsa Ecclesia. Cum præceptum servandi perfectam illam unitatem sit positivum, aliquando propter graves rationes licitum imo obligatorium esse potest alicui particulari ecclesiæ a communione totius Ecclesiæ se subducere. Censentes itaque, communionem cum Ecclesia posse aliquando penitus abrumpi, ac communionem *actualem* non esse essentialem,

dicunt Ecclesias Romano-catholicam, Græcam et Anglicam, etsi communio actualis inter eas sit interrupta, esse partes unius Ecclesiæ veræ universalis, compositæ ex illis tribus *(Mazzella,* disp. 4. art. 1).

§ 2. Statuitur Ecclesiæ unitas in fide.

530. **Thesis.** 1) Unica tantum est vera Ecclesia Christi, 2) cui imprimis propria est unitas professionis fidei tum materialis tum formalis; 3) nullatenus autem admitti potest Novatorum distinctio inter articulos fundamentales et non fundamentales.

Prob. 1ma pars. Non nisi *unicam* esse Ecclesiam Christi, demonstratione vix indiget. Etenim

1. Christus promittens se ædificaturum Ecclesiam suam supra petram, manifeste de una tantum loquitur Ecclesia. Præterea Ecclesia Christi vocatur in S. Scriptura *regnum* Dei et Christi universale pro omnibus gentibus; *civitas* supra montem posita, ad quam confluunt *omnes gentes; unum ovile* sub uno pastore; *corpus,* corpus *Christi* et quidem corpus *unum.*

2. Vera Christi Ecclesia est illa societas, quæ veram Christi religionem profitetur et docet; atqui vera Christi religio non est nisi una. Ergo una tantum est vera Christi Ecclesia.

3. Unicitas Ecclesiæ manifesta est ex ejus unitate sociali, quam in sequenti paragrapho probabimus. Christus nempe instituit suam Ecclesiam ut unam societatem cum vera unitate sociali, quatenus uni eidemque regimini ab ipso constituto subsunt omnes fideles, qui membra sunt Christi. Cum igitur Ecclesia Christi sit una societas, manifeste non est multiplex nec divisa in plures sed necessario tantum unica.

531. *Prob. 2da pars. Unitas fidei.* Et quidem I. *unitas materialis* i. e. consensus omnium in easdem veritates.

1. Unitatem fidei materialem manifeste postulat *ipsa Ecclesiæ natura.* Ecclesia enim essentialiter est societas credentium veram fidem Christi eamque integram: „docete omnes gentes ... docentes eos servare *omnia* quæcumque mandavi vobis" (Matth. XXVIII, 20): „prædicate *evangelium* omni creaturæ" (Marc. XVI, 15); atqui vera fides Christi non est nisi una:

ergo unam eamdemque fidem universa Christi Ecclesia profiteri debet.

2. *Probatur ex diserta doctrina Apostoli ad Eph. IV.* *a*) Hortatur Ephesios ut servent „unitatem spiritus in vinculo pacis." *b*) Tamquam exemplar et motivum hujus unitatis proponit ipsis tum unitatem Ecclesiæ quæ est „unum corpus et unus Spiritus," tum unitatem spei vocationis fidelium, unitatem Domini, *fidei,* Baptismatis: „Unus Dominus, *una fides,* unum Baptisma." *c*) Voluit Christus unitatem fidei in Ecclesia et ad eam efficiendam ac conservandam instituit perpetuum ministerium pastorum et doctorum. „Et ipse dedit pastores et doctores .... in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes *in unitatem fidei* .... ut jam non simus parvuli fluctuantes et circumferamur omni vento doctrinæ."

3. Ideo primi fideles dicuntur constantes in doctrina Apostolorum (Act. II, 42), et mandantur tenere traditiones quas didicerunt sive per sermonem sive per epistolas Apostolorum (2 Thes. II, 14); præcipitur episcopis ut depositum custodiant, devitantes oppositiones falsi nominis scientiæ (1 Tim. VI, 20), et ut quæ audierunt ab Apostolis commendent fidelibus hominibus, qui idonei sint et alios docere (2 Tim. II, 2). Hinc Apostolus anathema esse dicit omnem, qui evangelizaverit præter id quod Apostoli evangelizaverunt (Gal. I, 8 sq.).

532. 4. *Probatur ex unanimi et constanti testimonio antiquitatis.* Innumera fere afferri possent Patrum testimonia, quæ necessariam in Ecclesia unitatem fidei vel supponunt vel diserte enuntiant, ità ut ipse Jurieu fateatur, veteres omnes necessitatem assertæ a nobis unitatis fidei docuisse; sed eos omnes errasse audacter affirmat. In re manifesta sufficiet, unum vel alterum adducere testimonium. *Irenæus* (Adv. Hær. l. I. c. 10): „Vera et universa Ecclesia *unam et eamdem toto terrarum orbe fidem* tenet." Et *Chrysostomus* (in epist. ad Ephes. hom. XI): „Tunc enim unitas (Ecclesiæ) est, *cum omnes similiter credimus.*" „Ecclesia enim, inquit *Epiphanius* (in Expos. Fidei n. 5), *ab una fide genita* ac per Spiritum Sanctum in lucem edita, una est soli et una genetrici."

Ceterum nota est maxima ipsius Ecclesiæ sollicitudo in custodienda una eademque fide integra in universa Ecclesia. Numquam enim passa est vel minimum in fide errorem, sed

omnes, sine discrimine, impugnavit et damnavit hæreticos. Eo etiam spectant editæ fidei professiones atque lata fidei decreta.

533. II. *Necessaria est fidei unitas formalis* i. e. adhæsio omnium eidem principio consensum determinanti, seu requiritur ut omnes credant omnes et eosdem articulos, quos magisterium authenticum a Christo institutum docet. Hoc sane ex hic et antea demonstratis manifestissimum est. Christus enim in sua Ecclesia instituit authenticum et infallibile magisterium, cui concredidit omnem veritatem revelatam, omnibusque præcepit sub discrimine æternæ salutis, ut huic magisterio obedientiam fidei præstent, ut omnes et solas illas veritates credant, quas hoc magisterium docet: sicque unius ejusdemque fidei perpetuæ integritati efficaciter prospexit. Hinc etiam Ecclesia ut hæreticos semper habuit ac damnavit omnes illos, qui aliter quam ipsa sentire præsumerent. Ceterum unitas fidei, quæ utpote essentialis proprietas in Ecclesia Christi semper adesse debet, postulat causam sufficientem; atqui, uti probavimus in tractatu de Traditione divina, illius unitatis nulla causa sufficiens assignari potest præter authenticum et infallibile magisterium.

534. *Prob. 3tia pars.* Novatorum distinctio articulorum *fundamentalium* et *non fundamentalium* omnino rejicienda est, quia 1. *arbitraria* est: etenim ex principio fundamentali adversariorum nihil in negotio religionis est admittendum, quod non inveniatur in S. Scriptura; atqui illa distinctio nullibi in S. Scriptura invenitur: unicum enim testimonium, quod pro sua theoria affert Jurieu ex 1 Cor. III, 11, certe non est ad rem; ergo illa distinctio est arbitraria ideoque rejicienda.

2. Manifeste *opponitur S. Scripturæ*, in qua (1) sub discrimine æternæ salutis præcipitur omnibus fides *omnium quæcumque Christus mandavit, totius evangelii.*

3. *Adversatur unanimi antiquitatis traditioni,* quæ alte clamat necessitatem fidei omnium veritatum revelatarum; distinctio autem a Jurieu invecta eo usque inaudita nova erat et eo ipso falsa.

4. *Adversatur ipsi naturæ fidei.* De ratione enim fidei

(1) Matth. XXVIII, 18; Marc. XVI, 15; Gal. I, 6 etc.

divinæ est, ut veritates revelatæ credantur propter auctoritatem Dei revelantis; atqui hoc motivum unum idemque est pro omnibus veritatibus revelatis; ergo omnes veritates revelatæ, sive fundamentales sive non fundamentales dicantur, fide divina credendæ sunt: adversariorum igitur distinctio adversatur naturæ fidei proindeque falsa ac rejicienda est.

5. Distinctio articulorm fundamentalium et non fundamentalium excogitata fuit ad necessariam fidei unitatem generandam et conservandam; atqui ad hoc efficiendum est medium minime aptum, imo fidei unitatem evertit; ergo illa distinctio est rejicienda.

Prob. min. a) est medium ineptum ad procurandam unitatem, quia illa distinctio est arbitraria et incerta, cum nulla agnoscatur auctoritas, nulla assignari possit regula, qua tuto ac certo determinetur numerus articulorum fundamentalium.

b) Illa distinctio est eversiva unitatis, cum enim desit unitas in ipsa unitatis regula, hæc nedum procurare possit fidei unitatem, potius natura sua dissensionem generat.

Hæc luculentissime confirmantur facto ipso; nam illa distinctio non solum non effecit unitatem fidei apud Protestantes, qui eam admittunt, sed econtra ipsis fuit causa maximæ in fide dissensionis. In dies enim in novas scinduntur sectas et jam generatim magis magisque ad rationalismum deflectunt.

§ 3. Statuitur Ecclesiæ unitas socialis et ritualis.

535. **Thesis.** Ecclesia Christi essentialiter una quoque est tum 1) unitate sociali seu legitimæ subordinationis omnium sub eodem regimine, tum 2) unitate rituali tam materiali quam formali.

Prob. 1ma pars. Unitas socialis. 1. Ex *oratione Christi* (Joan. XVII), qua petiit, utique efficaciter, unitatem omnium credentium perpetuam: *„ut omnes unum sint," „ut sint unum sicut et nos unum sumus," „ut sint consummati in unum;"* petiit unitatem visibilem, hæc enim unitas debet esse signum divinæ missionis Christi: *„ut credat mundus, quia tu me misisti":* porro hæc unitas est unitas socialis.

Ideo Ecclesia in S. Scriptura dicitur *regnum, corpus, corpus unum, domus, ovile;* atqui hæ metaphoræ de societate hominum usurpatæ significant unum regimen, cui subsunt omnes qui ad illam societatem pertinent, quemadmodum unus est rex in regno, unum caput in corpore, unus pater in domo, unus pastor in ovili.

2. Ex demonstrato ministerio ecclesiastico instituto ad unitatem efficiendam, ad ædificationem unius corporis Christi, et præsertim ac invicte ex demonstrando postea primatu unius summi Pastoris, cui Christus omnes in sua Ecclesia subesse voluit.

3. Ex unanimi testimonio Patrum, qui amplissime docent, Ecclesiam ex omnibus fidelibus unam esse et quidem per subjectionem uni auctoritati episcopali, quique schisma, quo hæc unitas scinditur, ut atrocissimum crimen exhibent. (Ita e. g. *Clemens Romanus* in 1 Epist. ad Cor. n. 37 sqq.; *S. Ignatius* in singulis fere epistolis; *S. Irenæus* Adv. Hær. l. 1. c. 10; *S. Cyprianus* et *S. Augustinus* de Unitate Ecclesiæ).

536. *Prob. 2da pars. Unitas ritualis* et quidem I *materialis.* 1. Imprimis requiri communes quosdam ritus sacros in Ecclesia, manifestum est ex ipsa natura rei: id enim exigit essentia societatis *religiosæ,* qualis est Ecclesia. „In nullum enim, ait *Augustinus* (contra Faustum. l. 19. c. 11), nomen religionis sive verum sive falsum coadunari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel sacramentorum visibilium consortio colligentur." Et sane in S. Scriptura diserte continetur, omnibus fidelibus communem esse debere tum ritum initiationis i. e. Baptismatis, tum ritum Eucharistiæ et Sacrificii. „Docete omnes gentes *baptizantes eos*" (Matth. XXVIII, 19); (1) „In uno Spiritu *omnes nos in unum corpus baptizati sumus* . . . . et omnes in uno Spiritu potati sumus" (1 Cor. XII, 13). „Quoniam *unus panis,* unum corpus multi sumus, *omnes qui de uno pane participamus*" (I Cor. X, 17). Concinit universa et constans traditio ecclesiastica: in symbolo enim profitemur unum Baptisma; et SS. Patres non solum diserte docent necessariam unitatem ritualem, sed imo solent ipsam visibilem Ecclesiæ unitatem declarare per communem participationem eorumdem sacramentorum.

(1) Cf. Marc. XVI, 16; Joan. III, 3.

Patet autem ulterius, unitatem ritualem in Ecclesia necessariam complecti debere omnes ritus divinitus institutos, nempe septem sacramenta et sacrificium; secus enim non esset Ecclesia illa societas religiosa, quam Christus instituit, et periret ipsa unitas fidei, quæ omnes ritus divinitus institutos necessario comprehendit.

II. Necessaria quoque est unitas ritualis *formalis.* Instituit enim Christus in sua Ecclesia ministerium apostolicum, perpetuo duraturum, ad sacros ritus infallibiliter custodiendos et administrandos. Voluit igitur Christus ut fideles, qui communicare debent sacris, ea accipiant ab iis vel sub directione eorum, quos sacrorum ministros instituit.

ART. II. **De Ecclesiæ sanctitate.** (1)

537. **Exponitur doctrina.** 1. Sanctitas distinguitur duplex: *realis* et ethica seu *personalis.* Sanctitas rei seu *realis* tripliciter contingit: quatenus res dicitur sancta vel quia est divino cultui dedicata, ut templum; vel quia principium est sanctitatis personalis, ut sacramenta, leges; vel quia effectus et signum est interioris sanctitatis et inhabitantis Spiritus S., ut charismata miraculorum. Sanctitas personæ seu *personalis,* quæ haberi nequit sine assimilatione et conjunctione cum Deo fonte omnis sanctitatis, est generatim rectitudo moralis personæ coram Deo. Hæc est tum *actualis,* posita in exercitio virtutum; tum *habitualis,* consistens in præsenti ordine elevationis in habitibus supernaturalibus gratiæ sanctificantis et virtutum infusarum.

Utraque sanctitas *realis* et *personalis* competit Ecclesiæ. Realis tum quatenus est Deo dedicata, tum quatenus principium est sanctitatis personalis, tum quatenus in ea semper splendent supernaturalia charismata miraculorum. Personalis autem sanctitas Ecclesiæ vindicanda est non tantum quatenus possint esse in ea sancti, sed quatenus actu semper sint.

538. 2. Ut hæc autem sanctitas, quam Ecclesiæ vindicamus, rite intelligatur, animadvertendum est, *subjectum,* de

(1) Cf. *Bellarminus,* de Eccl. l. 4. c. 11 sqq.; *Murray,* de Eccl. disp. 8; *Palmieri,* § 50; *Mazzella,* disp. 4. art. 2; *De Groot,* q. 5. art. 3; *Jansen,* § 67; *Hurter,* n. 299 sqq.; *Tanquerey,* n. 147 sqq.

quo asseritur sanctitas, *esse Ecclesiam prout est una societas.* Ut igitur Ecclesia possit dici sancta sanctitate personali non requiritur, ut singula ejus membra sint sancta, neque per se requiritur, ut in ea plures sint boni quam mali; sed sufficit, ut *a) in ea omnes possint esse sancti* et *b) absolute multi sint sancti,* idque *c) propter efficaciam et vivificum influxum Ecclesiæ;* et *d) ut illi, qui mortui aut languidi sunt in Ecclesia, eatenus destituantur sanctitate, quatenus jugi Ecclesiæ actioni ac influxui resistunt.* Dum Ecclesiæ asserimus hanc sanctitatem, quatenus in ea plures actu sint sancti, intelligimus utique sanctitatem, quæ consistit in *cultura virtutum,* ac proinde asserimus in Ecclesia semper florere debere culturam virtutum idque ex principio intrinseco Ecclesiæ. Hancque virtutum culturam intelligimus non solum *communem* consistentem in adimpletione præceptorum; sed etiam *perfectiorem* sitam in observatione evangelicorum consiliorum, nam etiam hæc in Ecclesia Christi deesse nequit.

Quod demum spectat ad Ecclesiæ sanctitatem sitam in charismatibus supernaturalibus, contendimus hujusmodi charismatum existentiam nexam esse cum vita supernaturali ipsius Ecclesiæ, ita ut identidem pro opportunitate secundum consilium divinæ Providentiæ hujusmodi signa e. g. miracula in Ecclesia fiant.

539. II. **Statuitur vera doctrina.**

Thesis. Ecclesia Christi sancta est tum 1) ratione habita essentiæ suæ, tum 2) propter manifestam virtutum christianorum culturam tam communem quam perfectiorem; tum 3) propter supernaturalia charismata, quibus semper splendebit.

Prob. 1ma *pars.* Ecclesia est *essentialiter* sancta. Etenim omnia ejus intrinseca constitutiva sunt sancta: sancta est causa finalis quæ est ipsa sanctitas hominum; sanctum est ministerium ecclesiasticum, quod multiplici virtute sanctificandi præditum datum est in consummationem sanctorum; sancti sunt nexus, quibus colligantur fideles, nempe nexus fidei, unitatis socialis, sacramentorum; sancta est doctrina tum theoretica, tum practica qua vita sancta regulatur; sancta demum est causa materialis, scil. baptizati, regenerati in filios

Dei. Manifestum est ergo, Ecclesiam, prouti est societas et institutum salutis habens in se media sanctissima et efficacissima ad suum finem consequendum, esse essentialiter sanctam. Hæc sanctitas vocatur etiam Ecclesiæ *activa* sanctitas.

Præterea Ecclesiæ etiam essentialiter competit illa sanctitas realis, qua res dicitur sancta quatenus Deo divinoque cultui est consecrata; est enim Ecclesia habitaculum et domus Dei, corpus et sponsa Christi.

540. *Prob. 2da pars. In Ecclesia semper esse debent plures sancti,* seu in ea perenniter florere debet cultura virtutum. Etenim 1. Hoc sequitur ex jam probata Ecclesiæ sanctitate essentiali, ex ejus sanctitate activa; nam, dicente ipso Christo, *„ex fructu arbor agnoscitur"* (Matth. XII, 33); et *„omnis arbor bona bonos fructus facit"* (Matth. VII, 17).

2. Numquam sane deesse potest in Ecclesia id, quod fuit finis missionis Christi, objectum precum, sollicitudinis, desideriorum ipsius; atqui hoc fuit sanctitas vitæ, consistens in exercitio virtutum. Dicit enim ipse Christus: „Ego pro iis sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate" (Joan. XVII, 19). Et Apostolus testatur: „Dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum" (Tit. II, 14).

3. Expendantur nominatim *a)* quæ scribit Apostolus: Christus „est salvator omnium hominum, *maxime fidelium"* (1 Tim. IV, 10); et: „Ipse est *salvator corporis sui"* (Eph. V, 23). Hisce significatur Christum, licet quidem velit omnium hominum salutem, actu tamen salvare fideles et quidem tot ut dici possit salvator corporis sui; atqui salus præexigit sanctitatem et culturam virtutum.

b) Quæ dicuntur de Ecclesia in *parabola boni seminis et zizaniorum* Matth. XIII. Ex ea enim parabola colligitur, in Ecclesia cum malis semper usque ad finem sæculorum commixtos fore bonos, justos, et horum quidem tantam fore multitudinem, quanta indicatur habitudine boni seminis in toto agro seminati ad zizania superseminata, et propter quam proinde universa Ecclesia sancta dici possit.

c) Quæ docet Apostolus Ephes. V de effusissima dilectione qua sponsam suam Ecclesiam prosequitur Christus, „qui se-

ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret .... ut sit sancta et immaculata"; nam „Nemo umquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam." Atqui hæc effusissima dilectio, hæc nutritio necessario importat efficacem influxum vivificantem, quo efficitur actualis sanctitas elucens in tali exercitio virtutum, quo universa Ecclesia dici possit sancta.

541. 4. Præterea in Ecclesia semper etiam plus minusve esse debere eam sanctitatem, quæ contineatur observatione *consiliorum evangelicorum,* hac ratione probari potest. Christus, qui effusissima dilectione, qua fertur in Sponsam suam Ecclesiam, eam efficit sanctam, illam utique efficit sanctam secundum normam a seipso in evangelio propositam; hæc autem norma consilia quoque comprehendit. Ecclesia, quæ est corpus Christi, jugiter referre debet vitam sui capitis Christi, qui omnia consilia perfectissime exercuit. Hinc fieri nequit, quin Spiritus Christi, qui regit Ecclesiam, suavi sua ac efficaci providentia efficiat, ut observatio consiliorum semper in Ecclesia vigeat; sicut eam de facto semper viguisse reapse videmus.

542. *Prob. 3tia pars.* Ecclesia sancta quoque est propter *superna charismata, nominatim miraculorum,* quibus semper splendescet. 1. Ex Joan. XIV, 12: „Amen, amen dico vobis: qui credit in me, opera, quæ ego facio et ipse faciet et majora horum faciet, quia ego ad Patrem vado"; ex Marc. XVI, 17 sq.: „Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia ejicient etc." In hisce testimoniis promittitur Ecclesiæ charisma miraculorum; hæcque promissio ad nullum definitum tempus coarctatur: nam illud charisma exhibetur nexum non solum cum fidei origine, sed simpliciter cum ipsa fide, ideoque tamdiu in Ecclesia manebit, quamdiu in ipsa eadem manebit fides.

2. Apostolus 1 Cor. XII, recensitis variis charismatibus, ita concludit: *„Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus."* Has suas operationes jugiter producet Spiritus S. in Ecclesia, in qua habitat tamquam in templo suo quamque jugiter vivificat ac fecundat. Hinc *S. Irenæus* (l. III, c. 24): „Ubi enim Ecclesia, ibi et Spiritus Dei; et ubi Spiritus Dei, ibi Ecclesia *et omnis gratia."*

3. Quia secundum Apostolum (1 Cor. XIV, 22) signa

data sunt infidelibus, non autem fidelibus, tamdiu ex voluntate Christi perseverare debent hæc signa extraordinaria in Ecclesia, quamdiu per eam infideles sunt convertendi, hoc est usque ad finem sæculorum.

Hinc autem etiam intelligitur, cur, licet numquam defutura sint miracula in Ecclesia, ea tamen frequentius fierent in Ecclesiæ exordiis, quando primum erat inter gentes dilatanda ejusque divinitas testificanda. Cf. *Palmieri,* § 50.

ART. III. **De Ecclesiæ catholicitate.** (1)

543. I. **Exponitur doctrina.** 1. Catholicum, græce καθολικόν, significat *universalitatem.* Multiplex autem in Ecclesia distingui potest universalitas: *a)* ratione doctrinæ salutaris, quam universam possidet ac docet; *b)* ratione temporis, cum sit perennis et indefectibilis; *c)* ratione mediorum salutis, quia omnia habet, quæ Christus in hominum salutem instituit; *d)* demum ratione *loci* et *personarum.* Hic solum agitur de universalitate *loci* ac *personarum,* quæ proprie dicitur *catholicitas* Ecclesiæ. Hæc enim nihil aliud est, quam *„lata per orbem diffusio cum magna et conspicua membrorum multitudine."*

Hic catholicitatis conceptus jam pressius est determinandus. Imprimis autem animadvertendum est, in notione catholicitatis duplex posse distingui elementum *materiale* et *formale,* et consequenter duplicem posse ac solere distingui catholicitatem: *materialem,* quæ contineatur diffusione per se tantum spectata; *formalem* quæ denotet simul unitatem in hac diffusione, seu significet unum idemque esse quod diffundatur. Ad veram autem Ecclesiæ catholicitatem utrumque elementum requiritur, seu requiritur ut ea etiam sit formalis, nam societas nequit haberi catholica nisi sit una eademque societas ubique diffusa. Et sane cum vera Ecclesia sit una, et catholicitas sit veræ Ecclesiæ proprietas; catholicitas Ecclesiæ essentialiter supponit et includit unitatem, cujus est quidam modus, est scilicet unitatis amplitudo. Catholicitas igitur Ecclesiæ debet esse etiam formalis.

(1) Cf. *Bellarminus,* de Eccl. l. 4. c. 4 sqq.; *Murray,* de Eccl. disp. 9; *Palmieri,* § 51; *Mazzella,* disp. 4. art. 3; *De Groot,* q. 5. art. 4; *Jansen,* § 68; *Hurter,* n. 304 sqq.; *Tanquerey,* n. 133 sqq.

544. 2. Porro catholicitas alia est *juris,* alia *facti.* Catholicitas *juris* consistit in destinatione, potestate et aptitudine Ecclesiæ sese propagandi per universum orbem. Catholicitas *facti* est ipsa actualis lata diffusio per orbem. Catholicitas facti iterum est vel *physica* vel *moralis. Physica* esset catholicitas, si Ecclesia ita totum orbem occuparet, ut nulla esset *regio,* in qua non haberet magnam membrorum multitudinem: a fortiori autem, si omnes omnino homines ad eam actu pertinerent. *Moralis* est catholicitas, si Ecclesia ita est diffusa, ut habeat, sicut dicit *Suarez,* „in mundo splendorem quemdam universalem, quo possit ejus dignitas et majestas cognosci, et ab hæreticorum turbis discriminari." Quanta autem extensio quantusve membrorum numerus ad id requiratur, statui non posse mathematice, dicit idem Suarez. Utraque potest esse *simultanea* et *successiva. Simultanea* est diffusio Ecclesiæ totum orbem (physice aut moraliter) *eodem tempore* comprehendens. *Successiva* est, si Ecclesia successive omnes mundi regiones et nationes unam post aliam obtineat, ita ut ab una recedens ad aliam se porrigat. Denique catholicitas moralis facti alia est *absoluta,* alia *relativa,* prouti diffusio Ecclesiæ spectatur vel in se vel in comparatione cum amplitudine ceterorum cœtuum christianorum. Itaque catholicitas *relativa* in eo consistit, quod Ecclesia catholica sit amplior singulis aliis coetibus, qui se christianos dicunt. *Absoluta* vero est ea, quam supra ex Suarez definivimus.

Hisce notionibus præstitutis jam

545. 3. *Quæritur: quænam Ecclesiæ Christi asserenda sit catholicitas?*

Resp. Imprimis manifestum est, Ecclesiæ Christi adscribendam esse *perennem catholicitatem juris;* hæc enim est Ecclesiæ proprietas essentialis, cum Ecclesia ex fine suo proprio intrinsece sit destinata ad omnes prorsus homines et consequenter omnibus sit necessaria. Hæc igitur necessario tribuenda est Ecclesiæ inde ab ejus primordiis. Actualis autem catholicitas seu catholicitas *facti* non debuit nec potuit simul esse cum primordiis Ecclesiæ, cum hæc per paucorum prædicationem et persuasionem esset propaganda. Quapropter Ecclesia tum solum potuit assequi actualem catholicitatem, cum ea jam præcessit prædicatio universalis sufficiens ad eam

producendam. Inde ab hoc tempore actualis catholicitas jam etiam est proprietas necessaria Ecclesiæ Christi.

Porro hanc actualem catholicitatem, quæ est necessaria proprietas Ecclesiæ, dicimus esse *a) moralem* non physicam; *b)* tum *absolutam,* tum *relativam* et quidem relativam eo sensu, quod sua amplitudine omnes alios cœtus christianos, sive hæreticos sive schismaticos, saltem separatim sumptos, superet: ut enim ab his discernatur, vera Ecclesia vocatur *catholica; c) simultaneam* et *perennem,* ita ut Ecclesia suam catholicitatem numquam amittere possit; quod tamen non impedit, quominus ejus amplitudo, salva manente catholicitate, nunc crescat, nunc minuatur.

546. II. **Statuitur doctrina.**

Thesis. Ecclesiæ Christi propria est catholicitas non solum juris, sed etiam facti, non quidem physica sed moralis, hæcque tam absoluta quam relativa, simultanea ac perennis.

Prob. 1. Ex S. Scriptura. Ecclesia Christi talis esse debet, qualis prædicitur ac promittitur futura a Deo in V. T.; atqui in V. T., in Lege, in Psalmis et in Prophetis prædicitur, et promittitur futura simultanee et perenniter in universo orbe; ergo.

Prob. min. a) In Lege promissum est Abrahæ: „Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ" (Gen. XXII, 18). (1)

b) In Psalmis legitur: „Dabo tibi *gentes hæreditatem tuam,* et *possessionem tuam terminos terræ*" (Ps. II, 8); „Dominabitur *a mari usque ad mare* et *a flumine usque ad terminos orbis terrarum*" (Ps. LXXI, 8). (2)

c) In Prophetis: „Leva in circuitu oculos tuos, et vide: *omnes isti congregati sunt, venerunt tibi* . . . . dilatabitur cor tuum, quando *conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi*" (Is. LX, 4 sq.). Apud Danielem (II, 35. 44) regnum Christi exhibetur sub figura lapidis, qui *„factus est mons magnus et implevit universam terram."* Malachias (I, 11) universalem Ecclesiæ diffusionem simultaneam prædicit: *„Ab ortu enim solis usque ad occasum* magnum est nomen meum *in gentibus* et *in omni loco sacrificatur et offertur*

(1) Cf. Gen. XII, 3; XXV, 4; XXVIII, 14.

(2) Cf. Ps. XVIII, 5 coll. Rom. X, 18; XXI, 29.

nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in gentibus."

Hisce testimoniis manifeste describitur universalis Ecclesiæ diffusio non solum juris, sed et facti, simultanea, stabilis ac perennis: imo illa actualis diffusio per universum orbem exhibetur ut character proprius regni Christi, ut signum Messiæ, qui jam venerit, quæ adeo, sicut ipsum Christi regnum, stabilis ac perennis esse debet. Hunc esse revera genuinum illorum testimoniorum sensum, authentica Patrum sæc. III, IV et V, interpretatione luculenter confirmatur: frequenter enim, nominatim contra Donatistas, proferunt hæc vaticinia, ut probent, veram Christi Ecclesiam esse non posse nisi eam, quæ sit in universo orbe diffusa, ideoque cœtum Donatistarum utpote in angulo Africæ latitantem non posse esse veram Christi Ecclesiam.

Ceterum asserta Ecclesiæ catholicitas tam manifeste et abunde exhibetur in S. Scriptura, ut S. Augustinus merito dicat (Serm. 46 n. 33): „Prope omnis pagina (S. Scripturæ) nihil aliud sonat, quam Christum et Ecclesiam *toto orbe diffusam.*"

547. *Prob. 2. Ex perpetua et constanti traditione,* cujus locupletissimi testes sunt SS. Patres. Etenim Ecclesiam Christi expresse vocant *catholicam,* hocque vocabulum dicunt esse *nomen proprium* veræ Ecclesiæ, quo distinguatur a cœtibus hæreticis et schismaticis, atque hujus nominis significationem declarant esse eam, quod Ecclesia dicatur catholica quia est ubique diffusa. Vocabulum *catholicæ* Ecclesiæ jam invenitur apud *S. Ignatium* in ep. ad Smyrnæos n. 8. et in inscriptione epistolæ Smyrnensis de martyrio S. Polycarpi.

S. Pacianus (in 1 ep. ad Sympronianum n. 4): „Christianus mihi nomen est, *Catholicus vero cognomen.* Illud me nuncupat, istud ostendit; hoc probor, inde significor." Et *S. Cyrillus* Hierosol. (Catech. VIII): „Hoc (catholicum) enim *proprium* nomen est sanctæ hujus, et matris omnium nostrum, quæ est sponsa Domini nostri Jesu Christi." Et *S. Optatus* proprietatem nominis declarans dicit: „inde dicta est catholica quod sit rationabilis *et ubique diffusa*" (lib. 2. n. 1). Ideo hanc regulam statuit *S. Augustinus* (de vera relig. n. 12): „Tenenda est nobis christiana religio et ejus Ecclesiæ communicatio,

quæ catholica est et catholica nominatur, non solum a suis, verum etiam ab omnibus inimicis."

Hinc *S. Optatus* et *S. Augustinus* Donatistas catholicitatis nota redarguere solent: ex hoc ipso enim quod eorum cœtus catholicus actu non erat, probant illum non esse veram Ecclesiam Christi, quia hæc debet esse catholica i. e. in toto orbe diffusa.

548. **Corollarium.** Cum, uti probavimus, Ecclesia ex voluntate Christi perenniter sit actu catholica; non potest admitti, quod cum aliis videtur sentire *Bellarminus,* Ecclesiam nempe mansuram catholicam, etiamsi ad unam provinciam redigeretur, modo constaret eam esse unam eamdemque cum illa, quæ aliquo tempore actu catholica fuerit et jure semper catholica maneat.

549. **Scholion.** Diximus Ecclesiæ competere catholicitatem *relativam* talem, ut sua amplitudine omnes sectas hæreticas et schismaticas *singillatim sumptas* superet.

Quæri autem ulterius potest: *utrum Ecclesiæ attribuenda sit illa etiam catholicitas relativa, qua omnes sectas acatholicas collective sumptas superet?*

Resp. Per se non videretur hoc necessarium, per se enim necessaria est ea relativa catholicitas, qua vera Ecclesia Christi a falsis sectis acatholicis clare dignoscatur. Cum autem sit factum constans, Ecclesiam catholicam numero superare omnes sectas hæreticas et schismaticas simul sumptas; videtur merito posse concludi, Christum præ nimio suo amore etiam hanc catholicitatem ad gloriam suæ Ecclesiæ decrevisse.

ART. IV. De Ecclesiæ apostolicitate. (1)

550. I. **Exponitur doctrina.** 1. Triplici præsertim ratione Ecclesia dicitur *apostolica* 1) ratione *originis,* quatenus est ab Apostolis profecta; 2) ratione *doctrinæ,* quatenus profitetur fidem ab Apostolis traditam; 3) ratione *ministerii* seu *successionis* Pastorum, quatenus regitur et pascitur ab iis qui non interrupta serie Apostolis succedunt. Hæc ad invicem ita se

(1) Cf. *Bellarminus,* de Eccl. l. 4. c. 8; *Murray,* de Eccl. disp. 12; *Palmieri,* § 52; *Mazzella,* disp. 4. art. 4; *Jansen,* § 69; *De Groot,* q. 5. art. 5; *Hurter,* n. 313 sq.; *Tanquerey,* n. 127 sqq.

habent, ut tertium necessario supponat et includat duo priora: sane si adsit apostolicitas ministerii, eo ipso quoque adest tum origo apostolica, quia series Pastorum sibi succedentium ab Apostolis cœpit, tum doctrina apostolica, quia successoribus Apostolorum promissa est infallibilitas. Hinc tota apostolicitas continetur apostolicitate *ministerii* seu *successionis,* de qua sola igitur modo sumus solliciti.

2. Ad hanc autem apostolicitatem ministerii constituendam requiritur successio Pastorum non solum *materialis,* sed etiam *formalis.* Successio materialis est mera series successiva Pastorum sine interruptione usque ad Apostolos. Successio formalis continetur *legitima* successione, quatenus nempe hæ personæ non interrupta serie succedentes potiuntur auctoritate ab Apostolis in singulos successores derivata; hac enim formaliter et proprie constituuntur successores. Ut autem hac potestate revera potiantur, requiritur ut successorum singuli auctoritatem ab Apostolis derivatam accipiant ab eo, qui eamdem auctoritatem actu habet et aliis communicare potest.

Porro hæc transmissio potestatis apostolicæ fit per *ordinationem* seu consecrationem qua traditur potestas ordinis, et per *missionem* qua confertur potestas jurisdictionis. Quia autem per apostolicitatem ministerii potissimum intelligitur successio in apostolicam potestatem jurisdictionis, et quia hæc necessario supponit et includit legitimam ordinationem; ideo ad apostolicitatem ministerii nominatim requiri dicitur *missio* legitima seu apostolica.

551. 3. Quia vero in singulis Romanis Pontificibus, qui non interrupta serie succedunt b. Petro in primatu, perseverat plenitudo auctoritatis apostolicæ, potest utique Romanus Pontifex legitimam missionem ideoque apostolicitatem conferre et sanare quemcumque defectum qui apostolicitati obstet. Quia insuper Sedes Romana est centrum unitatis Ecclesiæ, nemo potest habere legitimam missionem seu apostolicitatem, nisi adhæreat illi centro unitatis; nam qui non adhæret illi centro, est extra Ecclesiam ac proinde nullam auctoritatem regendi Ecclesiam habere potest. Hinc sequitur, *unionem cum Sede Romana sufficere ad agnoscendam apostolicitatem.* Quare demum apostolicitas in eo consistit, quod Pastores Ecclesiæ sub successore Petri constituunt non interruptum ministerium

apostolicum; ideoque sola successio legitima Summorum Pontificum Ecclesiam vere apostolicam manifestat.

552. II. **Statuitur vera doctrina.**

Thesis. Ecclesia Christi necessario est apostolica i. e. ab Apostolis profecta et cum iisdem Apostolis Pastorum successione numquam interrupta conjuncta.

Prob. 1. a) Christus instituit ministerium apostolicum perpetuo duraturum; atqui non foret illud perpetuum, nisi essent in hoc ministerio continuata serie successores Apostolorum. Ex hac enim institutione requiritur, ut ea auctoritate perpetuo regatur Ecclesia, quam Christus in Apostolis instituit; aderunt igitur perpetuo in Ecclesia qui Apostolorum potestatem habent, et cum nemo illam potestatem habeat nisi accipiat ob eo, qui derivatam in se ab Apostolis actu obtineat et communicare possit, necessaria est et erit continua in munere apostolico successio.

b) Ecclesia a Christo instituta una eademque semper esse debet; atqui principium hujus unitatis est ministerium a Christo institutum; ergo unum idemque ministerium semper in Ecclesia esse debet: proindeque in hoc ministerio continua serie debent esse perpetui successores.

c) Ut quis in Ecclesia auctoritatem habeat, requiritur *legitima missio* (1); atqui legitima missio nequit haberi sine *legitima successione:* nam mittere non potest nisi is, qui auctoritatem apostolicam actu habet eamque communicare potest seu qui formaliter ac proprie succedit Apostolis.

553. *Prob. 2. ex testimoniis veterum. a) S. Irenæus* (Adv. hær. l. 3. c. 3) veram doctrinam per *apostolicas successiones episcoporum* et nominatim *per successionem apostolicam in Sede Romana* probari affirmat. Scribit enim: „Traditionem itaque Apostolorum in toto mundo manifestatam in omni Ecclesia adest respicere omnibus, qui vera velint videre: et habemus annumerare eos, *qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in ecclesiis et successores usque ad nos* . . . . quos et successores relinquebant suum ipsorum locum magisterii tradentes . . . . sed quoniam valde longum est in hoc tali volumine omnium

(1) Rom. X, 15 coll. 1 Tim. V, 22; Tit. I. 5.

ecclesiarum enumerare successiones, maximæ et antiquissimæ et omnibus cognitæ a gloriosissimis Apostolis Petro et Paulo Romæ fundatæ et constitutæ Ecclesiæ, eam quam habet ab Apostolis traditionem et annuntiatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos indicantes, confundimus omnes, qui quoquo modo .... præterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his qui sunt undique conservata est ea, quæ est ab Apostolis traditio." Deinde nominatim recenset singulos, qui continua serie usque ad suum tempus in Sede Romana Petro successerunt.

b) Tertullianus in præclaro suo opere *de Præscriptionibus* contra hæreticos maxime urget factum ac necessitatem *successionis apostolicæ* atque ex hujus defectu hæreticorum cœtuum falsitatem ostendit. Etenim 1) cap. 21 statuit hoc principium: „quid illis (Apostolis) Christus revelaverit, et hic præscribam, non aliter probari debere, nisi *per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt.*" Ideo 2) cap. 32 hæreticos compellat dicens: *„edant ergo origines ecclesiarum suarum:* evolvant ordinem episcoporum suorum, ita *per successiones ab initio decurrentem,* ut primus ille episcopus aliquem ex Apostolis vel apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiæ apostolicæ census suos deferunt." Hinc 3) contra hæreticos concludit cap. 37: „Qui estis? quando et unde venistis? quid in meo agitis non mei? .... mea est possessio, olim possideo, *habeo origines firmas,* ab ipsis auctoribus, quorum fuit res. *Ego sum heres Apostolorum.*"

c) S. Cyprianus (Ep. 76) ita arguit contra Novatianum: „Novatianus in Ecclesia non est, nec episcopus computari potest, *qui evangelica et apostolica traditione contempta, nemini succedens a se ipso ortus est.* Habere namque aut tenere Ecclesiam nullo modo potest qui ordinatus in Ecclesia non est." Et *S. Optatus* contra Donatistas (lib. 2. c. 3): „Vestræ cathedræ vos *originem reddite,* qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vindicare." Pariter *S. Augustinus* (contr. Donat. l. 3. c. 2): „Unde Donatus apparuit? De qua terra germinavit? De quo mari emersit? De quo cœlo cecidit?"

554. **Scholion.** Invecta a Novatoribus *hypothesis extraordinariæ missionis* prorsus rejicienda est. Novatores ut obtegerent et supplerent defectum apostolicitatis in suis sectis, sibi attribuerunt *extraordinariam* missionem a Deo acceptam. Verum hæc hypothesis de extraordinaria missione est conficta ac rejicienda. Enimvero

1. Christus instituit in Apostolis ministerium ad docendam, regendam, pascendam Ecclesiam, indefectibile et perpetuo duraturum usque ad finem sæculorum. Per hanc igitur perpetuam successionem apostolicam obtinetur et perpetuatur ex voluntate Christi legitima missio in Ecclesia; nec proinde relinquitur locus extraordinariæ missioni, cum ordinaria numquam sit desitura.

2. Si Deus nihilominus vellet alicui homini extraordinariam missionem tribuere, cui homines sub discrimine æternæ salutis obsequi deberent, *a*) deberet utique illam confirmare signis extraordinariis, nominatim miraculis, ut hominibus posset esse certo nota; quemadmodum Christus et Apostoli suam missionem confirmarunt. Præterea *b*) talis extraordinaria missio non posset esse independens et sejuncta a potestate ordinaria a Christo in Ecclesia constituta, sed ab hac esset necessario approbanda. Atqui utrumque deest omnibus sectis hæreticis: neque enim umquam suam extraordinariam, quam jactant missionem, signis validis probarunt; neque eorum missio a ministerio ordinario Ecclesiæ umquam fuit agnita aut approbata, sed potius reprobata.

ART. V. De Ecclesiæ infallibilitate.

§ 1. DE EXISTENTIA ET SUBJECTO INFALLIBILITATIS. (1)

555. I. **Infallibilitatis notio et natura.** 1. Infallibilitas Ecclesiæ generatim describi potest: *privilegium a Christo Ecclesiæ concessum quo ea in rebus fidei et morum errare non potest.* Excludit proinde non solum *factum,* sed etiam *possi-*

(1) Cf. *Bellarminus,* de Eccl. l. 2. c. 2 sqq.; *Gatti,* Instit. Apolog. Polem. l. 3. diss. 2. c. 3. art. 2 § 1; *Perrone,* de Eccl. c. 4. art. 2; *Cercia,* Demonstr. cathol. sect. 5. lect. 4; *Mazzella,* disp. 4. art. 7; *Jansen,* § 71; *Heinrich,* Dogm. Theol. § 89 sq.; *Hurter,* n. 262 sqq.; *De Groot,* q. 8. art. 3; *Pesch,* n. 265 sqq.; *Tanquerey,* n. 41 sqq.

bilitatem errandi. Cum autem solus Deus *ex se* sit infallibilis, Ecclesiæ competit tantum infallibilitas *participata,* ideoque hæc dicitur privilegium divinitus concessum.

2. Duplex distinguitur Ecclesiæ infallibilitas: una *passiva,* quæ est Ecclesiæ ab errore immunitas *in credendo,* quæque ideo etiam infallibilitas in credendo dicitur; altera *activa,* quæ est hujusmodi immunitas *in docendo* ac proinde etiam vocatur infallibilitas in docendo. Infallibilitatis passivæ subjectum est *universa Ecclesia;* infallibilitatis activæ subjectum est magisterium authenticum a Christo in Ecclesia constitutum, seu *Ecclesia docens.*

556. 3. Ad Ecclesiæ infallibilitatem in credendo quod spectat, *non est necesse eam hic directe probare.* Etenim sequitur sponte sua ex Ecclesiæ infallibilitate in docendo; nam ideo Christus instituit infallibile magisterium, ut per hoc Ecclesia universa jugiter sit ab errore immunis; porro ex hac ipsa institutione Christi et ex disertis ipsius promissionibus fieri nequit, ut Ecclesia credens umquam sejungatur ab Ecclesia docente, adeoque fieri nequit, ut fides et professio Ecclesiæ universæ umquam discrepet a doctrina magisterii infallibilis Quare sufficit hic probare Ecclesiæ infallibilitatem activam, seu infallibilitatem magisterii ecclesiastici. Ceterum universam Ecclesiam esse in credendo infallibilem, manifestum est tum *a*) ex supra demonstrata Ecclesiæ perpetuitate seu indefectibilitate. Tum *b*) ex disertis testimoniis: dicitur enim (Matth. XVI, 18) *ædificata supra petram, „et (ideo) portæ inferi non prævalebunt adversus eam."* Et disertissime prædicatur hæc infallibilitas ab Apostolo (1 Tim. III, 15), a quo vocatur Ecclesia *„columna et firmamentum veritatis."* Tum *c)* ex universali et constanti persuasione totius antiquitatis christianæ, quæ tam theoretice quam practice semper professa est, Ecclesiam, quæ est essentialiter regnum veritatis, esse in credendo infallibilem. Hinc vel ipsi adversarii haud raro videntur agnoscere Ecclesiæ infallibilitatem *passivam;* licet plures errores admisceant. Sed omnes negant Ecclesiæ infallibilitatem *in docendo,* seu authenticum et infallibile magisterium; quare hæc infallibilitas a nobis data opera est demonstranda.

557. 4. Infallibilitas *activa* describi potest: *supernaturalis Ecclesiæ prærogativa, qua per assistentiam divinam in docendis*

rebus fidei et morum errare non potest. Ut natura hujus infallibilitatis rite intelligatur, animadvertendum est, illius *causam efficientem* esse *assistentiam Spiritus Sancti.* Quoad hanc autem assistentiam notetur: *a*) eam distinguendam esse a *revelatione;* nam Ecclesiæ docenti promissa est assistentia Spiritus Sancti, non ut eo revelante novam doctrinam doceret, sed ut eo assistente revelationem jam factam et in Apostolis completam sancte custodiret ac fideliter proponeret. *b)* Assistentia non confundi debet cum *inspiratione* scriptorum sacrorum, vi cujus illorum libri Deum habent auctorem; assistentia Ecclesiæ concessa est, ut revelata et inspirata serventur incolumia. *c*) Licet autem divina assistentia excludat revelationem et inspirationem; non tamen excludit aliam positivam operationem divinam e. g. illustrationem mentis, quam potius includit, quantum scilicet ea opus est, ut Ecclesia ab errore servetur immunis. *d*) Divina assistentia, per quam Ecclesia est infallibilis, non excludit, sed supponit et exigit *humanam operationem* et *industriam,* usum mediorum naturalium in conservanda, inquirenda, cognoscenda et proponenda veritate revelata. Verum hæc media humana non sunt causa infallibilitatis, sed adest pro Pastoribus Ecclesiæ *obligatio* hæc media adhibendi, ut secundum hominum mores recto ac debito modo procedant; non enim ipsis revelatio sed assistentia tantum est promissa. *Causa efficiens* infallibilitatis est assistentia Spiritus Sancti, et cum hæc ex promissionibus Christi semper adsit, quando magisterium universale aliquid de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendum definit, constat hujusmodi definitionem semper esse infallibilem, quin necesse sit inquirere, utrum magisterium debita adhibuerit media nec ne.

558. II. **Statuitur existentia infallibilitatis.**

Thesis. Magisterium ecclesiasticum insignitum est a Christo charismate infallibilitatis.

Prob. 1. ex promissionibus Christi a) Christus tradens Apostolis auctoritatem docendi eis solemniter promittit *jugem suam assistentiam* dicens Matth. XXVIII, 18—20: „Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes .... docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis. *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.*" Hisce verbis

1) Christus promittit se futurum cum Apostolis *ut docentibus:* id enim manifestissimum est ex conjunctione verborum ac tota orationis serie. 2) Promittit se futurum cum Apostolorum successoribus: nam erit cum Apostolis *omnibus diebus usque ad consummationem sæculi,* docentibus *omnes gentes.* 3) Promittit *singularem* et *extraordinariam* assistentiam, ut patet ex solemnitate ac gravitate sermonis et missionis; promittit assistentiam, quæ importet *felicem exitum* operis, ad quod datur: id enim constat ex notissimo usu S. Scripturæ, juxta quem verba illa „ecce ego vobiscum sum" constanter eum sensum habent. (1)

Quare: promittit Christus magisterio in Apostolis perpetuo instituto continuam suam specialem et efficacem assistentiam, præbentem in munere docendi felicem exitum; atqui hæc promissa in docendo assistentia manifeste importat infallibilitatem; ergo magisterium ecclesiasticum est infallibile.

b) Christus promittit Apostolis eorumque perpetuis successoribus permanentem Spiritum veritatis: „Ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis, ut *maneat vobiscum in æternum*, Spiritum *veritatis*" qui „apud vos *manebit* et in vobis erit." (Joan. XIV, 16 sq.); „Ille vos *docebit omnia,* et suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis" (ibid. 26); *„docebit vos omnem veritatem*" (Joan. XVI, 13). Unde: illis sane conceditur infallibilitas, quibus promittitur permanens ipse Spiritus *veritatis* et quidem eo præcise fine ut eos doceat *omnia, omnem veritatem;* atqui id a Christo promittitur Apostolis eorumque successoribus; ergo his seu magisterio ecclesiastico a Christo conceditur infallibilitas.

559. *Prob. 2.* 1 Tim. III, 15. Ecclesia dicitur *„columna et firmamentum veritatis."* Hic apertissime enuntiatur Ecclesiæ infallibilitas: dicitur enim Ecclesia sedes et quidem sedes firma ac stabilis veritatis; nomine autem *veritatis* intelligitur universa doctrina revelata, quæ simpliciter *veritas* in S. Scriptura dicitur. Principium vero illius firmitatis et immobilitatis in fide est magisterium ecclesiasticum. Ergo. Horum verborum vim ineluctabilem senserunt Protestantes, quare nonnulli ea corrumpere studuerunt, avellendo verba *columna et firmamentum*

(1) Cf. Gen. XXVI, 3. 28; Exod. III, 11 sq.; Deut. XXXI, 8; Judic. VI, 12 sqq.; Jer. XV, 20; XXX, 10 sq. etc.

a subjecto *Ecclesia Dei vivi* et ea connectendo cum sequentibus. Ast hæc interpretatio est prorsus rejicienda, utpote adversans omnibus codicibus atque lectioni communi, omnibus Patribus et interpretibus.

Infallibilitas magisterii ecclesiastici probatur etiam ex Eph. IV, 11 sqq.

560. *Prob. 3. rationibus theologicis. a)* Cum Ecclesia, quæ est essentialiter societas fidelium et medium salutis, perpetua sit ex Christi institutione, perpetuo esse debet societas fidelium ac medium salutis. Atqui si magisterium ecclesiasticum, a quo pendet fides totius Ecclesiæ, non doceret amplius quod Deus revelavit, desineret Ecclesia esse societas fidelium et medium salutis, proindeque desineret esse Ecclesia Christi. Ergo nequit magisterium docere errorem in fide quin desinat Ecclesia: consequenter est immune ab errore seu infallibile in docendo revelationem.

b) Magisterium a Christo in Ecclesia institutum est magisterium *authenticum,* quod scilicet ex auctoritate divina docet, cujus doctrinam omnes, qui illud magisterium audiunt, sub pœna æternæ damnationis tenentur credere (Marc. XVI, 15 sq.) et quidem fide divina *tamquam verbum Dei* (2 Cor. V, 20). Atqui non potuisset imponi obligatio gravissima credendi tamquam verbum Dei quidquid docet magisterium, sola audita ejus prædicatione et excluso quovis alio examine, si istud magisterium non esset in docendo revelationem ab omni errore immune seu infallibile. Ergo.

561. *Prob. 4. ex fide totius antiquitatis christianæ.* Semper enim creditum est, causas fidei finitas esse semel ac magisterium sententiam suam dixerit. Magisterium ecclesiasticum semper fuit et est certa norma fidei. Communem omnium Patrum sententiam refert *Origenes* (de Princip. in præf. n. 2) dicens: „Cum multi sint, qui se putant sentire quæ Christi sunt et nonnulli eorum diversa a prioribus sentiant: servetur *ecclesiastica prædicatio* per successionis ordinem ab Apostolis tradita et usque ad præsens in ecclesiis permanens. *Illa sola credenda est veritas quæ in nullo ab ecclesiastica et apostolica discordat traditione.*"

Quamvis Ecclesia suam infallibilitatem hucusque non *expresse definierit,* eam tamen continua praxi sibi sufficienter vindicavit;

et nuperrime in *Conc. Vatic.* etiam explicite tamquam indubiam enuntiavit definiens, Romanum Pontificem ea infallibilitate pollere *„qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit."* (1)

562. **Scholion I.** *Infallibilitatis activæ subjectum.* Finis infallibilitatis activæ est unitas totius Ecclesiæ in vera fide seu infallibilitas Ecclesiæ passiva. Hinc liquet, magisterium *universale,* quod nempe cum auctoritate docere potest universam Ecclesiam, hocque solum esse infallibile. Porro duplex est subjectum, non adæquate distinctum, hujus magisterii universalis: nempe Romanus Pontifex, visibile Ecclesiæ caput per se spectatum; et corpus Episcoporum, seu successorum Apostolorum, simul cum et sub Romano Pontifice. Quare ad subjectum infallibilitatis in docendo quod spectat, primo *negative* non sunt infallibiles neque singuli Episcopi per se spectati, neque corpus Episcoporum sejunctum a Romano Pontifice; non enim habent magisterium universale, neque hæc aut illa ecclesia particularis aut plures ecclesiæ particulares sunt infallibiles, sed sola Ecclesia universalis ex Christi promissione est infallibilis: consequenter solum magisterium a quo pendet fides totius Ecclesiæ est infallibile. Itaque *positive*

1. Infallibilis est *Romanus Pontifex* per se solus, quando *ex cathedra* loquitur.

2. Infallibile est *corpus Episcoporum una cum et sub Romano Pontifice*, sive *a*) in Concilio œcumenico coadunatum, sive *b*) extra Concilium per orbem dispersum. Tum enim Romanus Pontifex solus tum cœtus Episcoporum cum Romano Pontifice habet magisterium universale, cui Christus promisit infallibilitatem. Et sive doceant Episcopi cum Romano Pontifice solemniter et extraordinarie in Concilio, sive doceant consentientes per orbem dispersi suo magisterio quotidiano et ordinario, semper docent ex plenitudine magisterii cui promissa est infallibilitas.

(1) In schemate constit. dogm. de Eccl. Christi, patribus Conc. Vatic. proposito, haec leguntur: „Sacro autem et universali approbante concilio docemus atque declaramus dotem infallibilitatis, quae tamquam perpetua Ecclesiae Christi praerogativa revelata est, quaeque nec cum inspirationis charismate confundi debet, neque eo spectat, ut Ecclesia novis revelationibus ditescat, collatam ad hoc esse, ut verbum Dei, sive id scriptum sive traditum sit, in universali Christi Ecclesia integrum et a quavis novitatis immutationisque corruptela immune asseratur et custodiatur."

Hæc de subjecto infallibilitatis breviter dicta hic sufficere possunt. Ex probata enim thesi manifeste liquet, cœtum Episcoporum conjunctum cum Romano Pontifice esse infallibilem. Infallibilitatem autem Romani Pontificis data opera demonstrabimus in altera hujus tractatus parte, ubi de habitudine Romani Pontificis ad cœtum Episcoporum, sive in concilio coadunatum sive per orbem dispersum etiam quædam dicemus.

563. **Scholion II.** *De infallibilitate Synagogæ.* Cum Ecclesia Mosaica esset a Deo specialiter instituta et ordinata ad custodiendam revelationem jam factam et veram religionem, ut præpararetur regnum Christi, negari nequit, Synagogam habuisse charisma infallibilitatis. De hac tamen infallibilitate non omnes theologi eodem modo loquuntur. Plures censent, Synagogæ magisterio ordinario ipsi seu summo sacerdoti, saltem usque ad adventum Christi, infallibilitatem in conservanda et docenda doctrina revelata concessam fuisse. Ast hæc sententia tantis premitur difficultatibus, ut valide probari nequeat.

Synagogæ infallibilitas ita videtur concipienda cum *Franzelin* (de Eccl. th. 3): „Alio igitur modo infallibilitatis charisma, quod etiam in magisterio Ecclesiæ veteris Testamenti negare fas non est, ex ipsa propria indole illius œconomiæ concipiendum esse videtur. Sicut ibi veritas divina novis continuis revelationibus explicanda erat, ita ex hoc ipso missio extraordinaria *prophetarum,* qui nimirum essent ministri revelationis, cum proprio fine illius œconomiæ intime nexa et conserta intelligitur. Unde ad magisterium divinæ religionis (in doctrina et moribus) pertinebat non solum munus *ordinarium* sacerdotale sed etiam munus *propheticum extraordinarium.* Ad hoc nempe munus propheticum non minus spectabat custodia et vera declaratio revelationis ac legis jam promulgatæ quam illius ulterior explicatio et incrementum per novas revelationes. Si quando igitur magisterium ordinarium sua culpa deficeret, charisma propheticum magisterii extraordinarii supplebat defectum ad infallibilem conservationem doctrinæ et fidei divinæ in Ecclesia Israel.... Infallibilis itaque depositi custodia erat utique etiam in Ecclesia Mosaica, non tamen per promissam perennem assistentiam Spiritus veritatis pro magisterio ordinario (sicut in novo Testamento); sed quatenus

munus utrumque, ordinarium sacerdotii et extraordinarium prophetiæ, consideratur conjunctum."

§ 2. De infallibilitatis extensione seu objecto. (1)

Quæ ad infallibilitatis objectum spectant, brevitatis gratia, hoc uno paragrapho complectimur.

564. I. **Objectum infallibilitatis generatim,** uti jam supra indicavimus, est *doctrina de fide et moribus.* Quia autem præter veritates de fide et moribus a Deo *revelatas,* sunt aliæ veritates, quæ quidem revelatæ non sunt, *specialem tamen connexionem cum veritatibus revelatis* habent, et ad quas propter hanc connexionem infallibilis Ecclesiæ auctoritas se porrigit; ideo duplex distingui solet infallibilitatis objectum: unum *directum,* aliud *indirectum.*

Objectum *directum* constituunt omnes veritates, quæ, explicite vel implicite, in publico revelationis deposito, Scriptura et Traditione comprehenso, ita continentur, ut vere sint a Deo revelatæ. Objectum *indirectum* comprehendit illa, quæ licet revelata non sint, tam intime tamen cum revelatis sunt connexa, ut sine illis depositum revelationis incolume et fides integra servari nequeat. Connexio hæc, propter quam aliqua veritas constituitur infallibilitatis objectum indirectum, in eo est, quod illius veritatis certitudine deficiente, aut admisso seu permisso errore circa eam, fides in veritates revelatas consistere non possit, aut saltem plus minus periclitetur hæc fides vel salus fidelium.

565. II. **Objectum directum.** Ecclesiæ infallibilitatem se porrigere ad objecta *directa,* seu Ecclesiam infallibilem esse in docendis veritatibus *revelatis*, est *dogma fidei;* et hæ veritates ab infallibili magisterio propositæ credendæ sunt fide *divina catholica.* Et re quidem vera infallibilitatem Ecclesiæ se extendere saltem ad omnia, quæ a Deo sunt revelata ex demonstratis in paragrapho præcedenti est manifestum. Christus enim diserte promisit, se futurum cum magisterio ecclesiastico

(1) Cf. *Perrone,* l. c. prop. 2; *Cercia,* l. c. lect. 6; *Mazzella,* disp. 4. art. 8; *Heinrich,* l. c. § 105 sqq.; *Jansen,* § 72; *De Groot,* l. c. art. 5 sqq.; *Hurter,* n. 273 sqq.; *Pesch,* n. 524 sqq.; *Tanquerey,* n. 193 sqq.

docente *omnia quæcumque ipse mandavit* (Matth. XXVIII, 20), prædicante *Evangelium* qua late patet (Marc. XVI, 15); promisit Spiritum Sanctum, qui doceat Ecclesiam *omnia* (Joan. XIV, 26), *omnem veritatem* (Joan. XVI, 13). Finis itaque instituti a Christo authentici ac infallibilis magisterii est docere et illibatum custodire totum revelationis depositum; ideoque ex hoc ipso suo fine infallibile magisterium necessario se porrigit ad omnia quæ in deposito revelationis continentur. Unde infallibilis Ecclesiæ auctoritas imprimis pertinet ad custodiendas, proponendas, explicandas veritates revelatas sive theoreticas sive practicas, et proinde etiam ad arcendos errores hisce veritatibus directe oppositos seu ad damnandas hæreses.

566. Hinc sequitur 1. Ecclesiam infallibilem esse in cognoscendis, recensendis et exponendis libris divinitus inspiratis et traditionibus divinis; in his enim fontibus continetur depositum revelationis et doctrina de his fontibus ad ipsum revelationis depositum quoque pertinet.

2. Ecclesiam infallibilem esse non solum in proponendis revelationis veritatibus theoreticis, sed etiam in proponendis et explicandis præceptis moralibus ac consiliis evangelicis, nam et hæc divina revelatione continentur.

3. Ecclesiam infallibilem esse in judicando de vi et extensione suæ infallibilitatis; nam ipsa Ecclesiæ infallibilitas est veritas revelata, et hujus proinde sicut aliarum veritatum revelatarum sensum Ecclesia infallibiliter declarare potest.

Porro cum objectum infallibilitatis non sit nova doctrina revelanda, sed magisterium ecclesiasticum eo spectet, ut sub assistentia Spiritus Sancti *revelata infallibiliter custodiat atque exponat;* sequitur Ecclesiam, dum proponit aliquam veritatem ut dogma credendum, nihil aliud facere nisi authentice et infallibiliter declarare hanc veritatem ad revelationem ab Apostolis traditam pertinere.

567. III. **Objectum indirectum.** Tenendum omnino est, Ecclesiæ infallibilitatem se extendere quoque ad ea, quæ licet revelata non sint, ita tamen cum revelatis sunt connexa, ut sine illis depositum revelationis nequeat integre custodiri, explicari atque defendi. Hæc doctrina est saltem *theologice certa,* hujusque doctrinæ negatio est *error gravissimus,*

imo juxta plures *hæresis* vel *hæresi proxima.* (1) Objecta indirecta, ab Ecclesia infallibiliter proposita, sunt tenenda non fide divina, quia non sunt revelata; sed fide, ut dicunt, *ecclesiastica,* qua illis assentimur propter *infallibilem auctoritatem Ecclesiæ.* Quia autem hæc ipsa Ecclesiæ infallibilitas est veritas revelata adeoque fide divina credenda, ideo illa *fides* ecclesiastica seu religiosa dicitur etiam *mediate divina.*

568. Porro *Ecclesiæ infallibilitatem se porrigere quoque ad ea quæ eo modo quo diximus cum revelatis connectuntur,* facili negotio probatur.

1. *Ex fine ipso magisterii ecclesiastici.* Magisterii ecclesiastici finis ac munus est illibatum custodire integrum depositum revelationis, et per veram doctrinam fideles dirigere in salutem; et ut huic fini ac muneri possit facere satis, Christus Dominus ipsi contulit charisma infallibilitatis. Atqui id magisterium ecclesiasticum præstare nequiret, nisi etiam posset authentice adeoque infallibiliter docere illas veritates, quæ intime cum revelatis nectuntur, atque ea omnia, quæ scitu necessaria vel utilia sunt ad salutem, omnesque proscribere errores his veritatibus adversos. Ergo.

Prob. minor. Cum agatur de veritatibus intime nexis cum revelatis, manifestum est, errores circa illas veritates detrimentum afferre posse fidei et saluti animarum, et propugnationem earum veritatum utilem et necessariam esse posse, ut fides servetur integra et salus animarum sit in tuto. Fac enim dubium aut errorem admitti circa aliquid ita nexum cum fide, potest ratiocinando ex eo deveniri ad vocandum in dubium vel negandum id quod est de fide: et si sit error circa veritatem moralem, potest periclitari pietas et salus animarum. Ergo ut magisterium efficaciter possit depositum

(1) In cap. 9 schematis supra citati legitur: „Objectum infallibilitatis tantum patere docemus, quantum fidei patet depositum et ejus custodiendi officium postulat, adeoque praerogativam infallibilitatis, qua Christi Ecclesia pollet, ambitu suo complecti tum universum Dei verbum revelatum, tum id omne quod licet in se revelatum non sit, est tamen hujusmodi, sine quo illud tuto conservari, certo ac definitive ad credendum proponi et explicari aut contra errores hominum ac falsi nominis scientiae oppositiones valide asseri defendique non possit." Et simul propositus fuit can. 9 ejusdem schematis: „Si quis dixerit, Ecclesiae infallibilitatem ad ea tantum restringi, quae divina revelatione continentur, nec ad alias etiam veritates extendi, quae necessario requiruntur, ut revelationis depositum integrum custodiatur; a. s."

fidei custodire integrum fidelesque per veram doctrinam in salutem dirigere, debet posse prædictas veritates docere atque errores iis adversos proscribere.

2. *Ex praxi et doctrina Ecclesiæ.* Ad Ecclesiam spectat judicare de vi et extensione suæ infallibilitatis. Atqui Ecclesia jugiter sibi vindicavit et exercuit judicium et quidem peremptorium in iis quæ ita cum revelatis nexa sunt, ut sine illis revelatio non possit integre custodiri, explicari atque defendi: uti patet e. g. ex judicio lato contra Jansenianos et ex solemni decreto *Clementis XI* in Bulla *Vineam Domini* de vi illius judicii, ex censura lata contra Synodum Pistoriensem, ex damnatione articulorum Wicleffi et Hus in *Concilio Constantiensi* et mandato *Martini V* in Bulla *Inter cunctas.* Hinc in *Syllabo* damnata est hæc propositio 22: „Obligatio, qua catholici magistri et scriptores omnino adstringuntur, coarctatur in iis tantum, quæ ab infallibili Ecclesiæ judicio veluti fidei dogmata ab omnibus credenda proponuntur."

569. IV. **Objecta indirecta infallibilitatis Ecclesiæ** hucusque generatim indicata jam in particulari determinaturi hæc breviter statuimus.

1. *Ecclesia infallibilis est in statuendis conclusionibus theologicis et in damnandis erroribus eisdem adversis.* Conclusio theologica proprie ac simpliciter dicta est veritas, quæ per proprium discursum deducitur ex duabus præmissis, quarum *una* tantum est veritas immediate revelata et altera est veritas naturaliter certa. Talis conclusio theologica dicitur veritas *mediate* et *virtualiter revelata* i. e. cum veritate revelata ita nexa, ut negari non possit, quin ipsa veritas revelata in discrimen vocetur. Jamvero Ecclesiam posse infallibiliter sive positive proponere hujusmodi conclusiones theologicas sive negative errores eisdem adversos damnare, ex dictis numero præcedenti manifestum est. Hinc Ecclesia infallibilis est non solum in ferenda censura *hæresis,* quod fide certum est, sed etiam in ferendis censuris *infra hæresim* e. g. in damnanda aliqua propositione ut *erronea*, *falsa*, *temeraria* etc., quod est saltem theologice certum.

Quare etiam philosophia ceteræque scientiæ humanæ censeri nequeunt penitus independentes ab infallibili Ecclesiæ magisterio, ac merito damnata est in *Syllabo* hæc prop. 11:

„Ecclesia non solum non debet in philosophiam umquam animadvertere, verum etiam debet ipsius philosophiæ tolerare errores, eique relinquere ut ipsa se corrigat." Ecclesia enim, quamvis non tradat scientias naturales neque de earum doctrinis judicet ex illarum principiis propriis, potest tamen ex suis principiis (nempe revelatis) infallibiliter judicare de illarum scientiarum doctrinis, ubi veritatem revelatam quomodocumque tangunt, atque damnare errores in istis doctrinis admissos, qui sive directe sive indirecte doctrinæ revelatæ adversentur. Unde *Conc. Vatic.* (Const. *Dei Filius,* cap. 4) docet: „Porro Ecclesia, quæ una cum apostolico munere docendi mandatum accepit fidei depositum custodiendi, jus etiam et officium divinitus habet *falsi nominis scientiam* proscribendi, ne quis decipiatur per philosophiam et inanem fallaciam (Coloss. II, 8). Quapropter omnes christiani fideles hujusmodi opiniones, quæ fidei doctrinæ contrariæ esse cognoscuntur, maxime si ab Ecclesia reprobatæ fuerint, non solum prohibentur tamquam legitimas scientiæ conclusiones defendere, sed pro erroribus potius, qui fallacem veritatis speciem præ se ferant, habere tenentur omnino."

570. 2. *Ecclesia infallibilis est in dijudicandis factis dogmaticis.* Per *factum dogmaticum generatim* intelligitur non factum revelatum, hoc enim ad infallibilitatis objectum directum pertinet, neque factum mere historicum nullatenus afficiens dogma, sed *factum cum dogmate connexum* ita ut illius facti certitudo sit necessaria ut ipsum dogma sit nobis certum. Facta itaque dogmatica inter conclusiones theologicas sunt referenda, et talia e. g. sunt authentia versionis Vulgatæ S. Scripturæ, legitimitas alicujus concilii œcumenici.

Strictiori sensu factum dogmaticum est factum doctrinale seu *textus dogmaticus* i. e. textus non inspiratus sed humanæ originis continens doctrinam conformem vel adversam doctrinæ revelatæ. Hoc itaque factum dogmaticum, quod nempe aliquis liber vel textus (non inspiratus) continet doctrinam orthodoxam aut heterodoxam, duo complectitur: *a)* doctrinam aliquam esse orthodoxam vel heterodoxam, quod est *jus; b)* istam doctrinam exprimi aliquo determinato textu vel libro, quod est *factum.* Hæc duo simul juncta constituunt factum dogmaticum strictiori sensu acceptum. Judicium igitur de tali facto huc redit, ut

alicujus determinati libri vel textus definiatur sensus in ordine ad orthodoxiam. Porro sensus distingui debet duplex: sensus *subjectivus,* internus in mente auctoris existens; et sensus *objectivus*, externus quem verba simul constructa et ordinata per se exprimunt. Sensus objectivus merito dicitur *ab auctore intentus*, quia jure præsumitur, auctorem voluisse dicere quod dicit. Judicium Ecclesiæ de textu dogmatico non nisi in hunc sensum objectivum cadit. Quando igitur Ecclesia damnat aliquam propositionem *in sensu ab auctore intento,* intelligitur sensus quem auctor verbis expressit: non vero intelligitur sensus pure subjectivus, quem auctor forte in mente habuit.

571. Jam vero in hujusmodi factis dogmaticis dijudicandis contendimus Ecclesiam esse infallibilem. Hæc quæstio maxime agitata est a Jansenianis, qui negando Ecclesiæ infallibilitatem in factis dogmaticis damnationem pontificiam eludere studebant. Cum enim Innocentius X damnasset quinque propositiones ex libro Jansenii, qui inscribitur „Augustinus", excerptas; dixerunt Janseniani illas propositiones quidem merito damnatas esse, eas vero non inveniri in libro Jansenii, vel saltem sensum damnatum non esse sensum a Jansenio intentum. Hæc est famosa distinctio *juris* et *facti,* qua Janseniani auctoritatem Ecclesiæ perfide impugnarunt. At Alexander VII definivit, quinque illas propositiones in sensu a Jansenio intento damnatas esse. Tunc Jansenistæ confugerunt ad prætextum *silentii religiosi:* dixerunt scilicet Ecclesiæ judiciis, quantum ad quæstionem facti, deberi quidem *obsequiosum silentium,* non vero internum assensum. Hoc autem effugium destruxit Clemens XI, solemniter declarans, constitutionibus pontificiis damnantibus propositiones Jansenii non satisfieri obsequioso illo silentio, sed assensum internum deberi.

Contra Jansenianos itaque tenendum est, Ecclesiam esse infallibilem in factis dogmaticis, Ecclesiam posse infallibiliter judicare de sensu libri ab auctore intento; hæc doctrina est saltem *theologice certa,* ita ut ejus negatio sit error gravissimus imo a quibusdam dicatur hæresis.

572. Hæc infallibilitas ex antea dictis jam facile liquet; nihilominus eam pro rei momento peculiaribus argumentis breviter demonstrabimus. Itaque

a) Prob. ex fine magisterii ecclesiastici. Magisterium eccle-

siasticum institutum est ad depositum revelationis docendum ac integrum conservandum atque errores avertendos. Atqui huic fini efficaciter satisfacere nequiret, si non posset infallibiliter judicare de factis dogmaticis, nominatim de sensu verborum quibus quæstio *juris* seu doctrina exprimitur. Ergo. *Prob. min.* 1) Homines veritatem docere nequeunt nisi signis externis et maxime verbis; unde si fieri potest ut Ecclesia in verborum sensu erret, fieri etiam potest ut fideles propositionem hæreticam tamquam orthodoxam credere cogantur. 2) Hæreses et perversæ doctrinæ proponuntur verbis et propagari solent in libris; nisi ergo de horum verborum seu scriptorum sensu peremptorie ac infallibiliter judicari possit, non potest illos errores efficaciter avertere nec efficaciter impedire ne spargantur. Posset enim quilibet impune errores spargere et judicium Ecclesiæ eludere, sub prætextu quod Ecclesia sensum libri sui non recte intellexerit. Igitur practice inutilis esset infallibilitas in quæstione juris, nisi Ecclesia esset etiam infallibilis in quæstione facti, utrum scilicet hæc determinata verba ab auctore adhibita catholicam doctrinam rite exprimerent nec ne. Hoc ex historia Jansenismi liquet. 3) Ipsi Janseniani concedunt, Ecclesiam in damnandis propositionibus hæreticis (e. g. quinque Jansenii) in se spectatis infallibilem esse; proindeque concedunt, Ecclesiam falli non posse in determinando sensu propositionis damnatæ: secus enim potest Ecclesia propositionem catholicam tamquam hæreticam damnare et sic proscribendo propositionem hæresim docere. Atqui propositio aliqua et libri alicujus contextus integer non differunt specie, sed tantum materialiter secundum plus et minus; ergo potest etiam Ecclesia totius libri infallibiliter determinare sensum. 4) Hinc Apostolus Paulus expresse affirmat verborum sensum ad munus docendi pertinere, atque ad magisterium ecclesiasticum spectare approbare verbum veritatis et damnare sermonem erroris. „O Timothee, depositum custodi, *devitans profanas vocum novitates*" (1 Tim. VI, 20); „*Formam habe sanorum verborum*, quæ a me audisti in fide .... bonum depositum custodi" 2. Tim. I, 13 sq). (1)

(1) Cf. 2 Tim. II, 16; Act. XX, 30 sq.; Eph. V, 6.

b) Prob. ex traditione. Ecclesia non errat in judicando, ad quæ sua infallibilitas se extendat. Atqui Ecclesia semper tenuit, suam infallibilitatem ad facta dogmatica se extendere. Etenim *Concilium Nicænum* damnavit librum Arii, qui „Thalia" inscriptus erat; *concilium Ephesinum* Nestorii scripta damnavit, et S. Cyrilli libros approbavit; *concilium Constantinopolitanum* II tria capitula damnavit; concilium Constantiense quemlibet suspectum de hæresi interrogari jussit *„utrum credat,* Wicleff ete. fuisse hæreticos . . . et *libros* et doctrinas eorum fuisse et *esse perversos."* Romani Pontifices, obediente universa Ecclesia, idem adversus Jansenianos egerunt.

573. 3. *Ecclesia infallibilis est in decretis disciplinæ generalis.* Decreta disciplinaria intelliguntur *leges ecclesiasticæ* latæ ad cultum vitamque christianam dirigendam. Leges disciplinares aliæ sunt *universales,* si quid pro Ecclesia universa præscribitur; aut *particulares,* si uni tantum ecclesiæ aut pluribus ecclesiis particularibus quid præscribitur. Ecclesiæ infallibilitatem asserimus tantum in legibus disciplinaribus *universalibus.* Asserimus itaque Ecclesiam *numquam statuere posse aliquam disciplinam universalem, quæ vel fidei vel bonis moribus adversetur vel in grave religionis detrimentum cedat;* eatenus enim hæc decreta disciplinaria cadunt sub infallibilitate Ecclesiæ, quatenus cum fide et moribus atque salute fidelium cohærent. Hæc Ecclesiæ infallibilitas peculiari probatione non indiget, sed ex natura rei manifesta est.

Non igitur dicimus, leges ecclesiasticas esse semper omnium, quæ statui possent, *optimas* et *prudentissimas.* Neque affirmamus, leges ecclesiasticas esse *immutabiles;* eadem enim auctoritate, qua statuuntur, immutari aut abrogari possunt, imo earum immutatio aliquando propter mutatas circumstantias necessaria esse potest.

574. 4. *Ecclesia infallibilis est in approbatione ordinis religiosi.* Ordo religiosus est societas hominum ad perfectionem per tria vota perpetua paupertatis, castitatis et obedientiæ secundum certam regulam acquirendam. Tria memorata vota constituunt essentiam status religiosi et proinde omnibus veri nominis ordinibus religiosis communia sunt; sed ordo ab ordine differt certa regula seu certa institutorum forma. Jamvero judicium Ecclesiæ, approbans aliquem ordinem reli-

giosum, non versatur circa honestatem trium votorum, hæc enim a Christo ipso sunt approbata, sed circa honestatem peculiaris regulæ seu peculiarium institutorum. Porro approbatio hic intelligitur non commendatitia tantum seu laudativa, sed *solemnis* et *definitiva.* Hæc autem approbatio duo complectitur: *a)* judicium *doctrinale* de honestate ac sufficientia talis modi vivendi ad perfectionem acquirendam; *b)* judicium *prudentiale,* utrum spectatis circumstantiis talis ordo sit opportunus. Jamvero omnes concedunt, idque omnino tenendum est, Ecclesiam in approbandis ordinibus religiosis definitive quoad judicium *doctrinale* infallibilem esse. Ad judicium autem *prudentiale* quod spectat, alii negant illud esse infallibile, alii plures affirmant.

575. 5. *Ecclesia infallibilis est in canonizatione sanctorum.* Canonizatio est *ultima et definitiva sententia,* qua servus Dei inter cœlites receptus esse declaratur et omnibus fidelibus colendus et invocandus proponitur. Ab ea distinguenda est *beatificatio,* quæ est judicium *prævium,* quo *permittitur* tantum cultus alicujus servi Dei aut saltem *non universaliter* præcipitur. Canonizatio itaque continet præceptum, quo universa Ecclesia obligatur ad canonizatum indubitanter pro sancto habendum, i. e. pro tali qui publico cultu dignus sit. Notat *Benedictus XIV* (de Serv. Dei beatif. l. 1. c. 43 n. 14) inscriptionem alicujus in martyrologio non esse per se canonizationem. Antiquitus non in usu erat canonizatio formalis et solemnis, sed tunc vigebat *canonizatio æquipollens*, quæ in eo consistit, quod quis sine formali canonizatione in universa Ecclesia qua sanctus colitur. Prima formalis et solemnis canonizatio fuit *S. Udalrici* a *Joanne XV,* anno 993 facta. Jam inde a multo tempore non solum canonizatio sed et beatificatio soli Romano Pontifici (aut Concilio œcumenico) reservata est.

Asserimus itaque Ecclesiam (Summum Pontificem) in *canonizatione* sanctorum *esse infallibilem.* Hæc doctrina est saltem *theologice certa.* Hæc infallibilitas probatur ex sensu ipsorum Summorum Pontificum: talibus enim in solemni canonizatione utuntur formulis, quibus significent se in isto actu exercere supremam suam potestatem infallibilem; dicunt: *decernimus, definimus,* atque iis, qui canonizationis decreto refragarentur,

anathema dicunt. Præterea, negata ista infallibilitate, periclitaretur totus sanctorum cultus, atque hic cultus maculari posset, quia fieri posset ut damnatus tamquam sanctus coleretur. Quid censendum sit de judicio Romani Pontificis in beatificatione, videri potest apud *Benedictum XIV.* l. c. l. 1. c. 42.

CAPUT IV.

DE NOTIS ECCLESIÆ, DEQUE IDENTITATE ECCLESIÆ ROMANÆ CUM ECCLESIA CHRISTI. (1)

576. Hucusque Ecclesiam Christi veluti *in abstracto* consideravimus scrutando ejus naturam, proprietates ac dotes. Modo eam *in concreto* consideremus oportet.

Cum enim variæ sint societates, quæ se Ecclesiam Christi dicant, cumque Ecclesia Christi non sit nisi unica, jam quærendum est, *quænam* ex tot cœtibus *sit vera Ecclesia Christi.* Ut autem hæc quæstio solvatur, prius investigandum est, *quomodo Ecclesia Christi inveniri possit.* Illud vero, per quod vera Christi Ecclesia certo cognosci ac dignosci possit, vocari solet nota Ecclesiæ. Hinc primo articulo agemus de notis Ecclesiæ; secundo videbimus illas notas soli Ecclesiæ Romanæ convenire, ideoque hanc solam esse veram Ecclesiam Christi.

Art. I. **De notis Ecclesiæ Christi.**

577. *Quid generatim est nota, et quid speciatim est nota Ecclesiæ?*

1. *Nota* generatim est signum seu res, quæ cognita ducit in alterius rei cognitionem. Nota ad subjectum pertinet quod manifestat, atque ideo est *proprietas inhærens,* quæ subjectum cognoscibile reddit; et si subjectum manifestandum est sensibile, nota etiam sensibilis esse debet. Hinc ad rationem notæ

(1) Cf. *Bellarminus,* de Eccl. l. 4; *Perrone,* de Eccl. c. 3; *Cercia,* l. c. sect. 3. lect. 12 sq. et sect. 4; *Palmieri,* de Rom. Pontif. Appendix; *Mazzella,* disp. 4. art. 9; *Jansen,* § 97 sqq.; *De Groot,* q. 5. 6. 7; *Hurter,* n. 315 sqq.; *Pesch,* n. 397 sqq.; *Tanquerey,* n. 113 sqq.

subjecti sensibilis, qualis est Ecclesia, hæc tria requiruntur: *a)* ut sit sensibilis; *b)* ut sit propria, non communis; *c)* ut sit subjecto, ad quod cognoscendum inserviat, notior.

2. *Nota itaque Ecclesiæ* definiri potest: *sensibilis proprietas essentialis vel necessaria, quæ soli veræ Ecclesiæ convenit eamque ut Ecclesiam Christi visibiliter manifestat.*

Cum enim nota sit aliquid subjecto manifestando inhærens illudque certo manifestans, liquet, illud tantum posse esse notam Ecclesiæ, quod sit ejusdem proprietas, seu quod Ecclesiæ essentialiter aut necessario ipsique soli competat. Hujusmodi debere esse notas Ecclesiæ, manifestum est. Si enim non necessario insunt, sed possunt etiam abesse, ipsis deficientibus non cognoscetur vera Ecclesia; si sunt communes etiam cœtibus falsis, per eas vera Ecclesia non discernetur a falsis.

578. II. *Quænam sunt notæ veræ Ecclesiæ?*

1. Protestantes duas assignant notas, nempe *sinceram prædicationem verbi Dei* et *legitimam sacramentorum administrationem*. Verum *hæ duæ notæ sunt prorsus rejiciendæ*. Etenim *a) non sunt notiores ipsa Ecclesia.* Sane quod a Protestantibus ut nota assumitur, est illud ipsum quod quæritur seu quod per notas cognoscendum est: quinam nempe sit cœtus, qui habeat veram doctrinam et legitime administret sacramenta. *Veritas doctrinæ,* quæ testificatione magisterii authentici constat, et *legitima administratio* sacramentorum sunt res per se immediate invisibiles, quæ per aliud manifestari debent; non possunt ergo esse notæ, sed e contra sunt id, quod per notas cognoscibile redditur. Hinc *b)* omnes sectæ sibi vindicant veram doctrinam ac rectum usum sacramentorum. Opus igitur est aliis criteriis, quibus certo ac tuto discernamus, apud quemnam cœtum illa vere sint, apud quem falso jactentur. *c)* Nititur ista opinio confusione ordinis *ontologici* et *logici.* Etenim duo sedulo sunt secernenda: 1) utrum aliquid necessario pertineat ad veram Christi Ecclesiam, ita ut ab hac numquam sejungi possit: 2) utrum per illud idem ab hominibus vera Ecclesia a falsis sectis dignosci ac discerni possit. Nam non quidquid Ecclesiam constituit et discernit *ontologice,* discernit eam quoque *logice* et *quoad nos;* ad hoc alterum insuper requiritur, ut sit nobis immediate notum et notius Ecclesia discernenda. Hinc licet vera doctrina et legitimus usus sacra-

mentorum sint quidem propria veræ Ecclesiæ adeoque eam *ontologice* constituant ac discernant; eam tamen non discernunt *logice* et *quoad nos:* quia nobis non sunt immediate nota neque notiora ipsa Ecclesia sed e contra per veram Ecclesiam cognoscenda.

579. 2. His igitur rejectis, quænam sunt notæ veræ Ecclesiæ? *Catholici jam unanimi consensu quatuor assignant notas: unitatem, sanctitatem, catholicitatem* et *apostolicitatem,* quæ etiam professione symbolica continentur: „Credo unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam." Si qui theologi alias adhuc assignant notas, hæ ad quatuor prædictas revocari possunt (1). Jam vero

a) Quatuor recensitæ dotes merito dicuntur esse notæ veræ Ecclesiæ. Etenim 1) nota non est nisi *proprietas visibilis;* præfatæ autem dotes sunt Ecclesiæ proprietates et quidem maxime visibiles. Et sane quælibet res optime ac certo dignoscitur ex ejus proprietatibus si hæ exterius manifestentur. 2) Recensitis quatuor dotibus competunt omnes conditiones, quæ ad veræ Ecclesiæ notam constituendam requiruntur. Sunt enim aliquid *proprium* veræ Ecclesiæ et non commune, nam sunt Ecclesiæ proprietates. Hinc etiam *permanentes* sunt in Ecclesia. Sunt denique *externæ* et ab omnibus facile cognoscibiles atque *notiores* Ecclesia. Et re quidem vera illud est notius altero quod immediate videtur, et per quod illud alterum discursu quodam mentis videtur. Atqui illæ quatuor notæ, cum ad factum sensibile revocentur, immediate videntur; illis autem visis in aliquo cœtu, quia ex ratione vel revelatione constat hæc omnia non nisi veræ Ecclesiæ convenire posse, intellectus concludit: ergo hic cœtus, cui insunt hæ proprietates, est vera Christi Ecclesia. Hinc 3) Patres usi semper sunt iisdem notis ad veram Ecclesiam discernendam. Ideo etiam quatuor illæ proprietates in symbolo recensentur, quia simul sunt notæ veræ Ecclesiæ.

580. *b) Quatuor recensitæ notæ sunt necessariæ.* Cum enim quatuor illæ dotes sint omnes proprietates necessariæ Ecclesiæ Christi, necesse est omnes inesse veræ Ecclesiæ, ita ut si una desit, statim concludi possit, illum cœtum

(1) Cf. *Bellarminus,* de Eccl. l. 4. c. 3 sqq.

non esse veram Ecclesiam Christi. Hinc unaquæque ex istis quatuor notis est nota *negativa,* talis scilicet, ut ea deficiente in aliquo cœtu statim innotescat ipsum non esse Ecclesiam Christi.

Licet autem omnes illæ quatuor notæ inesse debeant veræ Ecclesiæ, non tamen omnes necessario cognoscendæ sunt, ut vera Ecclesia cognoscatur.

581. *c) Hæ quatuor notæ sunt sufficientes* ad certo agnoscendam et discernendam veram Christi Ecclesiam, *saltem omnes simul sumptæ.* Et sane illæ omnes notæ simul sumptæ manifeste sistunt in concreto illam Ecclesiam, quam a Christo institutam docet revelatio, eamque societatem sistunt, qua nulla præstantior aut divinior excogitari potest; quare etiam in monumentis ecclesiasticis, nominatim in symbolis, per illas quatuor notas designatur vera Ecclesia Christi.

Si vero quæritur, *utrum singulæ notæ seorsim sumptæ non solum negative, sed etiam positive probent ac discernant veram Christi Ecclesiam,* non omnes Theologi idem respondent. Videtur autem dicendum, saltem duas ex illis quatuor notis, nempe sanctitatem et catholicitatem, etiam singulas seorsum sumptas positive probare veram Ecclesiam eamque discernere a sectis hæreticis et schismaticis; nam eximia sanctitas et catholicitas Ecclesiæ Christi non possunt non haberi ut miraculum adeoque ut testimonium Dei pro veritate illius cœtus, cui insunt. Licet quidem nulla proprietas Ecclesiæ Christi, adæquate et integre spectata, possit *vere* competere alicui cœtui christiano, qui non sit vera Christi Ecclesia; quædam tamen, nempe unitas et apostolicitas, possunt *apparenter* inesse tali cœtui. Non enim repugnat, in aliquo cœtu schismatico aut hæretico materialem successionem ab Apostolis reperiri, neque repugnat, talem cœtum retinere aliquam unitatem doctrinæ, regiminis et sacramentorum; repugnat autem, alicui cœtui, qui non sit vera Ecclesia, apparenter inesse sanctitatem vel catholicitatem. Hæc quamvis, absolute loquendo, ita sint, facile tamen ostendi potest, nullum cœtum sive orientalem sive occidentalem, ab Ecclesia Romana distinctum et avulsum, ullam notam veræ Ecclesiæ vel apparenter sibi vindicare posse.

ART. II. Quatuor notæ soli Ecclesiæ Romanæ competunt ideoque hæc sola est vera Ecclesia Christi.

582. **Prænotandum.** Omnes cœtus, qui christiano nomine gloriantur, ad quatuor classes revocari possunt: 1) Ecclesia Romano-Catholica; 2) ecclesiæ schismaticæ orientales; nempe ecclesia russiaca, ecclesia græca sub patriarcha constantinopolitano, et ecclesia regni græci; 3) antiquæ sectæ hæreticæ orientales: nempe Nestoriani et Monophysitæ; 4) Protestantes orti a Novatoribus sæc. XVI. Numerantur catholici circiter 240.000.000; Græci schismatici (cum Russis) 90.000.000; Monophysitæ (Jacobitæ, Armeni, Copti, Aethiopes) 5.000.000: Nestoriani 500.000; Protestantes 140.000.000. Verum tum Schismatici tum Protestantes iterum in plurimas sectas sæpe maxime sibi oppositas, dividuntur (cf. *Werner,* Orbis terrarum catholicus p. 3 sqq. 1890). Sic in Anglia sola, secundum „Whitaker's Almanac", circiter 260 sectæ protestantes inveniuntur. Similiter in ecclesiis schismaticis, e. g. in ecclesia russiaca, plures sectæ existunt.

583. **Thesis.** Quatuor notæ veræ Ecclesiæ Christi 1) conveniunt Ecclesiæ Romano-catholicæ; 2) nulli autem alii cœtui christiano competunt; ideoque Ecclesia Romano-catholica eaque sola est vera Ecclesia Christi.

Prob. 1ma pars: quatuor notæ conveniunt Ecclesiæ Romano-catholicæ.

I. *Indirecte.* Si quatuor notæ inveniuntur in aliquo cœtu christiano, absque dubio reperiuntur in cœtu Romano-catholico. Atqui quatuor notæ necessario insunt alicui ex cœtibus christianis. Ergo reperiuntur in cœtu Romano-catholico.

Prob. maj. Inter omnes cœtus christianos evidenter nullus est, in quo tanta perspiciatur unitas fidei, sacramentorum ac regiminis cum principio idoneo ad eam efficiendam et conservandam; qui gaudeat tanta amplitudine atque extensione cum charactere proprio catholicitatis i. e. fecunditate; qui tam eximia splendeat sanctitate; qui ita sibi vindicet non interruptam successionem apostolicam.

Minor certa est ex antea probata indefectibilitate Ecclesiæ: si enim in nullo cœtu christiano amplius invenirentur quatuor

notæ necessariæ Ecclesiæ Christi, jam periisset vera Christi Ecclesia. Concludimus itaque: ergo quatuor notæ reperiuntur in cœtu Romano-catholico, ideoque hic est vera Ecclesia Christi.

584. II. *Directe.* Ecclesia Romano-catholica manifeste habet quatuor notas veræ Ecclesiæ.

Sane *a*) ipsa *una* est unitate fidei, cultus ac regiminis habetque in se principium extrinsecum maxime idoneum ad hanc unitatem efficiendam atque jugiter conservandam. Omnes enim catholici per orbem diffusi habent eamdem fidei professionem, qua credunt veritates a magisterio ecclesiastico definitas, habent idem sacrificium et eadem sacramenta iisdemque legibus liturgicis obediunt, omnes iisdem subsunt legibus disciplinaribus: omnes subsunt uni capiti, Romano Pontifici, qui per supremam suam auctoritatem est centrum unitatis, per cujus regimen omnes uniuntur in unum. In multis quidem rebus permittitur catholicis libertas opinandi et agendi, ast hoc non obstat unitati, quia omnes parati esse debent et paratos se profitentur acceptare sententiam auctoritativam, quando fertur. Hæc unitas in Ecclesia Romano-catholica tam manifesta ac splendida est, tantaque luce nostris præsertim etiam temporibus splendet, ut ipsi Ecclesiæ Romanæ adversarii eam magnopere mirentur ac magnificis verbis prædicent atque extollant.

585. *b*) Ecclesia Romano-catholica *sancta* est. Sane sanctissima est ejus *doctrina* tam theoretica quam practica, qua vitia prohibentur, virtutes commendantur, perfectionis studium excitatur, et non modo præcepta inculcantur sed etiam consilia evangelica magnopere commendantur. Totus ejus cultus, sacrificium et sacramenta, omnes ritus et cæremoniæ omnesque leges disciplinares sanctitatem spirant hominumque sanctificationem ac vitam religiosam maxime promovent: quidquid in iis peragitur, id omne est religiosissimum. 2) Ecclesia Romano-catholica quavis ætate lætissimos ac uberrimos protulit *fructus sanctitatis.* In ea enim semper floruit eximia cultura virtutum christianarum, in ea numquam defuerunt, qui et vitam perfectionis in servandis consiliis evangelicis professi sint et heroicam virtutem coluerint; et quidem tanto numero, ut eorum splendidissima sanctitatis lux totam Ecclesiam illustret. Conspicua est in Ecclesia Romano-catholica professio religiosa: cum tot sint viri ac mulieres etiam nobiles et divites, qui

quotidie bonis ac commodis sæcularibus renuntiantes se totos servitio Christi et proximorum impendant: quod homines ad admirationem Ecclesiæ vehementer movet. Ecclesia Romano-catholica semper protulit ac profert *sanctos,* ut patet ex causis sanctificationis ac beatificationis, et videre est in collectione *Bollandianorum.* Ecclesia Romana eaque sola ingenti numero *martyrum* illustrata est. Cura pauperum et miserorum, opera caritatis omnis generis in ea semper floruerunt et florent. 3) Numquam tandem defuit in Ecclesia Romano-catholica donum *miraculorum* cæterorumque *charismatum.* Testes hujus rei pro remotiore ætate inter alios sunt S. Irenæus, S. Basilius, S. Gregorius Nyssenus, S. Hieronymus, S. Hilarius, S. Augustinus. Pro recentioribus temporibus sufficit recolere quæ habentur in vitis sanctorum et in Actis pro eorum canonizatione, quorum certitudo, attenta Ecclesiæ maxima in factis miraculosis probandis severitate, in dubium vocari nequit. Pro recentissima ac nostra ætate sufficit appellare ad miracula, quæ prope Lourdes in Gallia facta et tot medicorum diligenti examine probata sunt.

586. *c*) Ecclesia Romana est evidenter *catholica.* Sane 1) gaudet *catholicitate absoluta,* nam est una eademque Ecclesia ubique, quo humanis mediis patet aditus. Est enim nulla pars habitabilis orbis, ubi Ecclesia plane desit, ubi non sint catholici; ita ut Ecclesia Romano-catholica ubique inveniri et agnosci possit. Licet quidem alibi plures, alibi pauciores sint catholici, absolute tamen eorum numerus est amplissimus, ita ut diffusio communionis Romanæ tum ratione loci tum ratione personarum simpliciter amplissima dici debeat. 2) Adhuc magis conspicua est communionis Romanæ *catholicitas relativa* præ omnibus aliis cœtibus christianis. Omnes enim sectas non solum seorsim spectatas sed etiam simul sumptas sua amplitudine superat. Quare nunc, sicut tempore Augustini, communio Romana apud omnes a sectis discernitur appellatione *catholicæ.* 3) Præterea adest in communione Romana character catholicitatis, nempe principium catholicæ diffusionis seu *fecunditatis,* per prædicationem verbi qua se jugiter dilatat, quemadmodum historia et continua experientia demonstrant.

587. *d*) Est demum Ecclesia Romano-catholica *apostolica.* Et re quidem vera 1) Romana Ecclesia est ab Apostolis

fundata. Hæc Ecclesia ejusque episcopi successione numquam interrupta inde ab Apostolis ad nostra usque tempora perseveraverunt, et antequam ulla secta schismatica aut hæretica existeret, Ecclesiæ Romanæ anterior existentia atque legitima successio semper habita est firmissimum argumentum apostolicæ doctrinæ, uti videre est apud SS. Patres. 2) *Successio legitima* liquet ex facto publico indubio Romanorum Pontificum beato Petro in sede Romana succedentium. Ad hanc enim successionem legitimam non requiritur, ut singuli episcopi reducantur ad aliquem antecessorem vel institutorem Apostolum, sed sufficit ut prima cathedra, cui omnis Ecclesia subest et a qua omnis auctoritas derivatur, sit apostolica. Atqui cathedra Romana, cum qua omnes episcopi catholici communicant et cui totus cœtus subest, certissime est apostolica; nota enim est series Pontificum, qui sine interruptione inde a Petro usque ad Leonem XIII in cathedra Romana sederunt, de quorum successione legitima nullum omnino dubium moveri potest. Ita Patres, uti Irenæus, Optatus et Augustinus, suæ ecclesiæ apostolicitatem ex apostolicitate sedis Romanæ, cum qua communicabant et cui suberant, invicte probabant.

588. *Prob. 2da pars: quatuor notæ nulli alii cœtui christiano competunt.* Cœtus, de quibus præter cœtum Romano-catholicum, quæstio institui potest, sunt duo: coetus Protestantium et cœtus schismatici Græcorum.

I. *Cœtui Protestantium evidenter desunt omnes notæ veræ Ecclesiæ Christi.* 1) Deest *unitas* fidei et regiminis, nam plurimæ sunt fidei professiones, imo jam ipsi Reformationis auctores tum secum ipsis tum inter se pugnabant, et plurimæ sunt sectæ invicem independentes. Deest ipsis principium unitatis, imo ipsis inest principium unitatis destructivum, nempe judicium privatum, quod habent tamquam supremam fidei regulam. Non est in eorum cœtibus auctoritas, qua omnes ad unitatem revocentur, et si qua apud eos invenitur auctoritas, non est illa quam Christus instituit, non enim ordinatione et institutione episcoporum, sed electione et auctoritate populi vel regis mittuntur. 2) Deest *sanctitas.* Primo ipsi Protestantismi auctores, nedum fuerunt viri sancti, fuerunt viri variis vitiis dediti et bonis atque commodis temporalibus inhiantes, uti Lutherus, Calvinus, Henricus rex etc. Ea docent

dogmata, e. g. negationem liberi arbitrii atque necessitatis bonorum operum ad salutem, quæ sanctitati cœtus manifeste adversentur. Nulla apud ipsos perfecta et eximia cultura virtutum christianarum, quamvis virtutes sic dictæ civiles, quales et inter gentes exstiterunt, apud ipsos sint vel esse videantur; nulla observantia, imo potius contemptus jejunii, virginitatis et consiliorum evangelicorum. Nullum habent sanctum, nulla miracula, nulla charismata divina. 3) Deest *catholicitas.* Nam nulla secta ex tot independentibus et diversis est universalis; sed unaquæque certo regno ac certæ provinciæ est alligata: sic uniti Borussi non sunt nisi in Borussia, anglicana ecclesia fere intra limites dominationis Britannicæ coarctatur. Imo plures ex cœtibus protestanticis volunt esse ecclesiæ nationales, quod catholicitatem aperte excludit. Præterea omnes etiam cœtus Protestantium simul sumpti sua diffusione et amplitudine materiali (de formali ex defectu unitatis quæstio esse non potest) longe inferiores sunt cœtu Romano-catholico. Demum deficit in Protestantismo character proprius catholicitatis nempe fecunditas per prædicationem, ut patet ex sterilitate missionum Protestantismi, de quibus ipsi Protestantes haud raro conqueruntur. 4) Deest *apostolicitas.* Vel enim a simplicibus presbyteris vel a laicis cœperunt Protestantes et laica potestate reguntur; auctoritas autem, qua Ecclesia Christi regi debet, est auctoritas episcopalis. Ante sæculum XVI Protestantes nulli erant: in Germania ortum duxerunt a Luthero, in Helvetia a Calvino, in Anglia ab Henrico VIII. Hi omnes non solum non habent continuationem missionis apostolicæ, sed et contra legitimam auctoritatem ecclesiasticam tunc existentem rebellarunt. Defectus apostolicitatis in sectis Protestantium adeo erat evidens, ut invocarent missionem extraordinariam, quam tamen nec miraculis nec vitæ sanctitate umquam probarunt, quamque confictam esse jam supra ostendimus. Quare ipsis tandem nihil reliquum fuit, nisi ut ad absurdam ac desperatam ideam ecclesiæ invisibilis confugerent.

589. II. *Ecclesiis schismaticis desunt notæ veræ Ecclesiæ Christi.* Loquimur nominatim de Ecclesia *Russiaca,* nam de aliis sectis orientalibus vix quæstio institui potest. 1) *Sanctitatem* deesse ecclesiis græcis manifestissimum est. Istarum

enim auctores, Photius, Cærularius et Petrus Magnus se vitæ sanctitate haud commendant, et ecclesia græca, quæ antea fecunda erat mater sanctorum, post schisma nullum sanctum protulit. Quam tristis sit status ecclesiæ græcæ apparet ex iis, quæ de corruptione, ignorantia et ebrietate cleri schismatici, monachorum et monialium, nominatim in ecclesia Russiaca, a testibus communiter narrantur. 2) Deest quoque manifeste *catholicitas.* Nam ecclesia Russiaca non est universalis sed uni imperio seu nationi alligata. Deficit insuper character proprius catholicitatis, principium fecunditatis; non enim prædicatione et persuasione, sed vi et armis propagatur. 3) Deest *unitas.* Ecclesia enim græca jam in multas partes scissa est, et hæ partes in se habent causas dissolutionis, uti maxime apparet in ecclesia Russiaca, in qua plures sectæ ortæ sunt et porro oriuntur, quæ sola vi cohibentur. Quod autem est præcipuum, deest principium unitatis; hoc enim non est potestas laica, qualis est in ecclesia Russiaca, quæ regitur a Synodo cujus præses et caput est imperator, sed hoc principium est auctoritas episcopalis a Christo instituta ad docendam et regendam Ecclesiam. 4) Ideo etiam deest *apostolicitas.* Ad cujus rei evidentiam sufficit hoc unum notare: ecclesia græca ante separationem adhæsit Ecclesiæ Romanæ, subdita fuit Romano Pontifici eumque ut supremum caput et centrum unitatis agnovit: ergo aut ante separationem erat *vera* Ecclesia et potiebatur principio unitatis; et eo ipso quod se separaverit a vero centro unitatis, constituta est extra Ecclesiam Christi et caret proinde omni missione apostolica: aut ante separationem erat *falsa* ecclesia carens apostolica missione, et consequenter nunc non potest esse vera Ecclesia nec habere apostolicam missionem, cum a seipsa cœpisse non potuerit. Hæc a fortiori valent pro ecclesia Russiaca, quæ sub finem sæculi XVII separata est a Patriarcha Constantinopolitano, cui, auctoritate imperatoris Petri Magni, substituta fuit Synodus, cujus ipse imperator caput est et præses, et a qua tamquam a suprema auctoritate ecclesia Russiaca jam deinceps dependet. Hæc ergo ecclesia, duplicis schismatis rea, adhuc manifestius caret omni missione apostolica, caret principio unitatis, quod sane non est laica potestas, sed auctoritas episcopalis a Christo instituta.

Conclusio. Cum igitur quatuor notæ veræ Ecclesiæ Christi inveniantur in Ecclesia Romano-catholica in eaque sola, merito concludimus, *hanc solam esse veram Ecclesiam Christi.*

590. **Scholion.** In demonstratione peracta notas veræ Ecclesiæ assumpsimus ac consideravimus præsertim, prouti a Christo ipso determinatæ ac in revelatione nobis manifestatæ sunt, easque sic consideratas applicando diversis cœtibus probavimus solam Ecclesiam Romano-catholicam esse veram Ecclesiam. Ad plenam autem rei demonstrationem duo addere juvabit. 1) Quatuor notæ consideratæ in seipsis, et præscindendo a positiva institutione Christi, sunt *motiva credibilitatis,* quibus religio catholica ostenditur *divinitus revelata* atque *unica vera religio.* Etenim sanctitas comprehendit miracula; unitas est verum miraculum in ordine morali; apostolicitas et catholicitas revocantur ad propagationem et conservationem religionis christianæ, quæ pariter sunt miracula in ordine morali; atqui religio seu Ecclesia, quæ talibus fulcitur miraculis, talibus fulget signis divinis, est vera seu divina; ergo.

Hinc *Concilium Vaticanum* (Const. *Dei Filius,* cap. 3) docet: „Ecclesia per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem, et inexhaustam in omnibus bonis fecunditatem, ob catholicam unitatem, invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis, et divinæ suæ legationis testimonium irrefragabile. Quo fit ut ipsa velut signum levatum in nationibus" etc.

2) Semel demonstrata divina institutione primatus in b. Petro ejusque perpetua duratione in Romanis pontificibus, Petri successoribus, potest *hac unica nota* determinari et agnosci vera Ecclesia. Nota nempe est dependentia a Romano Pontifice et communio cum eo, qui est centrum ac principium unitatis: adeoque demonstratio veræ Ecclesiæ sic breviter et facile absolvi potest: illa est vera Christi Ecclesia, quæ Romano Pontifici adhæret et subest; falsa est quævis, quæ a Romano Pontifice discedit. Hinc merito S. Cyprianus censuit, facilem ac compendiosam demonstrationem veræ Christi Ecclesiæ primatu Romani Pontificis contineri.

PARS II.

DE PRIMATU S. PETRI ET ROMANI PONTIFICIS.

591. Postquam consideravimus Ecclesiam Christi generatim, jam diligenter consideranda venit præcipua ejus visibilis pars, quæ est ejus fundamentum ac caput, principium et centrum unitatis, nempe visibilis Christi in terris Vicarius, Romanus Pontifex. Quanti momenti sit hæc tractatio ita exponit *Bellarminus* (Præf. in l. de Sum. Pont.). „De qua re agitur, cum de Primatu Romani Pontificis agitur? brevissime dicam, de summa rei christianæ. Id enim quæritur, debeatne Ecclesia diutius consistere, an vero dissolvi et concidere. Quid enim aliud est quærere, an oporteat ab ædificio fundamentum removere, a grege pastorem, ab exercitu imperatorem, solem ab astris, caput a corpore, quam, an oporteat ædificium ruere, gregem dissipari, exercitum fundi, sidera obscurari, corpus jacere? Porro adversarii, id est hæretici, cum in aliis fere dogmatibus non minus inter se, quam a nobis dissentiant, in hoc tamen omnes conveniunt, ut totis viribus, summaque animi contentione Romani Pontificis sedem oppugnent, nulli fuerunt umquam hostes Christi atque Ecclesiæ, qui simul cum hac sede bellum non gesserint."

Hinc *Concilium Vaticanum* (Const. *Pastor Aeternus)* dicit: „Quoniam portæ inferi ad evertendam, si fieri posset, Ecclesiam contra ejus fundamentum divinitus positum majori in dies odio undique insurgunt; Nos ad catholici gregis custodiam, incolumitatem, augmentum, necessarium esse judicamus, sacro approbante Concilio, doctrinam de institutione, perpetuitate, ac natura sacri Apostolici primatus, in quo totius Ecclesiæ vis ac soliditas consistit, cunctis fidelibus credendam et tenendam, secundum antiquam atque constantem universalis Ecclesiæ fidem, proponere, atque contrarios, dominico gregi adeo perniciosos, errores proscribere et condemnare." Sequentes itaque ipsius Concilii Vaticani expositionem, hanc de primatu tractationem in quatuor capita dividimus. 1mo agemus *de institutione primatus* in beato Petro; 2do *de primatus perpetua duratione in* b. Petri successoribus, *Romanis Pontificibus;* 3^{tio} *de vi et ratione primatus;* denique 4to *de Romani Pontificis infallibilitate.*

CAPUT I.

DE INSTITUTIONE PRIMATUS IN BEATO PETRO. (1)

592. **Prænotanda.** *Exponitur doctrina.*

I. *Natura primatus.* Primatus generatim significat quamdam *præeminentiam.* Primatus est triplex: *honoris,* cui jura honorifica, e. g. primo loco sedendi aut incedendi etc., sunt annexa; *directionis* seu *inspectionis,* qui non in jure reipublicæ gubernandæ consistit, sed in munere efficiendi, ut quæ ad rempublicam regendam pertinent, rite fiant, e. g. si quis senatui, in quo est suprema potestas, ad ordinem servandum præsideat; *jurisdictionis,* qua quis alios tamquam subditos vere regit, quæque proinde complectitur potestatem legiferam, judiciariam et coactivam.

Jam vero juxta doctrinam catholicam primatus, quem Christus in sua Ecclesia instituit, est primatus non tantum honoris aut inspectionis sed *jurisdictionis.*

Porro hunc primatum jurisdictionis in universam Ecclesiam Christus contulit *immediate et directe beato Apostolo Petro,* nempe soli personæ singulari Petri. Dum dicitur subjectum primatus sola persona singularis Petri, non excluduntur ejus successores, qui *ab ipso* sunt et in ipso virtualiter continentur; sed excluduntur ceteri Apostoli qui cum ipso erant aliique fideles, ac si simul *cum ipso* et in ipso fuerit illis data potestas jurisdictionis. Licet autem subjectum, cui inhæret primatus, sit solus Petrus; subjectum tamen, *in cujus bonum et utilitatem* institutus est primatus, est universa Ecclesia.

593. II. *Petri primatus habitudo ad Christum.* Primatus beati Petri supremum Christi regimen in universam Ecclesiam non excludit, sed supponit. Christus est et manet Ecclesiæ caput *invisibile* ac *principale;* summus Pontifex est Ecclesiæ caput *visibile* ac *secundarium.* Christus enim est Ecclesiæ caput ex se propria nempe virtute et auctoritate; summus

(1) Cf. *Bellarminus,* de Sum. Pontif. l. 1. c. 10 sqq.; *Perrone,* de Rom. Pontif. c. 1; *Gatti,* Demonstr. cathol. l. 3. diss. 3. c. 2. art. 1; *Cercia,* de Rom. Pontif. sect. 1; *Franzelin,* de Eccl. th. 10; *Mazzella,* disp. 5. art. 1; *Palmieri,* de Rom. Pontif. p. 1. c. 1; *Jansen,* § 75 sqq.; *De Groot,* q. 13; *Hurter,* n. 341 sqq.; *Pesch,* n. 285 sqq.; *Tanquerey,* n. 68 sqq.

Pontifex est caput virtute derivata a Christo et in quantum Christi vicem gerit. Hinc Petrus Christi *vicarius*, non successor dicitur. Ille enim solus vere dicitur successor, qui ita succedit, ut antecessor potestatem deposuerit; Christus autem potestatem non deposuit, sed in cœlum ascendens reliquit vicarium sibi soli subjectum, qui *sub invisibili capite* Ecclesiam *visibiliter* gubernaret.

594. III. *Errores.* Multi sunt adversarii primatus. Alii simpliciter negant institutionem primatus, uti non pauci Photiani et Marsilius Patavinus, qui dicunt b. Petrum non fuisse Apostolorum principem ac caput. Novatores sæculi XVI omnes negant primatum jurisdictionis, licet aliqui ex iis non omnino negent aliquem *honoris* primatum b. Petro fuisse collatum. Alii, inter quos primas partes tenet Edmundus Richerius, non quidem absolute negant divinam institutionem primatus, sed dicunt eum *immediate* et *directe* universæ Ecclesiæ fuisse collatum, a qua translatus veluti fuerit in Petrum, qui tamquam Ecclesiæ ipsius instrumentum ac minister primatus munia exerceret, quique ideo caput tantum esset *ministeriale* universæ Ecclesiæ.

595. IV. *Doctrina catholica.* Doctrinam catholicam de primatu b. Petri proponit *Concilium Vaticanum* (Const. *Pastor Aeternus,* cap. 1): „Docemus itaque et declaramus, juxta Evangelii testimonia primatum jurisdictionis in universam Dei Ecclesiam immediate et directe beato Petro Apostolo promissum atque collatum a Christo Domino fuisse." Adductis porro præcipuis sacræ Scripturæ testimoniis, quibus illa doctrina aperte enuntiatur, et reprobatis erroribus illi oppositis, demum dogma catholicum expresse definit Concilium, concludens: „Si quis igitur dixerit, beatum Petrum Apostolum non esse a Christo Domino constitutum Apostolorum omnium principem et totius Ecclesiæ militantis visibile caput; vel eumdem honoris tantum, non autem veræ propriæque jurisdictionis primatum ab eodem Domino nostro Jesu Christo directe et immediate accepisse; anathema sit."

Hoc itaque *dogma fidei* summi momenti jam diligenter demonstremus oportet. Quod ut distinctius et efficacius præstemus, afferemus primo argumenta ex sacra Scriptura, et secundo argumenta ex traditione et ex analogia fidei seu ex rationibus theologicis.

Art. I. **Demonstratur primatus b. Petri ex S. Scriptura.**

596. **Thesis.** Ex S. Scriptura manifeste constat, primatum jurisdictionis in universam Ecclesiam immediate et directe b. Petro Apostolo a Christo Domino promissum atque collatum fuisse.

Argum. I. ex Matth. XVI, 13 sqq., ubi primatus beato Petro promittitur. Integer textus ita habet: „Venit autem Jesus in partes Cæsareæ Philippi, et interrogabat discipulos suos: quem dicunt homines esse filium hominis? At illi dixerunt: Alii Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex prophetis. Dicit illis Jesus: Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus Filius Dei vivi. Respondens autem Jesus dixit ei: beatus es Simon Bar Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est. *Et ego dico tibi: quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum; et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis.*"

Ex his verbis hoc modo *argumentamur:* Promissio Christi his verbis contenta immediate et directe dirigitur ad Petrum; atqui illis verbis Christus promittit primatum jurisdictionis in universam Ecclesiam; ergo primatus jurisdictionis in universam Ecclesiam immediate et directe Petro a Christo promissus est.

597. *Prob. maj. promissio Christi immediate et directe respicit Petrum.* 1. Postquam ad ultimam interrogationem Christi solus Petrus respondit, jam etiam Christus sermonem dirigit ad unum Petrum, cujus personam omnibus modis designat: per pronomen singulare *tu, tibi,* nomen proprium natale *Simon,* addito tum nomine patris *Bar Jona,* tum nomine ipsi recens a Christo imposito *Petrus.* Neque dicatur cum adversariis: Petrus professionem fidei edidit nomine omnium Apostolorum; ergo Christus etiam alloquens Petrum loquitur ad omnes Apostolos. Nam *a)* Petrum locutum esse nomine omnium gratis asseritur. Imo *b)* illud toto contextu manifeste excluditur. Etenim Christus primum et secundo interrogat omnes discipulos: primæ interrogationi respondent omnes, secundæ vero

respondet solus Petrus; ergo nemo erat institutus ab Apostolis, qui omnium nomine responderet. Præterea Christus laudans confessionem editam beatum prædicat Petrum, non vero beatos dicit ceteros Apostolos; imo Petrum pro se solo respondisse, manifestum est ex eo, quod responsum ex divina revelatione accepisse dicitur.

2. Per nomen *petræ* significatur Petrus, ideoque verba: „super *hanc petram* ædificabo Ecclesiam meam" immediate et directe ad Petrum referuntur. Etenim *a*) totus sermo Christi ab initio ad finem ad Petrum dirigitur: „Jesus dixit *ei* .... Beatus *es Simon* ... non revelavit *tibi* ... et ego dico *tibi,* quia *tu* es Petrus .... et *tibi* dabo claves .... quodcumque *ligaveris* .... quodcumque *solveris* ...." Si ergo verba „super *hanc petram,*" in medio sermonis posita, non Petrum sed aliam personam aut rem significarent, deberet id in ipso sermone aliquo modo indicari; secus sermo non posset intelligi et auditores in errorem necessario ducerentur. *b*) Idem subjectum designari nomine *petræ* ac nomine *Petri* prorsus manifestum est, si ratio habeatur illius linguæ, qua Christus usus est. Locutus nimirum est Christus Syro-chaldaice; porro unum est in hac lingua vocabulum *Kepha* quod Petro et petræ respondet, ita ut Christus dixerit: „tu es *Kepha* (saxum), et super *hoc Kepha* ædificabo Ecclesiam meam." Jam vero si in utroque inciso, *tu es Petrus* et *super hanc petram* idem occurrit nomen *Kepha,* præsertim si in secundo inciso idem nomen repetitur cum pronomine demonstrativo *hoc,* illud ad idem referri debet subjectum. Ergo verba *et super hanc petram* referuntur ad Petrum. *c*) Præterea verba Christi *super hanc petram* continent tum interpretationem novi nominis *Petri* antea Simoni impositi, tum remunerationem pro insigni fidei confessione: quod præsertim innuitur ipsa formula loquendi *et ego* i. e. vicissim dico tibi etc. ac si diceret Christus: quia tu manifestasti meam dignitatem et me confessus es Filium Dei, ego vicissim, mercedem tibi rependens, manifesto tuam dignitatem et *dico tibi: tu es* etc. Atqui unus Simon dictus fuit Petrus, unusque Petrus confessus est Christum Filium Dei. Ergo verba *super hanc petram* ad solum Simonem Petrum immediate et directe pertinent. Et sane *d*) si petra non est Petrus sed Christus, hic foret sensus verborum

Christi: Tu quidem Simon es petra; at non super te, sed super me petram ædificabo Ecclesiam meam. Profecto hæc non esset paraphrasis, sed depravatio verborum Christi. Ceterum si per petram intelligendus esset Christus, Salvator non dixisset *ædificabo* sed *ædifico;* jam enim supra se, qui erat a seipso petra, cœperat ædificare Ecclesiam suam.

598. *Prob. min. Christus promittit primatum jurisdictionis in universam Ecclesiam.*

1. *Ex verbis „super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam."* Primo vocem „Ecclesiam" hic significare *universam* Ecclesiam, manifestum est, tum quia illud nomen simpliciter et indefinite absque addito sumptum designat universum fidelium cœtum, tum quia propter additum pronomen, „meam" absolute designat Ecclesiam Christi, quæ est Ecclesia universa.

Itaque Petrus dicitur in hac universa Ecclesia in hac societate fidelium esse id, quod est fundamentum in ædificio; nam Christus utitur metaphora domus ædificandæ. Porro fundamentum *a)* est pars maxime necessaria in ædificio; *b)* est id quod tribuit ædificio firmitatem ac stabilitatem (Matth. VII, 25); *c)* est pars extra quam ædificium vel ejus pars esse nequit; *d)* est id quod totum continet in unitate. Cum autem ea sit habitudo Petri ad Ecclesiam, quæ est fundamenti ad ædificium ei superstructum, liquet Petrum *a)* esse partem maxime necessariam Ecclesiæ; *b)* esse reale principium firmitatis ac stabilitatis Ecclesiæ; *c)* esse principium unitatis universæ Ecclesiæ; *d)* esse ita Ecclesiæ necessarium, ut sine illo Ecclesia esse nequeat et ut omnis, qui ab illo separatur, eo ipso separetur ab Ecclesia. Atqui quod in aliqua societate hominum est maxime necessarium, quod est principium firmitatis et unitatis in societate, quod est id cui omnia membra societatis necessario adhærere debeant, est auctoritas a qua universa societas pendet et regitur seu est suprema auctoritas in societate. Ergo cum Christus promittat, se super unum Petrum tamquam fundamentum ædificaturum Ecclesiam suam, promittit se uni Petro collaturum supremam auctoritatem i. e. primatum veræ jurisdictionis in universam Ecclesiam. Id confirmatur ex verbis immediate sequentibus, *„et portæ inferi non prævalebunt adversus eam."* Per portas inferi intelliguntur omnes hostes Ecclesiæ, et verba „portæ inferi

non prævalebunt adversus eam" manifeste nectuntur cum præcedentibus „et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam;" quare sensus est: hostes numquam prævalebunt adversus Ecclesiam, quia fundatata est supra petram.

2. *Alterum argumentum* conficitur ex addita promissione: *„Et tibi dabo claves regni cœlorum,* et quodcumque etc." Sicut Christus in antecedentibus uni Petro promittit primatum jurisdictionis sub metaphora petræ; ita eamdem potestatem ei promittit hic sub metaphora clavium. Et sane *a) Regnum cœlorum* hic est Ecclesia Christi militans in terris. Licet enim regnum cœlorum possit significare Ecclesiam Christi tum militantem in terris tum triumphantem in cœlis; patet tamen hic significari Ecclesiam Christi in terra existentem, cum agatur de illo regno, in quo potestas ligandi et solvendi sit exercenda. Promittit igitur Christus Petro claves Ecclesiæ suæ in terra existentis. *b) Traditio clavium* ex usu tum profano tum sacro significat collationem potestatis in id cujus claves traduntur. Dum igitur Christus promittit, se daturum Petro claves Ecclesiæ, ipsi potestatem in Ecclesiam promittit. *c*) Hæc potestas est suprema jurisdictio, primatus jurisdictionis in universam Ecclesiam. Promittuntur enim Petro simpliciter claves *universæ* Ecclesiæ Christi in terris: promittitur itaque ipsi potestas in universam Ecclesiam, quæ non potest esse nisi suprema; ideoque vi harum clavium poterit Petrus in terra solvere et ligare *quæcumque* pertinentia ad finem regni cœlorum: habebit igitur jurisdictionem universalem et independentem adeoque supremam.

599. *Argum. II. ex Luca XXII, 31 sq.* Christus alloquens Petrum dicit: „Simon, ecce satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum. *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conversus confirma fratres tuos."* His verbis promittitur Petro primatus jurisdictionis, quatenus ipsi promittitur infallibile magisterium cum munere confirmandi fratres. Etenim 1) verba Christi ad solum Petrum referri vel ex obvia verborum inspectione prorsus indubium est. 2) Iis autem verbis promittitur Petro *fides indefectibilis* seu *infallibilitas.* Dicit enim Christus, se orasse (utique oratione efficaci) ut fides Petri nullum defectum patiatur, ut scilicet ejus fides firma ac invicta persistat. 3) Hæc autem infallibilitas est

infallibilitas *magisterii,* nam ordinatur ad *officium,* quod Petro specialiter demandatur, *confirmandi fratres.* Committitur igitur Petro munus confirmandi fratres, et eo ipso imponitur ceteris omnibus obligatio sequendi Petrum confirmantem. 4) Magisterium, quod Petro committitur, se extendit ad universam Ecclesiam; nomine enim *fratrum Petri* intelliguntur omnes pastores et fideles, qui omnes vero sensu sunt fratres Petri. Neque a numero fratrum excipiuntur Apostoli: nam *a)* fratres Petri potissimum ii sunt, qui ei fuerunt omnium proximi, consortes nempe ejusdem dignitatis apostolicæ. Præterea *b)* Petrus eos debebat confirmare, quos satanas cribrandos expetivit; atqui hi in primis erant Apostoli, quos designabat Christus dicens: „ecce satanas expetivit *vos.*" Cum itaque Christus commiserit Petro infallibile magisterium in universam Ecclesiam, cumque hoc pertineat ad primatum jurisdictionis, liquet Christum illis verbis promisisse primatum jurisdictionis in universam Ecclesiam. Vis hujus argumenti illustrari potest opportuna collatione cum Matth. XVI, 18. Quare *S. Thomas* (cat. aurea) ex Theophylacto in hunc locum (Luc. XXII) scribit: „corrobora ceteros; cum te principem Apostolorum deputaverim: hoc enim decet te, qui mecum robur es et petra Ecclesiæ."

Ne autem ad infringendum argumentum dicatur, orationem Christi pro indeficientia fidei Petri et mandatum ei datum confirmandi fratres referri tantum ad tempus mox futurum lapsus seu negationis Petri; animadvertendum est, verba Christi indefinite patere, et quia nulla est ratio ea restringendi etiam ita esse accipienda: ideoque significare perpetuam firmitatem in fide atque perpetuum munus confirmandi fratres. Si vero quæratur, quomodo exegetice interpretanda sint illa Christi verba: „et tu aliquando conversus confirma fratres tuos," præferenda videtur hæc explicatio: et tu *vicissim* (vel tu te convertens sollicitudine ad fratres) *pro opportuno tempore* seu occasione data (aliquando) confirma fratres tuos. Cf. *Palmieri*, de Rom. Pont. p. I c. I th. 2.

600. *Arg. III. ex Joan XXI, 15 sqq.,* ubi narratur, Christum uni Petro primatum jurisdictionis in universam Ecclesiam, ei antea promissum, revera etiam *contulisse.* Christus post resurrectionem discipulis se manifestans ad mare Tiberiadis *„dicit*

Simoni Petro: Simon Joannis diligis me plus his? Dicit ei: Etiam, Domine, tu scis, quia amo te. Dicit ei: pasce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Joannis diligis me? Ait illi: Etiam, Domine, tu scis, quia amo te. Dicit ei: pasce agnos meos. Dicit ei tertio: Simon Joannis, amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio, amas me? et dixit ei: Domine, tu omnia nosti: tu scis, quia amo te. Dixit ei: pasce oves meas."

Ut ex hisce verbis efficax conficiatur argumentum, tria sunt probanda 1) Christi verba ad unum Petrum spectare; 2) iis verbis conferri Petro primatum jurisdictionis; et quidem 3) in universam Ecclesiam.

1) *Verba Christi spectant ad unum Petrum.* Etenim *a*) Petrus nomine proprio, addito etiam nomine patris, distincte et seorsim ter a Domino compellatur: *Simon Joannis.* Præterea *b)* a ceteris secernitur cum interrogatur: *diligis me plus his,* i. e. plus quam hi discipuli me diligunt; non plus quam discipulos, aut plus quam navigium, pisces diligis.

2) *Iis verbis confertur Petro primatus jurisdictionis. a)* Ex ipsa vi vocis *pasce,* græce ποίμαινε. Etenim verbum pascere ποιμαίνειν, cum ejus objectum sunt homines, ex usu tum sacro tum profano significat *regere cum auctoritate.* Ita 2 Reg. V, 2: „Dixit Dominus ad te (David): *tu pasces* (ποιμανεῖς) *populum meum Israel,* et tu eris dux super Israel;" et ps. II, 9: „*Reges* (ποιμανεῖς) *eos* in virga ferrea;" similiter Matth. II, 6: „Ex te enim exiet *dux, qui regat* (ποιμανεῖ) populum meum Israel." Notum est, Homerum non raro reges appellare ποιμένας λαῶν; unde apud Hesychium ποιμήν explicatur βασιλεύς. Dum igitur Christus commisit Petro munus pascendi homines, illi commisit officium *regendi cum auctoritate, cum potestate jurisdictionis,* seu illi contulit primatum jurisdictionis.

b) Id confirmatur ex collatione hujus loci cum Matth. XVI. Apud Matthæum Christus Petro promisit primatum jurisdictionis, et quidem absolute, tum quia nulla promissioni apponitur conditio, tum quia promittitur res instituenda in bonum commune et necessarium Ecclesiæ; igitur debuit Christus aliquando implere illam promissionem et Petro primatum conferre. Atqui nullus est locus in S. Scriptura, præter illum Joannis, ubi melius intelligatur impleta ista promissio. Ergo illis verbis:

„pasce agnos meos, pasce oves meas" Christus Petro contulit primatum jurisdictionis.

Falluntur igitur illi, qui ita interpretantur verba Christi, ut dicant, Christum *solummodo exhortatum* esse Petrum, ut ostenderet dilectionem suam pascendo agnos et oves. Cum enim *pascere* sit *regere cum imperio,* non potuit Christus hortari Petrum ad pascendas oves suas, quin ipsi conferret illud imperium, seu potestatem.

3) Christus contulit Petro potestatem *in universam Ecclesiam.* Etenim Christus non dixit tantum „pasce agnos . . . . pasce oves," sed „pasce agnos *meos* . . . . pasce oves *meas.*" Eos igitur Christus commisit Petro pascendos seu regendos, qui sunt agni vel oves Christi; atqui quotquot sunt fideles seu quotquot sunt in Ecclesia profecto sunt agni vel oves Christi: agni proinde et oves Christi tantum patent quantum universa Ecclesia; ergo Christus contulit Petro primatum in universam Ecclesiam.

Significatur quidem quoddam discrimen diversa appellatione *agnorum* et *ovium.* Oves enim sunt matres agnorum et ideo agni denotant simplices fideles et oves significant pastores. Hinc præclare scribit *Bruno Astensis* (Comm. in h. l. Joan.): „Prius *agnos,* deinde *oves* commisit ei; quia non solum pastorem, sed *pastorem pastorum* eum constituit. Pascit igitur Petrus agnos, pascit oves, pascit filios, pascit et patres, regit et subditos et prælatos. Omnium igitur pastor est, quia *præter agnos et oves in Ecclesia nihil est.*"

601. *Arg. IV. Confirmatur primatus Petri ex factis.* Cum testimoniis allatis cohærent quædam facta et modi loquendi de Petro, quæ etiamsi per se sola non evidenter demonstrent primatum Petri, talia tamen sunt, quæ præsertim simul sumpta, posito jurisdictionis primatu, optime explicentur, eo autem negato congrue intelligi nequeant. Quare dicimus, hisce factis præcedentem demonstrationem confirmari. Hæc autem facta sunt 1) nominis mutatio; 2) præcipuus honor a Christo Petro præstitus; 3) primus locus inter Apostolos Petro tributus; 4) quædam facta Petri post Christi ascensionem.

1. *Nominis mutatio. a)* Christus soli Simoni, nulli vero alii ex Apostolis, nomen novum imposuit. Novi autem nominis impositio, a Deo facta, peculiarem aliquam electionem et vocationem significare solet: ita e. g. Abram a Deo appellatus

est Abraham, quia pater multarum gentium constituebatur (Gen. XVII, 5). (1) Imo *b*) Christus ipse nominis Petri impositionem ut rem gravissimam tractat; prius enim Simoni nomen Petri prædicit: „intuitus autem eum Jesus, dixit: tu es Simon, filius Jona, *tu vocaberis Cephas*" (Joan. I, 42); deinde ei nomen imponit: „et *imposuit Simoni nomen Petrus*" (Marc. III, 16); demum rem nomine significatam explicat: „*tu es Petrus et super hanc petram* etc." (Matth. XVI, 18).

2. *Præcipuus honor. a*) Christus Simonem Petri nomine insignitum præ ceteris Apostolis præcipuo honore prosecutus est. Christus in solvendo tributo Petrum sibi conjunxit (Matth. XVII, 26), ex quo alii Apostoli collegerunt, Petrum sibi præficiendum esse (Matth. XVIII, 1); e nave Petri docuit turbas (Luc. V); Petro promittitur, ipsum fore piscatorem hominum (ibid.); Christus ejus primum lavit pedes (Joan. XIII, 6); voluit ut ei in primis nuntiaretur sua a mortuis resurrectio (Marc. XVI, 1); speciali modo prædicit Petri martyrium (Joan. XXI, 18). *b*) Quoties Christus eximium aliquid operatur, toties adest Petrus, ut in transfiguratione, in resuscitatione filiæ Jairi, in horto olivarum etc.; et quidem ipse inter præsentes Apostolos primus nominatur, præ ceteris a Christo compellatur, pro aliis loquitur sicque præcipuam inter Apostolos personam gerit.

3. *Primus locus. a)* Quater recensetur catalogus Apostolorum (Matth. X; Marc. III; Luc. VI; Act. I, 13), et constanter Petrus *primo* loco nominatur, cum tamen reliquorum Apostolorum ordo non sit constans. Imo apud Matthæum diserte *primus* dicitur, quæ vox ibidem non habet significationem numeralem, quia non sequitur *secundus, tertius* etc., sed denotat dignitatem, præcellentiam et idem valet ac *primarius, princeps Apostolorum. b)* Evangelistæ dum Petrum et Apostolos in medium adducunt, solent Petrum *nominatim* appellare et reliquos Apostolos non nisi *generatim* veluti appendicis instar memorare: e. g. „*Simon et qui cum illo erant*" (Marc. I, 36; Luc. VIII, 45; IX, 32); „*Dicite discipulis et Petro*" (Marc. XVI, 7); „stans *Petrus* cum undecim" (Act. II, 14); „Dixerunt ad *Petrum et ad reliquos Apostolos*" (Act. II, 37). Jamvero

(1) Cf. Gen. XXII, 28; Num. XIII, 17; Matth. I, 21; Luc. I, 31.

hic modus loquendi *constans* Evangelistarum de Petro profecto non potest adscribi casui sed repetendus est ex ratione omnibus nota, quæ non potest esse alia, quam peculiaris Petri dignitas atque præ ceteris Apostolis præstantia.

4. *Quædam facta ipsius Petri* post Christi ascensionem. Sufficit præcipua quædam indicare: Petrus collegio apostolorum proponit substitutionem alterius in locum Judæ proditoris (Act. I); stans cum undecim primus evangelizat Judæos, ceterisque tacentibus solus loquitur atque collegii Apostolici famam tuetur (Act. II); primus evangelium miraculo confirmat (Act. III); primus januam Ecclesiæ gentibus aperit (Act. X); primus in concilio Hierosolymitano sententiam profert seu definit (Act. XV); cum Petrus et Joannes interrogantur in concilio Judæorum, solus Petrus loquitur omnesque Apostolos defendit (Act. IV).

602. **Scholion.** *Solvuntur difficultates.* Plures objectiones præoccupatæ sunt in ipsa expositione argumentorum. Restat modo, ut aliis, saltem præcipuis, difficultatibus, quibus adversarii vim argumentorum infringere student, breviter satisfacianus.

Obj. I. 1 Cor. III, 11 scribit Apostolus: „Fundamentum aliud nemo ponere potest, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus." Unde: unicum fundamentum Ecclesiæ est Christus; ergo nomine petræ (Matth. XVI) designatur non Petrus sed Christus.

Resp. 1. Dato Apostolum in illo loco Christum dicere fundamentum societatis quæ est Ecclesia, *dist. antec.:* Christus est unicum fundamentum *primarium* et *ex sese, conc.;* est unicum fundamentum ita ut excludat alterum fundamentum *secundarium* et *participatum, nego.* Sane Christus secundum omnes Catholicos est primum et princeps fundamentum ex sese, virtute sua fundamentum Ecclesiæ; Petrus vero non nisi participatione et communicatione Christi est sub Christo fundamentum secundarium. Licet utique præter Christum non possit esse aliud fundamentum princeps; hoc tamen fundamentum princeps non excludit secundarium: sicut ex eo quod Christus sit lux, minime sequatur Apostolos non esse per ipsum lucem mundi.

Resp. 2. Negamus suppositum. Apostolus enim hic Christum dicit fundamentum, quatenus doctrina de Christi divinitate

est caput totius institutionis christianæ Nam ipse Paulus dicit, se ut sapientem architectum hoc fundamentum posuisse, quod sane non nisi docendo efficere potuit. Porro aliud est fundamentum institutionis seu doctrinæ, aliud est fundamentum societatis; illud enim est veritas quædam principalis, hoc est auctoritas quædam princeps. Quare cum ab Apostolo doctrina de divinitate Christi dicatur veritas fundamentalis religionis christianæ minime negatur, Petrum esse fundamentum societatis, quæ est Ecclesia, ratione auctoritatis a Christo acceptæ.

603. *Obj. II.* Eph. II, 20 legitur: „superædificati super *fundamentum Apostolorum et Prophetarum.*" Hinc: omnes Apostoli dicuntur fundamentum Ecclesiæ; ergo nihil speciale collatum est Petro.

Resp. 1. Dato Apostolos dici fundamentum fidelium, *dist. antec.:* Apostoli dicuntur fundamentum *eodem modo* ac Petrus, *nego; diverso modo, conc.* Sane verba Christi apud Matth. ad unum diriguntur Petrum, verba Pauli de omnibus simul Apostolis dicuntur: apud Matth. super Petrum ædificanda dicitur universa Ecclesia, quæ etiam Apostolos comprehendit, apud Paulum dicuntur fideles superædificati super fundamentum Apostolorum; ergo prærogativa uni Petro collata tum intensione tum extensione differt a prærogativa collata omnibus Apostolis simul.

Resp. 2. Dist. antec.: fundamentum dicuntur directe ipsi Apostoli, *nego;* fundamentum dicitur directe doctrina ab Apostolis prædicata, atque ideo nempe propter doctrinam prædicatam indirecte et in obliquo ipsi Apostoli etiam vocantur fundamentum, *conc.* Hunc esse sensum textus Paulini ex ipsis verbis liquet. Etenim non dicuntur Apostoli fundamentum, sed dicitur *fundamentum Apostolorum,* quod potest intelligi fundamentum jactum ab Apostolis, e. g. doctrina: præterea cum Apostolis junguntur Prophetæ, qui non nisi ratione doctrinæ possunt dici fundamentum Ecclesiæ. Nihil igitur ex hoc textu inferri potest contra primatum Petri, qui immediate et directe dicitur fundamentum universæ Ecclesiæ.

604. *Obj. III.* Variæ sunt apud Patres interpretationes vocis *petræ* (Matth. XVI); cum alii per illam petram intelligant *Christum,* alii *fidem* vel *confessionem* Petri, alii *Petrum;* ergo certa non est interpretatio, petram esse ipsum Petrum.

Resp. Dist. antec.: Variæ sunt apud Patres interpretationes invicem oppositæ et se invicem excludentes, *nego;* variæ sunt interpretationes invicem coordinatæ et cohærentes atque se invicem complentes, quibus omnibus simul sumptis plenus et adæquatus exhibetur sensus verborum Christi, *conc.* Sane Petrus non ex se ac propria virtute est petra Ecclesiæ; sed virtute Christi, qui est petra princeps cui Petrus innititur et a qua solidatur, quique proinde est causa efficiens per quam Petrus fit petra Ecclesiæ. Præterea Petrus est fundamentum Ecclesiæ non quatenus est homo in ordine naturali constitutus, sed quatenus constitutus in ordine supernaturali auctus est suprema auctoritate, quæ continet etiam et quidem primario supremam potestatem docendi; quare hæc auctoritas et imprimis auctoritas docendi ideoque et fides seu confessio Petri docentis est causa formalis, qua Petrus in se constituitur petra Ecclesiæ. Dum igitur Petrus dicitur petra Ecclesiæ, simul adsignificatur tum Christus tamquam petra princeps et causa efficiens petræ secundariæ, tum fides seu confessio Petri tamquam causa formalis (partialis). Hi vero duo sensus supponunt primum, ex primo consequuntur illumque ulterius explicant et complent. Quando itaque plures Patres nomine petræ apud Matthæum intelligunt vel Christum vel fidem Petri, non adversantur interpretationi catholicæ, cum hanc non excludant, sed hac potius supposita utpote ab omnibus admissa, pro scopo suo peculiari ulteriorem verborum Christi sensum prosequuntur. Illos revera Patres non excludere interpretationem catholicam, magis etiam liquet ex eo, quod tum omnes cum universa Ecclesia profitentur Petrum esse petram Ecclesiæ, tum plures ex illis simul etiam interpretationem catholicam explicite tradunt.

Prætermittimus opinionem illorum Protestantium, qui evidentia coacti concedentes verba Christi apud Matthæum ad Petrum referri, dicunt Petrum vocari petram Ecclesiæ, quia omnium primus Judæis ac Gentibus evangelium prædicare eosque ad Ecclesiam adunare debebat. Hæc enim interpretatio manifeste falsa est, tum quia numquam in mentem venit Patribus; tum quia pugnat cum notione fundamenti, quod est necessario aliquid stabile et perseverans, manet enim fundamentum ut ædificium maneat: prima autem prædicatio Petri fuit actus transiens.

605. *Obj. IV.* Quæ Christus Matth. XVI, 19 Petro promittit, mox Matth. XVIII, 18 omnibus pollicetur Apostolis dicens: „Amen dico vobis quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo etc." Ergo nihil speciale Petro præ ceteris Apostolis promissum est.

Resp. Nego antec.: Etenim 1. verba Christi Matth. XVIII, 18 non sunt parallela verbis Matth. XVI, 19, seu non eamdem dignitatem et potestatem ceteris Apostolis attribuunt, quæ Petro promissa est. Nam *a)* non eadem verba dicta sunt ceteris Apostolis, quæ dicta sunt Petro, cui soli præter potestatem ligandi et solvendi promittitur dignitas petræ Ecclesiæ et promittuntur claves regni: quæ differentia manifeste indicat, Petro aliquid speciale præ ceteris Apostolis promitti. *b)* Cum verba Matth. XVIII, 18 dirigantur ad omnes Apostolos simul, verba vero Matth. XVI, 19 dicta sint uni Petro, liquet potestatem Petri utpote comprehendentem ipsos Apostolos, et *extensive* et *intensive* præstare potestati reliquorum Apostolorum. Imo 2. verba Christi Matth. XVI, 19, etiam per se inspecta excludunt manifeste consortium alterius in dignitate et potestate Petri. Etenim *a)* solus Petrus est fundamentum totius Ecclesiæ, ipse solus habet claves totius regni cœlorum: quare etiam potestas ligandi et solvendi, quæ Petro qua tali tribuitur, ipsi soli competit. *b)* Verba Christi Matth. XVI, 19 habent rationem præmii, quam amitterent, si nihil speciale iis Petro promitteretur.

606. *Obj. V.* Apostolus Paulus reprehendit Petrum, dicit enim (Gal. II, 11) se Petro in faciem restitisse; ergo Petrus non fuit Paulo superior nec proinde primas Ecclesiæ.

Resp. Dist. antec. Paulus reprehendit Petrum *ex auctoritate, nego; ex caritate, conc.;* ergo *nego conseq.* Sane Paulum corripuisse Petrum ex auctoritate nemo prudens dixerit, cum nemo attribuat Paulo auctoritatem in reliquos Apostolos. Fuit ergo correptio fraterna; hæc autem servatis servandis potest etiam ab inferiore superiori adhiberi. Imo illud factum, ceteraque quæ narrat ibidem Paulus, nedum destruant primatum Petri, illum potius confirmant. Nam *a)* nulla ratio sufficiens reddi potest præter potiorem auctoritatem Petri, cur, licet Paulus diserte doceret gentibus non esse judaizandum, solum tamen exemplum Petri, quod contrarium innuere vide-

batur, sufficeret ad omnium animos perturbandos (Gal. II, 13 sq.). *b*) Scribit idem Apostolus (Gal. I, 18 sq.): „Post tres annos veni Jerosolymam *videre Petrum* et mansi apud eum diebus quindecim. Alium autem Apostolorum vidi neminem nisi Jacobum, fratrem Domini." Cur ascendit Paulus ad invisendum Petrum, nihil curans de videndis aliis Apostolis? Nonne quia Petrus primatu ceteros Apostolos præcellebat, uti dicunt Patres?

Art. II. **Probatur primatus b. Petri ex traditione et rationibus theologicis.**

607. I. *Ex Traditione.* Universalis est, perpetua et constans antiquitatis christianæ sententia, Petrum auctum fuisse jurisdictionis primatu in universam Ecclesiam. Hoc liquet 1. *ex titulis* a veteribus Petro passim tributis, primatum significantibus. Appellatur Petrus *Ecclesiæ petra* et *fundamentum: Tertullianus* (de Præscr. c. 22); *Origenes* (in Exod. hom. 5 n. 4); *Hilarius Pictav.* (de Trinit. l. 6 n. 20); *S. Cyprianus* (de Unit. Eccl. n. 4; ep. 71, 73); *S. Gregorius Nyss.; S. Basilius; S. Chrysostomus.* Vocatur *claviger* et *janitor cœli: S. Hilarius* (Tract. in ps. 131 n. 4); *S. Cyrillus Hieros.* (Catech. 17 n. 27); *S. Ephrem* (in or. in SS. Apost.). Appellatur *princeps* et *caput Apostolorum: Origenes* (in Luc. hom. 17); *S. Hilarius* (in Matth. VII, 6); *S. Cyrillus Hieros.* (Catech. myst. 2 n. 19); *S. Gregorius Nazianzenus, Conc. Ephes.* etc. Plures istorum titulorum complectitur *Chrysostomus,* hom. in illud: *Hoc scitote,* scribens: „Petrus itaque *chori illius coryphæus, os Apostolorum omnium, caput illius familiæ, orbis totius præfectus, fundamentum Ecclesiæ.*"

2. *Ex disertis veterum testimoniis. Origenes* (in Exod. hom. 5 n. 4) dixit, Petrum esse „Ecclesiæ fundamentum et petram solidissimam, super quam Christus fundavit Ecclesiam." *S. Cyprianus* (de Unit. Eccl. n. 4): „Super illum unum ædificat Ecclesiam suam et illi pascendas mandat oves suas." *S. Hieronymus* (adv. Jovin. l. 1, 26): „Inter duodecim unus eligitur, ut, capite constituto, schismatis tolleretur occasio." *S. Chrysostomus* (in Joan. hom. 88): „Dicit ei (Jesus): pasce oves meas . . . . fratrum ei præfecturam committit." *S. Leo M.*

(Serm. 3 de assumpt. sua): „De toto mundo unus eligitur Petrus, qui et universarum gentium vocationi, et omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ patribus præponatur; ut quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint multique pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus."

3. *Ex antiquis monumentis.* In picturis, sculpturis, inscriptionibus antiquissimis exhibetur Petrus cum *attributis* e. g. *clavium*, *virgæ* et sub *typis* e. g. *Moysis*, quæ illius supremam potestatem adumbrant et velut ob oculos ponunt.

Accedit 4. *splendidum testimonium Schismaticorum.* Eximia plane habentur in ipsorum liturgiis testimonia pro primatu Petri. Suffragium ecclesiæ *græcæ* videri potest apud *Nilles* (Calendarium manuale), *russiacæ* apud *Rudis* (Petra Romana); Nestorianorum et Jacobitarum apud *Joseph David* (Antiqua ecclesiæ syro-chaldaicæ traditio circa Petri Apostoli, ejusque successorum Rom. Pont., divinum primatum); Armenorum apud *Azarian* (Ecclesiæ armenæ traditio de Rom. Pont. primatu).

608. II. *Ex rationibus theologicis.* Licet ratio humana nequeat a priori ostendere institutionem primatus, cum hæc a libera Dei voluntate pendeat, potest tamen, cognita semel institutione et indole Ecclesiæ, et spectata hominum conditione ac natura societatis generatim, detegere rationes, propter quas institutio primatus congrua imo moraliter necessaria fuisse videatur. Quatuor hujusmodi rationes assignat *S. Thomas* C. G. l. 4. c. 76. *Prima* est *unitas Ecclesiæ.* „Manifestum est autem quod, quamvis populi distinguantur per diversas diœceses et civitates, tamen sicut est una Ecclesia, ita oportet esse unum populum christianum. Sicut igitur in spirituali populo unius ecclesiæ requiritur unus episcopus, qui sit totius populi caput, ita in toto populo christiano requiritur quod unus sit totius Ecclesiæ caput." Sicut nempe particularis ecclesia una est in uno et per unum episcopum, ita Ecclesia universalis, quæ ex omnibus ecclesiis particularibus coalescit, una est per unum caput cui universalis Ecclesia et omnes ejus partes subjiciantur. Hinc Patres magno consensu docent, unitatem Ecclesiæ efficiendam et conservandam esse rationem instituti primatus.

Secunda ratio est *unitas fidei.* „Ad unitatem Ecclesiæ requiritur quod omnes fideles in fide conveniant. Circa vero ea quæ fidei sunt, contingit quæstiones moveri; per diversitatem

autem sententiarum divideretur Ecclesia, nisi in unitate per unius sententiam conservaretur. Exigitur ergo, ad unitatem Ecclesiæ conservandam, quod sit unus qui toti Ecclesiæ præsit. Manifestum est autem quod Christus Ecclesiæ in necessariis non deficit .... non est igitur dubitandum, quin ex ordinatione Christi unus toti Ecclesiæ præsit."

Tertia est *perfectio regiminis monarchici.* „Nulli dubium esse debet quin Ecclesiæ regimen sit optime ordinatum, utpote per eum dispositum per quem reges regnant.... Optimum autem regimen multitudinis est ut regatur per unum: quod patet ex fine regiminis, qui est pax: pax enim et unitas subditorum est finis regentis. Unitatis autem congruentior causa est unus quam multi. Manifestum est igitur regimen Ecclesiæ sic esse dispositum ut unus toti Ecclesiæ præsit."

Quarta ratio est *similitudo cum Ecclesia triumphante.* „Ecclesia militans ex triumphante Ecclesia per similitudinem derivatur: unde et Joannes in Apocalypsi vidit Jerusalem descendentem de coelo... In triumphante autem Ecclesia unus præsidet, scilicet Deus. Ergo et in Ecclesia militante unus est qui præsidet universis."

Liquet illas rationes non solum probare institutionem primatus in Petro, sed etiam ejus *perpetuam durationem* in Petri successoribus; probant enim convenientiam et necessitatem primatus *pro Ecclesia:* Christus autem, concludit ibidem S. Doctor, „Ecclesiam sic instituit, ut esset usque ad finem sæculi duratura. Manifestum est igitur quod ita illos qui tunc erant, in ministerio constituit ut eorum potestas derivaretur ad posteros pro utilitate Ecclesiæ usque ad finem sæculi."

609. **Scholion.** *De habitu S. Petri ad ceteros Apostolos.* Ex demonstratis sequitur, supremam Petri potestatem se extendisse quoque in ipsos Apostolos sive singulos sive omnes simul sumptos. Cum enim Apostoli ad Ecclesiam Christi pertineant, subjecti sunt illi, cui subjicitur *tota* Ecclesia, qui fundamentum, confirmator ac pastor est totius Ecclesiæ.

Sed quomodo Petri primatus in ipsos Apostolos conciliatur cum præclaris prærogativis, quibus aucti erant Apostoli? Apostoli enim potiebantur jurisdictione universali quoad omnes fideles et infallibilitate in docendo. Ut hæc contra Petri primatum supra ipsos Apostolos difficultas solvatur, notamus:

1. Potestatem universalem et infallibilitatem ceterorum Apostolorum fuisse *extraordinariam,* quæ non transierit in eorum successores sed cum illorum morte desinere debuerit; Petri econtra potestatem primatialem fuisse *ordinariam,* transmittendam in ejus successores.

2. Petri potestas erat perfectior illa jurisdictione extraordinaria ceterorum Apostolorum, erat extensione et intensione major, cui ipsi Apostoli obnoxii erant. Petrus enim non solum sicut ceteri Apostoli erat insignitus prærogativa apostolatus, sed erat insuper petra Ecclesiæ, habebat claves regni Christi in terris, erat confirmator et pastor totius ovilis. Quare Petri potestas plena et suprema erat se extendens in ipsos etiam Apostolos, et Apostoli huic Petri potestati obnoxii et subordinati erant. Quoad *actum secundum* vero seu quoad exercitium hujus potestatis Petri in ipsos Apostolos, fatendum quidem est, pro eximiis quibus Apostoli insigniti erant prærogativis atque extraordinario Ecclesiæ stadio, primatus exercitio in ipsos Apostolos vix ullum locum dari potuisse. Sed quum morte Apostolorum charismata extraordinaria cessarent, tota primatus vis pro variis rerum ac personarum adjunctis se multifariam explicavit, adeo ut in Petri successoribus manifestum fieret, quanta Petro in universam Ecclesiam et in pastores omnes potestas tributa fuisset. (1)

610. **Corollarium.** Ex dictis colligitur, merito ab *Innocentio X* ut *hæreticam* damnatam esse doctrinam illorum, qui S. Paulo apostolo æqualem cum Petro attribuunt potestatem, quique dicunt Petrum et Paulum duos esse Ecclesiæ principes. Quando Romani Pontifices se auctoritate Petri et Pauli uti et agere profitentur, nequaquam significant utrumque æqualiter Ecclesiæ præfuisse, sed tantum se eadem gaudere potestate, qua potiebantur Petrus et Paulus, quæ in Paulo *extraordinaria,* in Petro *ordinaria* et *primatialis* fuit; vel patrocinium illorum invocant, cum ambo sint Ecclesiæ Romanæ principes patroni. Romani Pontifices numquam se profitentur Pauli successores, sed semper Petri successores ejusque cathedræ heredes.

(1) Cf. *Mazzella,* disp. 5. art. 1. § 6; *Palmieri,* th. 6.

CAPUT II.

DE PRIMATUS PERPETUA DURATIONE IN B. PETRI SUCCESSORIBUS, ROMANIS PONTIFICIBUS.

ART. I. **De perpetuitate primatus.** (1)

611. **Thesis.** Primatus, quem Christus in b. Petro in perenne Ecclesiæ bonum instituit, ex eadem Christi institutione in Petri successoribus perpetuo durare debet.

Thesis est *de fide.* Hanc enim doctrinam tradit *Conc. Vatic.* (Const. *Pastor Aeternus,* cap. 2): „Quod autem in beato Apostolo Petro princeps pastorum et pastor magnus ovium Dominus Christus Jesus in perpetuam salutem ac perenne bonum Ecclesiæ instituit, id eodem auctore in Ecclesia, quæ fundata super petram ad finem sæculorum usque firma stabit, jugiter durare necesse est." Et in canone subjecto eam solemniter definit: „Si quis ergo dixerit, non esse ex ipsius Christi institutione seu jure divino, ut beatus Petrus in primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores, aut Romanum Pontificem non esse b. Petri in eodem primatu successorem; a. s."

612. *Prob. I.* Christus constituit Petrum fundamentum Ecclesiæ, quod sua virtute Ecclesiam in unitate et firmitate contineat, quod ipsam contra impetus portarum inferi tutam ac invictam reddat, quodque propterea potestatis plenitudine clavium symbolo expressa sit instructum: constituit Petrum confirmatorem fratrum in fide contra tentationes Satanæ. Atqui ejusmodi munus Petri, utpote a Christo institutum et ordinatum ad Ecclesiæ bonum essentiale, tamdiu durare debet, quamdiu Ecclesia, scilicet usque ad consummationem sæculi. Manet ergo ex Christi institutione Petri primatus usque ad finem mundi.

---

(1) Cf. *Bellarminus,* de Sum. Pontif. l. 2. c. 12; *Perrone,* c. 2; *Cercia,* l. c. lect. 11; *Franzelin,* th. 11; *Mazzella,* disp. 5. art. 2; *Palmieri,* l. c. th. 7; *Jansen,* § 82; *De Groot,* l. c. art. 4; *Hurter,* n. 368; *Pesch,* n. 317 sqq.; *Tanquerey,* n. 80 sqq.

613. II. Christus contulit Petro munus supremi pastoris super integrum suum ovile; hoc autem munus ordinarium est et perpetuum: cum tamdiu durare debeat quamdiu manet ovile, ad quod bene conservandum unus supremus pastor est necessarius. Atqui ovile Christi, quod est Ecclesia, manet usque ad finem mundi; ergo et primatus Petri. Et re quidem vera cum Christus Petro pascendas tradiderit omnes oves suas, ipsi commisit fideles omnis temporis, quibus usque ad consummationem sæculi exstituris prospicere quosque in uno ovili per unum supremum pastorem continere voluit Christus. Ergo munus supremi pastoris seu munus primatus non cum Petro extingui, sed in ejus successoribus usque ad consummationem sæculi perdurare debet.

614. III. Petri primatus a Christo institutus est *ad efficiendam et conservandam perfectam Ecclesiæ unitatem.* Atqui perfecta unitas Ecclesiæ est essentialis et numquam ab ea abesse potest. Ergo principium hujus unitatis, quod est primatus, semper in Ecclesia manere debet. Imo si Christus ad servandam Ecclesiæ unitatem jam Apostolorum tempore primatum in Ecclesia esse voluit, quando is propter singulorum Apostolorum universalem potestatem et infallibilitatem erat minus necessarius, quanto magis voluit subsequentibus sæculis eum esse in Ecclesia, ad ejusdem unitatem efficiendam et conservandam.

615. IV. Idem docent *Patres,* cum affirmant, *claves Ecclesiæ* datas esse, in Ecclesia permanere; primatum in Petro esse institutum ad unitatem conservandam; Petrum *in suis successoribus vivere, præesse, docere, regere* etc. Ita e. g. S. *Petrus Chrysologus* (Ep. 25 ad Eutych.): „Beatus Petrus qui in propria sede vivit et præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem." Et *S. Leo M.* (Serm. III, n. 3): „Manet ergo dispositio veritatis et beatus Petrus in accepta fortitudine petræ perseverans, suscepta Ecclesiæ gubernacula non reliquit."

616. **Scholion.** *Quo sensu primatus sit prærogativa personalis Petri.* Primatus fuit quidem prærogativa Petri personalis, quatenus Petro propria non communis aliis Apostolis ceterisque fidelibus fuit; non vero est personalis, quatenus Petro ut personæ privatæ data cum eo extinguenda fuerit. Primatus enim Petro collatus ad Ecclesiæ bonum per se

spectat, et ideo est munus ac officium publicum, quo Ecclesia numquam carere potest. Sane quæ pertinent ad internam constitutionem Ecclesiæ, ut fundamentum ad ædificium, suprema auctoritas ad societatem, pastor ad gregem, necessario permanere debent.

ART. II. De successore Petri in primatu, seu de primatu Romani Pontificis. (1)

617. I. **Exponitur doctrina.** Postquam probavimus, Christum instituisse primatum, et quidem perpetuo in Ecclesia duraturum, adeoque voluisse ut Petrus in primatu perpetuos haberet successores; jam quæritur, quis sit ille Petri successor in primatu. Jam vero tota retro antiquitas nullum umquam alium agnovit Petri in primatu successorem præter Romanum Pontificem. Cum autem constet, Romanum Episcopum esse Petri successorem, Romanus Pontifex primatum obtinet *jure divino.* Cum enim Christus voluerit, ut primatus in Petro institutus esset perpetuus, adeoque in Petri successoribus perpetuo perseveraret; manifestum est, illum, qui Petro de facto succedit in primatu, obtinere primatum vi illius ordinationis Christi seu *jure divino.*

Hæc doctrina est *dogma fidei* solemniter ab Ecclesia definitum. Illud jam definierat *Concilium Florentinum,* juxta quod ab omnibus fidelibus credendum est, „sanctam Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum, et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, et omnium christianorum patrem ac doctorem existere: et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse." Et nuperrime eamdem doctrinam proposuit *Concilium Vaticanum* (Const. *Pastor Aeternus,* cap. 2) eamque solemniter definivit hoc canone: „Si quis ergo dixerit, non esse ex ipsius Christi Domini institutione seu jure divino, ut beatus Petrus in

(1) Cf. *Bellarminus,* l. 2. c. 13 sqq.; *Ballerini,* de vi ac ratione Primatus, c. 1 sqq.; *Perrone,* l. c.; *Cercia,* op. cit. sect. 2; *Franzelin,* th. 11 sq., *Mazzella,* disp. 5. art. 2; *Palmieri,* th. 8 sqq.; *Jansen,* § 83 sq.; *De Groot,* q. 14; *Hurter,* n. 369 sqq.; *Pesch,* n. 464 sqq.; *Tanquerey,* n. 84 sqq.

primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores; aut Romanum Pontificem non esse beati Petri in eodem primatu successorem; a. s.

618. Est itaque *dogma fidei,* Romanum Pontificem esse successorem Petri et ut successorem Petri obtinere primatum jure divino. Ab hoc autem distinguenda est alia quæstio, quo jure Episcopus Romanus *potius quam alius* succedat Petro in primatu, seu quo jure Episcopus Romanus, *ut talis,* obtineat primatum. Licet circa dogma fidei omnes catholici conveniant, huic tamen quæstioni non omnes eodem modo respondent. Hac quæstione interim seposita, de qua ad calcem hujus articuli pauca dicemus, hic adstruemus dogma catholicum, Romanum Pontificem esse successorem Petri in primatu et jure divino obtinere primatum jurisdictionis in universam Ecclesiam. Porro ad veritatem primatus Romani Pontificis probandam sufficit hæc tria demonstrare: 1) Christum instituisse primatum; 2) ipsum voluisse ut primatus in Ecclesia perpetuo maneret; 3) Ecclesiam solum Romanum Pontificem agnovisse ut successorem Petri et primatem. Duo priora jam supra probata sunt, tertium ex fide tum theoretica tum practica totius retro antiquitatis christianæ luculentissime demonstratur. Licet enim argumenta historica, quibus probatur Petrum Romam venisse et episcopatum Romanum usque ad mortem tenuisse, multum quidem conferant ad veritatem successionis Romani Pontificis in primatu stabiliendam et ad rationem hujus successionis illustrandam, ea tamen ad probandam veritatem primatus Romani Pontificis non sunt necessaria, cum hæc veritas ex perpetua et constanti fide Ecclesiæ, quæ in hoc fundamentali articulo errare sane non potest, invicte demonstretur. Quare nos brevitati studentes quæstiones de variis factis, quæ ad hanc rem pertinent, hic omittimus.

619. II. **Statuitur doctrina.**

Thesis. Romanus Pontifex est successor b. Petri et jure divino obtinet primatum.

Prob. I. invicte hoc argumento: Aut Romanus Pontifex est successor Petri ideoque et primas Ecclesiæ, aut nullus est. Atqui aliquis necessario debet esse successor Petri et primas Ecclesiæ; ergo est Romanus Pontifex. Major evidentissima est ex historia, quia nullus præter Romanum Pontificem

umquam in Ecclesia agnitus est successor b. Petri in primatu. Minor certa est ex demonstrata perpetuitate primatus: ex ordinatione enim Christi adeoque jure divino, quousque Ecclesia durat, jugiter esse debet successor Petri in primatu, et hic quovis tempore unicus esse debet.

620. *Prob. II. ex antiqua, constanti et universali traditione.* Tota antiquitas universali ac constanti consensu tam theoretico quam practico agnovit primatum Romani Pontificis tamquam successoris b. Petri. Hic consensus liquet ex Conciliis, ex Patribus, ex ipsis Romanis Pontificibus.

1. *Concilia œcumenica.* In *Conc. Ephesino,* œcumenico III, Philippus legatus Romani Pontificis, nemine contradicente, episcopos ultra ducentos ita alloquitur: „Nulli dubium, imo sæculis omnibus notum est, quod sanctus beatissimusque Petrus Apostolorum princeps et caput, fideique columna, et Ecclesiæ catholicæ fundamentum . . . . . ad hoc usque tempus et *semper in suis successoribus* (loquitur de Romanis Episcopis) *vivit et judicium exercet.* Hujus itaque secundum ordinem successor et locum tenens sanctus beatissimusque Papa noster Cœlestinus Episcopus nos ipsius præsentiam supplentes ad hanc sanctam Synodum misit." In *Conc. Chalcedonensi,* œcumenico IV, post lectam epistolam Leonis Romani Pontificis Patres conclamarunt: „anathema ei qui non ita credit; *Petrus per Leonem ita locutus est.*" Eadem est professio Patrum *Concilii Constantinopolitani III,* œcumenici VI, de Agathone Romano Pontifice: „*Summus nobiscum Apostolorum princeps concertabat;* illius enim imitatorem et *sedis successorem* habuimus fautorem . . . . et *per Agathonem Petrus loquebatur.*" Præclarum etiam testimonium primatus Romani Pontificis reliquerunt Patres *Conc. Constantinopolitani IV,* œcumenici VIII, recepta formula Hormisdæ, qua declaratur, dicta Petro (Matth. XVI) æque pertinere ad Petri apostolicam sedem. Et ut alia omittamus, Romanum Pontificem esse successorem Petri in primatu solemniter definivit tum *Conc. Florentinum,* tum recentissime *Conc. Vaticanum.* Verba supra descripsimus.

621. 2. *Patres.* Jam *Ignatius* martyr in sua epistola ad Romanos singularem prorsus reverentiam Ecclesiæ Romanæ exhibet, eam in inscriptione epistolæ vocans: „*præsidentem caritati*" i. e. cœtui fidelium.

S. Irenæus (contra hær. l. 3. c. 3), postquam dixit apostolicam successionem, a qua custodita fuerit ideoque et accipienda sit vera doctrina revelata, facillime in Ecclesia Romana cognosci posse, addit: „*Ad hanc enim* (Romanam) *Ecclesiam propter potentiorem principalitatem* (auctoritatem) *necesse est omnem convenire ecclesiam,* hoc est eos, *qui sunt undique fideles, in qua semper* ab his, qui sunt undique, *conservata est ea quæ est ab Apostolis traditio.*"

S. Cyprianus (ep. 55), loquens de asseclis Fortunati pseudoepiscopi dicit: „navigare audent et *ad Petri cathedram atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est.*"

Theodoretus Cyrensis (ep. 116): „Habet enim sanctissima illa Sedes (Romana) *ecclesiarum, quæ in toto sunt orbe, principatum.*"

S. Hieronymus (ep. 15) ad Damasum Papam scribit: „*Beatitudini tuæ i. e. cathedræ Petri communione consocior. Supra illam petram ædificatam Ecclesiam scio.*"

S. Augustinus (ep. 43) veneratur Ecclesiam Romanam, „*in qua semper apostolicæ cathedræ viguit principatus*"; in qua est „*culmen auctoritatis.*"

622. 3. *Romani Pontifices,* non solum non contradicentibus sed ultro consentientibus episcopis et ecclesiis, se semper asseruerunt b. Petri successores et sibi qua talibus attribuerunt primatum, suamque supremam auctoritatem in quaslibet ecclesias jugiter exercuerunt.

Jam indicium quoddam primatus Romani occurrit in epistola *S. Clementis* ad Corinthios. Licet enim tunc adhuc viveret S. Joannes Apostolus, non hic sed Clemens scripsit ad corrigendos Corinthios, in quorum ecclesia discordiæ ortæ erant; ad illos autem scripsit tamquam qui auctoritatem in eos habebat.

Victor (192—202) in controversia de celebrando paschate scripsit epistolam ad Polycratem, episcopum Ephesinum, eumque jussit convocare omnes Asiæ episcopos illisque injungere, ut usum Romanum celebrandi paschatis sequerentur, minatus se omnes qui non obtemperarent excommunicaturum esse."

Zepherinus († 217) Montanistas damnavit et ab Ecclesia ejecit, inter quos erat Tertullianus, qui de hac re scribit, asperis quidem claris tamen verbis, publicam catholicorum persuasionem de auctoritate peremptoria Romani Pontificis

manifestans: „Audio, inquit, etiam edictum esse propositum et quidem *peremptorium.* Pontifex scilicet Maximus, quod est *Episcopus* Episcoporum, edicit" etc.

Similiter summam primatus auctoritatem exercuerunt *Cornelius* († 252) adversus Novitianum; *Stephanus* († 257) in controversia de rebaptizandis hæreticis. *Julius I* a. 342 docuit episcoporum causas Romæ esse decernendas, et S. Athanasium in sedem Alexandrinam restituit.

Et ut ceteros prætermittamus, *S. Siricius* a. 385 ad Himerium, episcopum Tarraconensem, scribit: „Consultationi tuæ responsum competens non negamus .... Portamus onera omnium, qui gravantur; quin imo *hæc portat in nobis beatus Apostolus Petrus,* qui nos in omnibus, ut confidimus, *administrationis suæ protegit ac tuetur heredes.*" Quare *Bonifacius I* († 423 Ep. 14 ad Rufum) scribit: „Hanc (Romanam Ecclesiam) ergo ecclesiis toto orbe diffusis velut caput suorum certum est esse membrorum, a qua se quisquis abscidit fit christianæ legis extorris."

Non est necesse facta et testimonia congerere Romanorum Pontificum posterioris ætatis, cum nemo neget, primatum Romani Pontificis inde a sæc. V ubique agnitum fuisse.

623. Quæ ex Conciliis, Patribus et Romanis Pontificibus breviter in medium adduximus, satis superque ostendunt, in Ecclesia inde a primordiis viguisse universalem et constantem persuasionem, Romanum Pontificem esse successorem Petri in primatu. Jamvero talis consensus circa veritatem summi momenti ac fundamentalem, a qua pendet tota Ecclesiæ constitutio atque natura, habet vim ineluctabilem probandi et quidem duplicem: *philosophicam* et *historicam* quatenus est testimonium mere historicum et humanum; *theologicam* et *infallibilem* quatenus est testimonium Ecclesiæ insignitæ charismate infallibilitatis per promissam assistentiam Spiritus S.

Veritas primatus Romani Pontificis egregie confirmari potest ex ipso splendidissimo facto conservati tam diu atque adhuc florentis in Sede Romana primatus. Hoc enim factum, si considerantur omnia ejus adjuncta, manifeste se prodit ut factum divinum adscribendum specialissimo Dei interventui; ideoque primatus Romani Pontificis divinam originem demonstrat. De hoc argumento cf. *Hurter,* n. 337 sq.

624. **Corollarium.** *Romanus Pontifex jure divino tenet primatum.* Hoc ex hucusque dictis sponte sua consequitur. Cum enim Christus instituerit primatum et perpetuam in primatu successionem, liquet illum, qui legitime succedat Petro, ei succedere ejusque primatum obtinere vi istius institutionis ac ordinationis Christi adeoque jure divino. Atqui probavimus Romanum Pontificem esse legitimum successorem Petri. Ergo Romanus Pontifex jure divino succedit Petro et obtinet primatum, ut patet etiam ex conciliorum definitionibus. Ut hoc melius intelligatur distinguenda est *lex successionis* a *conditione successionis* in primatu. Lex successionis, seu jus quo perenniter existit successor Petri in primatu, est ipsa divina institutio primatus ejusque perennitas, seu est voluntas Christi statuens ut Petrus perpetuos in primatu habeat successores. Conditio successionis est titulus, quo efficitur ut hic potius quam alius succedat Petro in primatu. Hæc porro conditio determinata est a facto originali Petri, quo Romanam Sedem evexit ad dignitatem primatus. Romanus igitur Episcopus, qui solus debitæ conditioni facit satis, obtinet primatum vi legis successionis statutæ a Christo seu jure divino. Quare cum quæritur, quo jure Romanus Episcopus succedat Petro, si intelligatur non comparative quo jure nempe hic potius quam alius succedat, sed absolute quo jure potiatur eadem auctoritate ac Petrus, respondendum omnino est, ipsum jure divino succedere Petro in primatu.

Distinguatur demum a conditione successionis proxima, quæ est Episcopatus Romanus, conditio successionis remota seu conditio ut hic vel ille sit Episcopus Romanus: hæc conditio remota est lex qua regitur electio Romani Pontificis, quæ non fuit semper eadem in Ecclesia.

625. III. **De inseparabilitate primatus a Sede Romana** *et de jure quo Romanus Episcopus potius quam alius sit successor Petri.* (1)

Quær. 1. Utrum primatus ab Episcopatu Romano separari et in aliam sedem transferri possit?

Resp. 1. Dominicus Sotus cum quibusdam aliis censuit quidem, per supremam Romani Pontificis auctoritatem posse

(1) Cf. *Cercia,* sect. 2. lect. 6 sqq.; *Franzelin,* th. 12; *Mazzella,* disp. 5. art. 2. § 5; *Palmieri,* th. 9. sq.; *De Groot,* q. 14. art. 5; *Peseh,* n. 500 sqq.

primatum separari a Sede Romana. Hoc autem omnino est rejiciendum. Tenendum enim prorsus est, non quidem ut dogma fidei, tamen ut *theologice certum,* primatum numquam, ne suprema quidem ipsius successoris Petri potestate, a Sede Romana separari et alio transferri posse. Hæc veritas theologica sequitur ex modo, quo dogma de primatu Romani Pontificis seu Ecclesiæ Romanæ in definitionibus et documentis ecclesiasticis enuntiatur. Etenim quod in Ecclesia semper traditum et creditum est, idem in Conc. Florentino et Vaticano solemniter definitum est, nempe *Romanum Pontificem esse Petri successorem in primatu.* Atqui quod infallibili Ecclesiæ definitione proponitur credendum omnibus fidelibus, illud est in Ecclesia immutabiliter verum et sicut verum fuit antea, Romanum Pontificem tenere primatum, ita credendum semper erit in posterum; numquam enim falsa evadere potest definitio Ecclesiæ. Ergo hæc veritas: Romanus Pontifex est successor Petri censeri debet veritas immutabilis; ideoque primatus censeri debet immutabiliter seu inseperabiliter annexus Sedi Romanæ. Non ideo tamen dicimus, esse jam dogma fidei, primatum absolute non posse ad aliam sedem transferri; nam numquam fuit intentio Conciliorum hanc quæstionem definire, sed voluerunt docere primatum eumque perpetuum a Christo institutum esse penes Romanum Pontificem. Hæc tamen inseparabilitas primatus a Sede Romana, uti diximus, ex modo, quo ipsum dogma de primatu Romani Pontificis ab Ecclesia proponitur, tamquam conclusio theologica legitime deducitur. Sic *Franzelin* (De Eccl. th. 12) ad quæstionem: utrum ne per Romanum quidem Pontificem primatus a Romana Sede separari possit: „Respondemus, inquit, id dogma definitum *de fide* hactenus saltem non esse; esse tamen veritatem theologicam, quæ ex modo, quo ipsum dogma de primatu Romanorum Pontificum seu Romanæ Ecclesiæ in documentis ecclesiasticis enuntiatum est legitime deducitur." *Palmieri* (De Rom. Pontif. th. 9) statuit hanc thesin: „Quod præ ceteris Romanus Pontifex is sit qui Petro in primatu succedit, veritas est immutabilis in Ecclesia; nihilque obstat, quominus hæc veritas revelata censeatur."

Resp. 2. Separationem et translationem primatus a Sede Romana ad aliam sedem fieri posse per aliam potestatem

inferiorem potestate Summi Pontificis, sive ecclesiasticam sive profanam, est error damnatus ab Ecclesia. Damnavit enim *Pius IX* hanc propositionem 35 *Syllabi:* „Nihil vetat alicujus generalis concilii sententia aut universorum populorum facto summum pontificatum a Romano Episcopo atque Urbe ad alium episcopum aliamque civitatem tranferri."

626. Animadvertatur demum quod scribit *Pesch* (n. 502): „Est autem notandum, *aliud esse Romanum esse Pontificem et aliud Romæ residere.* Potest enim Romanus Pontifex ob justas causas alibi quam Romæ habitare, dummodo maneat Episcopus Romanus. Neque confundenda est ecclesia Romana cum urbe Romana materialiter spectata. Hæc enim etsi totaliter destrueretur, posset tamen manere Romana ecclesia; i. e. plebs fidelis sub suo episcopo. Eodem autem modo, quo certum est primatum esse inseparabiliter annexum ecclesiæ Romanæ, eodem modo certum est hanc ecclesiam non esse interituram, ita ut saltem semper supersit legitimus Episcopus Romanus."

627. *Quær. 2. Quonam jure primatus cum Sede Romana conjunctus sit?*

Resp. Sunt qui negent quodlibet jus divinum, repetentes conjunctionem primatus ex sola electione Petri adeoque ex jure, ut ita dicam, Apostolico. Verum hæc opinio non videtur probanda. Cum enim conjunctio primatus cum Sede Romana sit immutabilis, aliquo modo ex voluntate Christi adeoque ex jure divino est repetenda; nam si sola voluntate Petri conjunctio facta esset, non intelligitur, cur hæc conjunctio solvi non posset auctoritate successoris Petri, in quem omnia jura Petri transeunt. *Tenendum igitur esse censemus, conjunctionem primatus cum Sede Romana aliquo modo ex jure divino repetendam esse.* Porro hæc conjunctio duplici modo jure divino fieri potuit: ex voluntate scilicet Christi vel antecedente vel consequente seu approbante factum Petri conjungentis primatum cum episcopatu Romano. Vel enim Christus jussit Petrum cum Sede Romana conjungere primatum; vel permisit Petri arbitrio, ut quam vellet formam successionis ipse præscriberet ita tamen ut Petri liberam electionem specialiter ratam habuerit. Utram viam elegerit Christus, non ita liquet; secundus modus saltem est admittendus. Imo videtur præferenda sententia,

traditionis testimoniis innixa, quæ tenet Petrum ex Christi mandato Summum Pontificatum cum episcopatu Romano conjunxisse. Merito itaque *Palmieri* (De Rom. Pontif. th. 10) hanc ponit thesin: „Quocirca cum Petrus Romanum Episcopatum suscepit ut in eo perpetuos successores in primatu haberet, Deus ratam specialiter habuit hanc Petri electionem: ideoque de *jure divino saltem consequente, nempe consequente factum Petri, prævertente autem factum successionis* est quod Romanus Episcopus succedat Petro in primatu. Imo *probabilem* satis censemus sententiam: *voluntate scilicet antecedente Dei jussum esse Petrum* hanc formam perpetuam successionis statuere nimirum per episcopalem Sedem, et inter sedes eligere Romanam."

628. **Corollarium** 1. Non modo *unio* est inter primatum et episcopatum Romanum velut inter duas res separatas, sed jam est *una Romana Sedes* evecta ad dignitatem sedis primatialis super universam Ecclesiam, qui primatus in se continet episcopatum Romanum, ut universale continet particulare. „Observandum est, inquit *Bellarminus* (De Rom. Pontif. l. 2. c. 12), Romanum episcopatum et Ecclesiæ universæ præfecturam non esse duos episcopatus nec duas sedes nisi in potentia. Nam Petrus Pontifex totius Ecclesiæ a Christo institutus non adjunxit sibi episcopatum urbis Romæ, quo modo episcopus alicujus loci adjungit sibi alium episcopatum vel canonicatum aut abbatiam; *sed Romanæ urbis episcopatum evexit ad summum orbis terræ pontificatum,* quemadmodum cum episcopatus simplex erigitur in archiepiscopatum vel patriarchatum. Non enim archiepiscopus vel patriarcha est bis aut ter episcopus, sed semel tantum .... et Summus Pontifex etiamsi episcopus, archiepiscopus, patriarcha et Summus Pontifex sit, hæc omnia sunt unum actu, et tantum in potentia multa. Ex quo sequitur, ut qui eligitur Romanus Episcopus, eo ipso sit Pontifex summus universæ Ecclesiæ, etiamsi hoc forte non exprimant electores."

629. **Corollarium** 2. *Romanus Pontifex suam potestatem a Deo immediate accipit.* Hoc ita intelligendum est, ut non solum potestas primatus sit immediate a Deo, prout est a Deo immediate instituta; sed ut etiam singuli electi ad Sedem Romanam obtineant immediate a Deo potestatem primatus in

universam Ecclesiam. Hæc enim collatio fit immediate vi institutionis divinæ primatus perenniter duraturi. Christus eadem voluntate, qua vult primatum perennem esse, vult hunc legitime electum in successorem Petri auctum primatu Petro ejusque successoribus collato; atqui hoc tantumdem est ac dicere, Christum huic conferre primatum immediate; accipit enim ipse eum vi juris divini et solius juris divini.

CAPUT III.

DE VI AC RATIONE PRIMATUS ROMANI PONTIFICIS. (1)

630. Demonstrata divina primatus institutione ejusque in Romanis Pontificibus perduratione, jam ejusdem natura est inquirenda. Doctrinam catholicam de vi ac ratione primatus proponit *Concilium Vaticanum* in Const. *Pastor Aeternus* cap. 3. Innovata enim definitione Concilii Florentini, qua statuitur Romanos Pontifices Petri successores plenam habere potestatem gubernandi universalem Ecclesiam, veram primatus indolem dilucide exponit atque declarat. Demum in fine totam doctrinam solemniter definit hoc canone: „Si quis itaque dixerit, Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem jurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus, quæ ad fidem et mores, sed etiam in iis, quæ ad disciplinam et regimen Ecclesiæ per totum orbem diffusæ pertinent; aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem hujus supremæ potestatis; aut hanc ejus potestatem non esse ordinariam et immediatam sive in omnes ac singulas ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles; anathema sit."

Ut igitur hanc de vi ac ratione primatus catholicam doctrinam paucis exponamus, eam ad quædam capita revocabimus.

(1) Cf. *Bellarminus,* de Rom. Pontif. l. 4. c. 15 sqq.; *Ballerini,* de vi ac ratione primatus; *Perrone,* c. 3; *Cercia,* sect. 3; *Mazzella,* disp. 5. art. 3; *Jansen,* § 85; *De Groot,* q. 15; *Palmieri,* de Rom. Pontif. p. 2. c. 1. art. 1; *Hurter,* n. 388 sqq.

631. I. *Primatus Romani Pontificis est potestas jurisdictionis, quæ vere episcopalis est.* Jurisdictio enim episcopalis consistit in potestate regendi, quæ complectitur potestatem legislativam, judicialem et coactivam. Talem autem revera esse potestatem Romani Pontificis, patet ex illis ipsis Christi verbis, quibus demonstravimus primatus vel promissionem vel collationem: sane munus *fundamenti* sustentantis Ecclesiam, *gerentis claves* regni Christi ad ligandum et solvendum; *confirmatoris* fratrum, *pastoris* ovilis dominici, manifeste potestatem jurisdictionis comprehendit. Hinc Romanus Pontifex dicitur *Episcopus universalis,* vel *Episcopus catholicæ Ecclesiæ;* et quia, uti videbimus, eadem potestate episcopali potitur in omnes Episcopos vocatur etiam *Episcopus Episcoporum,* Pastor Pastorum.

632. II. *Hæc jurisdictionis potestas est plane universalis,* „erga quam, ut docet *Concilium Vaticanum,* cujuscumque ritus et dignitatis pastores atque fideles, tam seorsim singuli quam simul omnes, officio hierarchicæ subordinationis veræque obedientiæ obstringuntur, non solum in rebus, quæ ad fidem et mores, sed etiam in iis, quæ ad disciplinam et regimen Ecclesiæ per totum orbem diffusæ pertinent." Sane Romanus Pontifex a Christo constitutus est fundamentum *totius Ecclesiæ,* ipsi datæ sunt claves regni cœlorum ad ligandum et solvendum *quodcumque*, ipsi Pastori concreditæ sunt *omnes oves* Christi. Regit ergo eos omnes, qui pertinent ad Ecclesiam quæ ipso tamquam fundamento innititur; eos omnes qui sunt in regno Christi in terris; omnes quotquot sunt agni et oves Christi. Idem liquet etiam ex fine instituti primatus, qui est unitas totius Ecclesiæ, „ita ut, quemadmodum subjungit Conc. Vatic., custodita cum Romano Pontifice tam communionis, quam ejusdem fidei professionis unitate, Ecclesia Christi sit unus grex sub uno summo pastore. Hæc est catholicæ veritatis doctrina, a qua deviare salva fide atque salute nemo potest."

633. III. Hinc *Romanus Pontifex vi universalis potestatis est unitatis Ecclesiæ principium* et *centrum, quocum pastores omnes cum suis gregibus non distributive tantum, sed etiam collective omnes simul conspirare debent.* Hoc sicut est corollarium potestatis universalis, ita manifeste colligitur ex eo quod Romanus Pontifex est fundamentum *totius Ecclesiæ,*

habet claves *totius regni* Christi ad ligandum en solvendum quodcumque, est pastor omnium ovium ideoque *totius ovilis* Christi.

634. IV. *Universalis Romani Pontificis jurisdictio in omnes fideles tam seorsim singulos quam omnes simul est ordinaria et immediata.* Jurisdictio *ordinaria* usu ecclesiastico dicitur ea, quæ dignitati vel officio ipso jure sive divino sive humano annexa est, quam quis proinde non vi specialis delegationis, sed vi suæ dignitatis suique officii exercet. Jurisdictionem Romani Pontificis esse ordinariam, prorsus manifestum est, idque nemo negare potest, nisi neget ipsum Romani Pontificis primatum. Jurisdictio *immediata* opponitur *mediatæ*. *Mediata* jurisdictio in aliquos dicitur quæ habetur in eorum immediate superiores, per quos veluti medios ipsa attingit quoque horum subditos. *Immediata* vero jurisdictio in aliquos est ea, quæ ipsos tamquam proprios subditos attingit, absque ope alicujus potestatis interpositæ. Hæc potestas immediata potest esse suprema vel subordinata. Jurisdictio immediata *suprema* in societate est ea, quæ actibus suis omnes ad societatem spectantes regit ut proprios subditos absque ope intermediæ potestatis, quæque ex sese potest ponere omnes actus, qui requiruntur ut subditi bene regantur. Porro jurisdictionem ordinariam Romani Pontificis esse *immediatam* in fideles quosvis tam seorsim singulos, quam simul omnes, evidenter liquet ex eo, quod Romanus Pontifex solus constitutus sit fundamentum totius Ecclesiæ, habeat claves totius regni ad ligandum et solvendum quodcumque in Ecclesia, sit pastor constitutus ad pascendos omnes agnos et omnes oves Christi.

Igitur Romanus Pontifex ordinaria jurisdictione regit immediate omnes qui pertinent ad Ecclesiam ipsa Petra innixam, omnes qui sunt in regno cujus ipse claves gerit, itaque et pascit immediate tum generatim singulos quosque fideles, tum speciatim ipsos quoque episcopos qui et ipsi fideles sunt, hosque omnes tam seorsim quam simul sumptos. Porro cum hæc ordinaria et immediata jurisdictio Romano Pontifici insit vi muneris primatus ipsi divinitus collati, evidenter quoque sequitur, eam ipsi competere *pro semper* et *pro quibusvis casibus,* et non solum pro casibus extraordinariis e. g. negligentiæ aut malitiæ episcoporum, ut vult Febronius.

„Tantum autem abest, inquit *Conc. Vatic.,* ut hæc Summi Pontificis potestas officiat ordinariæ ac immediatæ illi episcopalis jurisdictionis potestati, qua episcopi, qui positi a Spiritu Sancto in Apostolorum locum successerunt, tamquam veri pastores assignatos sibi greges, singuli singulos, pascunt et regunt, ut eadem a supremo et universali pastore asseratur, roboretur ac vindicetur, secundum illud S. Gregorii Magni: „Meus honor est honor universalis Ecclesiæ. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tum ego vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur."

635. V. Quare *potestas Romani Pontificis est plena et suprema in Ecclesia:* omnia enim sua potestate potest in regno Christi in terris, omnesque quotquot pertinent ad hoc regnum ipsius jurisdictioni sunt subjecti.

636. **Corollarium 1.** Ipsum *Concilium Vaticanum,* exposita suprema Romani Pontificis potestate, ex ea quædam ipsius jura infert dicens: 1) „Porro ex suprema illa Romani Pontificis potestate gubernandi universam Ecclesiam *jus* eidem esse consequitur, in hujus sui muneris exercitio *libere communicandi cum pastoribus et gregibus totius Ecclesiæ,* ut iidem ab ipso in via salutis doceri ac regi possint. Quare damnamus et reprobamus illorum sententias, qui hanc supremi capitis cum pastoribus et gregibus communicationem licite impediri posse dicunt, aut eamdem reddunt sæculari potestati obnoxiam, ita ut contendant, quæ ab Apostolica Sede vel ejus auctoritate ad regimen Ecclesiæ constituuntur, vim ac valorem non habere, nisi potestatis sæcularis placito confirmentur."

2) „Et quoniam divino Apostolici primatus jure Romanus Pontifex universæ Ecclesiæ præest, docemus etiam et declaramus, eum esse *judicem supremum fidelium,* et *in omnibus causis* ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius posse judicium recurri; Sedis vero Apostolicæ, cujus auctoritate major non est, judicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de ejus licere judicare judicio. Quare a recto veritatis tramite aberrant, qui affirmant, licere a judiciis Romanorum Pontificum ad œcumenicum concilium tamquam ad auctoritatem Romano Pontifice superiorem appellare."

637. **Corollarium 2.** *Romanus Pontifex est superior concilio generali, secluso Papa.* Hæc assertio intelligitur de concilio

omnium episcoporum seorsum a Romano Pontifice et per se considerato, quemadmodum intelligitur concilium ab iis, qui profitentur errorem de superioritate generalis concilii super Romanum Pontificem: si enim spectaretur generale concilium simul cum Romano Pontifice, liquet talis concilii et summi Pontificis per se spectati eamdem intrinsece esse auctoritatem. Pariter intelligitur assertio de Papa vivo, legitimo et certo; nam Papa defunctus, illegitimus aut dubius non vere est Papa, in quem si concilium habet auctoritatem, non habet auctoritatem in Pontificem. Papam mortuum aut illegitime electum non esse vere Pontificem manifestum est: Papa autem dubius non est vere Papa, quia, cum Ecclesia ex institutione Christi sit essentialiter visibilis atque visibile caput habere debeat, is tantum censeri potest Pontifex legitime electus, qui ita electus est, ut citra dubium validitas electionis ejus agnosci possit; hinc illud dictum: „dubius Papa habetur pro non Papa." Assertio nostra ita intellecta evidenter sequitur ex suprema Summi Pontificis auctoritate in universam Ecclesiam: ex hoc enim sequitur illius potestati esse subjectos non solum omnes simplices fideles, sed etiam omnes episcopos, tam seorsim quam simul sumptos. Ideo etiam Concilium Vaticanum, definita Romani Pontificis suprema episcopali potestate immediata et ordinaria, subjungit: „erga quam cujuscumque ritus et dignitatis pastores atque fideles, tam seorsum singuli quam *simul omnes,* officio hierarchicæ subordinationis, veræque obedientiæ obstringuntur." Hisce verbis itaque definitum est, Romanum Pontificem concilio superiorem esse.

638. **Corollarium 3.** *Romani Pontificis potestas nullis ecclesiasticis canonibus ligatur et coarctatur.* Etenim licet canones mere ecclesiastici habeant quidem vim *directivam* in Romanum Pontificem, ipse tamen eorum *vi coactiva* (præcipiente ac punitiva) minime tenetur. Hoc, quod contra Gallicanos est tenendum, evidenter sequitur ex plenitudine supremæ potestatis Romani Pontificis, in quam nulla potestas in Ecclesia potest habere vim coactivam: non potestas ceterorum Episcoporum quia est inferior; non potestas ipsius Pontificis quia nemo habet vim coactivam in seipsum: non potestas Romani Pontificis simul et episcoporum quia hæc non est major potestate solius Romani Pontificis.

639. **Corollarium 4.** *Singuli episcopi suam ordinariam jurisdictionem accipiunt immediate a Romano Pontifice.* Nemo sane negat, episcopatum esse immediate a Deo institutum, seu esse immediate a Christo ordinatum ut sint semper episcopi, qui ordinaria jurisdictione sub Romano Pontifice Ecclesiam regant. Verum inter theologos catholicos existit controversia de quæstione: utrum jurisdictio singulorum episcoporum in suis ecclesiis sit immediate a Christo, an vero sit immediate a Romano Pontifice. Sunt enim qui censeant, jurisdictionem ordinariam episcoporum esse immediate a Deo, quatenus nempe a Christo conferatur in ipsa ordinatione episcopali, licet hæc sit tantum in actu primo et exerceri non possit nisi Romanus Pontifex, approbans episcopum, ei territorium et subditos assignet. Ad hoc probandum iis utuntur argumentis, quibus divina institutio episcopatus demonstratur.

Econtra alii plures et quidem summi theologi ac scholarum principes docent, singulis episcopis in ipsa consecratione episcopali tantum dari *aptitudinem* ad *jurisdictionem* obtinendam, ipsam autem *jurisdictionem* illis a Summo Pontifice immediate conferri. Hoc, quod, uti ait *Benedictus XIV* (De Syn. I. c. 4), „et rationi et auctoritati conformius videtur," nobis videtur consequi ex plenitudine potestatis, quæ est in Romano Pontifice et a qua omnis alia potestas in Ecclesia dependet. Cf. *Palmieri,* De Rom. Pont. th. 14.

640. **Scholion I.** *Quid possit Summus Pontifex circa jus divinum.* Duplex distingui debet jus divinum: unum, quod ipse Deus per se absolute statuit, sive lege naturali sive lege positiva, hoc vocari potest jus divinum *objectivum;* alterum veluti *subjectivum,* quod Deus quodammodo acquirit ex actione hominis: nempe ex voto vel juramento vel contractu, quo aliquid vel directe vel indirecte Deo promittit, et ex peccato quo debitum culpæ ac pœnæ coram Deo contrahit.

1. Quoad jus divinum *objectivum* Romanus Pontifex habet quidem vi supremi magisterii potestatem illud authentice interpretandi, non vero illud abrogandi, mutandi aut in eo dispensandi: neque enim hanc potestatem Christus Ecclesiæ expresse dedit, neque eam flagitat bonum Ecclesiæ, neque eam umquam sibi attribuit Ecclesia.

2. Quoad jus divinum *subjectivum* aliter est dicendum.

Etenim *a)* certum est Ecclesiam posse sententia judiciali remittere *debitum culpæ et pœnæ ex peccato contractum,* uti ostenditur in tractatu de sacramento Pœnitentiæ. Hæc potestas, quatenus est potestas jurisdictionis, est in summo gradu penes Romanum Pontificem. *b)* Promissiones per *votum* vel *juramentum* Deo factæ etiam subsunt jurisdictioni Ecclesiæ. Cum enim Ecclesia acceperit a Christo plenissimam potestatem dirigendi homines in iis, quæ ad vitam æternam pertinent, sequitur eam habere potestatem ab illis promissionibus dispensandi vel eas commutandi, si nempe bonum commune postulat, ut in quibusdam adjunctis hujusmodi promissiones condonentur. *c)* Unicus etiam *contractus sacer*, scilicet *matrimonium* inter christianos initum, subest Ecclesiæ jurisdictioni (potestati solvendi), quamdiu ultra limites actus voluntatis ad externum effectum (copulæ carnalis) deductus non est. Quando autem hic contractus ad externum effectum copulæ est deductus non amplius ab Ecclesia rescindi potest, quia Ecclesia hunc effectum rescindere nequit, et quia hic effectus propter specialem significationem, quam habet in Novo Testamento, ipsum etiam contractum absolute indissolubilem reddit *(Pesch,* De Eccl. n. 377.)

641. **Scholion II.** *De Conciliis œcumenicis.* (1) Concilium generatim sumptum est *legitimus conventus episcoporum ad judicandum et statuendum de rebus ecclesiasticis.* Præter concilia universalia seu œcumenica dantur concilia nationalia et provincialia. Synodus diœcesana non vocatur concilium, quia, quamvis multi conveniant, tamen non concilialiter fertur sententia, sed solus episcopus in ea habet jus sententiam auctoritativam ferendi.

Concilium *œcumenicum* (seu generale, universale, plenarium) est *conventus episcoporum ex toto orbe convocatorum ad judicandum et statuendum de rebus ecclesiasticis sub auctoritate Romani Pontificis.* Ut concilium sit vere œcumenicum (i. e. repræsentans juridice totam Ecclesiam per omnes ejus pastores et doctores), ad illud convocandi sunt ex toto orbe episcopi, qui actu constituunt magisterium et regimen ecclesiasticum, i. e. *omnes episcopi jurisdictionem habentes etiam nondum*

(1) Cf. *Bellarminus,* de Conc. et Eccl. l. 1 et 2; *Mazzella,* disp. 5. art. 5; *Palmieri,* th. 28 sq.; *Pesch,* n. 441 sqq.; *De Groot,* q. 12; *Tanquerey,* n. 211 sqq.

consecrati. Non vero requiritur ad œcumenicitatem, ut *omnes* episcopi convocati *conveniant;* sed *sufficit, ut universalis Ecclesia vere repræsentetur.* Quantus autem ad hanc repræsentationem requiratur episcoporum numerus, non potest melius cognosci, ait *Bellarminus,* „quam ex consuetudine Ecclesiæ, et ex iis conciliis, quæ omnium consensu generalia fuerunt." Quia autem Ecclesia universalis repræsentari nequit, nisi adsit ejus caput, Romanus Pontifex, patet sine Summo Pontifice concilium œcumenicum haberi non posse. Ut hæc relatio Summi Pontificis ad concilium œcumenicum accuratius determinetur, et inde melius intelligatur vis primatus, pauca addemus de Concilii œcumenici *convocatione, celebratione, confirmatione, necessitate.*

642. 1. *Convocatio. Solus Romanus Pontifex jus habet convocandi ex potestate concilium œcumenicum;* quia ipse solus habet potestatem in omnes Ecclesiæ episcopos, et ipse solus illis conferre potest jurisdictionem in universam Ecclesiam. Potest tamen hæc convocatio legitime fieri ab alio ex mandato vel consensu Summi Pontificis; imo potest etiam convocationem illegitime inchoatam dando suum consensum approbare. Si igitur aliquod concilium neque ab ipso Summo Pontifice, neque ex ipsius mandato aut saltem consensu est convocatum, illud non est concilium œcumenicum.

643. 2. *Celebratio. a) Romanus Pontifex solus jus habet præsidendi conciliis œcumenicis,* non præsidentia tantum honoris, sed jurisdictionis, idque sive per se sive per suos legatos; Romanus enim Pontifex, ipseque solus habet potestatem jurisdictionis in omnes episcopos etiam collectos. Deficiente illa præsidentia, concilium non est in sua celebratione œcumenicum.

b) Licet Romani Pontificis sit præsidere concilio et tamquam supremum judicem omnia moderari, *ceteri tamen episcopi sunt veri judices,* non meri consultores. Quamvis quidem Summus Pontifex ob supremam ac plenam suam potestatem, possit rem totam *solus* definire aut decernere; id tamen non præstat quando edit definitionem *conciliarem,* sententia enim conciliaris supponit concilium seu cœtum plurium et haberi non potest, nisi universitas vel major vel sanior pars episcoporum quoque consentiat.

c) Inde tamen minime sequitur, ad definitionem fidei in

concilio (adeoque infallibilem) requiri unanimitatem saltem moralem suffragiorum; neque *tenetur* Romanus Pontifex sequi saltem majorem partem episcoporum. Licet enim Romanus Pontifex minorem partem sequeretur, non judicaret solus, et proinde sententia foret vere *conciliaris;* foret insuper peremptoria et infallibilis, quia ibi est infallibile magisterium, ubi est collegium episcoporum cum suo capite.

644. *Confirmatio. Ut concilium sit vere œcumenicum, et suprema infallibili auctoritate gaudeat, necessaria est omnino approbatio seu confirmatio Romani Pontificis;* nam episcopi docentes sine suo capite non sunt illud magisterium, cui Christus infallibilitatem promisit.

Potest autem Romanus Pontifex concilium multiplici modo confirmare: *a)* ferendo sententiam in ipso concilio, sive per se, sive per litteras, sive per legatos determinatam ejus sententiam deferentes; *b)* diserte confirmando decreta concilii; *c)* simpliciter recipiendo et promulgando acta concilii.

Sicut nullum Concilium potest esse vere œcumenicum habens vim obligandi universam Ecclesiam nisi sit approbatum a Romano Pontifice; ita e converso approbatio Romani Pontificis potest tribuere concilio, quod convocatione et celebratione non fuit œcumenicum, vim obligandi universam Ecclesiam et auctoritatem infallibilem.

645. 4. *Necessitas. a) Concilia œcumenica non sunt absolute necessaria,* nam absque illis habetur plena et suprema potestas Romani Pontificis, quæ valeat ultimo dirimere omnes fidei controversias et regere universam Ecclesiam: et nullum ideo est discrimen essentiale, seu auctoritatis intrinsecæ, inter definitionem pontificiam et definitionem conciliarem, est enim utraque peremptoria ac infallibilis parem habens vim obligandi universam Ecclesiam.

b) Concilia œcumenica utilia tamen sunt et non numquam moraliter necessaria esse possunt. Etenim *a)* concilium œcumenicum, in quo episcopi totius orbis inter se deliberant de re definienda, est medium aptissimum ad veritatem revelatam investigandam: assistentia enim Spiritus Sancti non excludit diligentiam humanam. *b)* Ipsi episcopi ex conciliari deliberatione pleniorem dogmatum notitiam acquirunt et magis parati fiunt ad dogmata pro munere suo docenda ac tuenda.

c) Sententia conciliaris præ sententia solius Romani Pontificis majorem quamdam solemnitatem et extrinsecam auctoritatem præ se fert, consensum totius Ecclesiæ statim manifestat et magis ad oculos demonstrat; hinc majorem vim habet ad procurandam pacem et unitatem Ecclesiæ. Negari igitur nequit, concilia esse valde utilia. Imo facile perspicitur, errores ingravescentes aut exortas discordias, quibus occurrendum sit, quandoque esse hujusmodi, ut non nisi sententia conciliari efficaciter ab Ecclesia propelli possint: quibus in adjunctis itaque concilium erit moraliter necessarium. Hæc conciliorum utilitas et moralis necessitas facile etiam intelligitur, si agatur de abusibus exstirpandis et de disciplina generali statuenda.

646. **Scholion III.** *De principatu civili Romani Pontificis.* (1) Nomine *principatus civilis* Sedis Romanæ intelligitur potestas *temporalis,* quam Romani Pontifices, more aliorum Principum, in quasdam Italiæ provincias per plura sæcula obtinuerunt. Principatus civilis Romani Pontificis probe distinguendus est tum generatim a primatu, a quo differt ratione originis, indolis et stabilitatis; tum nominatim ab illa Romani Pontificis potestate in res temporales, quæ in ipso primatu continetur, quæque sicut ipse primatus est et origine divina et indole spiritualis, licet habeat terminum temporalem, et stabilitate immobilis atque perpetua. Quæ de principatu civili Romani Pontificis sunt tenenda, ad quædam puncta breviter reducemus.

647. 1. *Principatus civilis Romani Pontificis non promanat directe et necessario a primatu neque huic ita necessario et essentialiter inhæret,* ut ab eo separari nequeat. Non enim ex institutione Christi primatui est annexus, neque de facto semper cum primatu fuit conjunctus.

2. *Nullatenus tamen repugnat, ut in Romano Pontifice principatus civilis cum primatu conjungatur.* Hæc enim repugnantia ostendi nequit: sive *a)* ex ambarum potestatum distincta natura, nam propter hoc hæ potestates ab invicem quidem distinctæ nullatenus tamen sibi oppositæ sunt: sive *b)* ex positiva voluntate Christi aut exemplis Veteris Testamenti; cf. *Bellarminus,* De Rom. Pont. l. 5. c. 9 sq.: sive demum

(1) Cf. *Cerciá,* Demonstr. Cathol. t. 2. sect. 5; *Jansen,* § 95; *Muzzarelli,* Dominio temporale del Papa; *De Maistre,* Du Pape; *Dupanloup,* de la souveraineté temporelle du Pape.

c) ex eo quod Romanus Pontifex, utpote catholico dogmate obstrictus et immobilibus ligatus principiis, aures præbere nequeat illorum expostulationibus qui liberiorem administrationem expostulant; distincto enim facto a jure, facile liquet, ista non impedire, quominus Romanus Pontifex talibus etiam postulationibus opportunas concessiones impertiatur.

648. 3. *Romani Pontifices principatum civilem justissime adepti sunt.* Ipsum enim obtinuerunt sive ex summorum Imperantium munificentia, sive ex voluntaria populorum deditione, sive ex diuturna præscriptione et per plura sæcula possessione, sive ex contractibus onerosis aliisque nominibus, quæ ipsius originem juridicam quam maxime legitimam et justam esse luculenter demonstrant.

4. *Principatus civilis Romani Pontificis Ecclesiæ perutilis imo quadamtenus necessarius est.* Necessarius enim est, in præsenti præsertim rerum statu ubi tanta existit temporalium principum multitudo ac varietas, ad hoc ut Romanus Pontifex sacram primatus potestatem per universum orbem plena libertate ac sine ullo impedimento exercere, et quæ ad totius Ecclesiæ bonum pertinent facilius et efficacius peragere valeat. „Nam, ut ait *Pius IX* in Allocutione habita die 20 Aprilis a. 1849, omnibus compertum est, fideles populos, gentes, regna numquam plenam fiduciam et observantiam esse præstitura Romano Pontifici, si illum alicujus principis vel gubernii dominio subjectum ac minime liberum esse conspicerent. Siquidem fideles populi et regna vehementer suspicari ac vereri numquam desinerent, ne Pontifex idem sua acta ad illius principis vel gubernii, in cujus ditione versaretur, voluntatem conformaret, atque idcirco actis illis hoc prætextu sæpius refragari non dubitarent." Quare merito etiam asserit idem Pontifex, in Litt. Apost. 26 Martii 1860: „Singulari prorsus divinæ Providentiæ consilio factum est, ut, cum Romanum corruit imperium et in plura fuit regna divisum, Romanus Pontifex, quem Christus totius Ecclesiæ caput centrumque constituit, civilem assequeretur principatum. Quo sane a Deo ipso consultum est, ut in tanta temporalium principum multitudine ac varietate Summus Pontifex illa frueretur politica libertate, quæ tantopere necessaria est ad spiritualem suam auctoritatem et jurisdictionem toto orbe

absque impedimento exercendam. Hanc civilis principatus necessitatem inculcant pariter episcopi, undique terrarum, 9 Junii 1862, Romæ congregati, in sua ad Summum Pontificem declaratione, his verbis: „Civilem Sanctæ Sedis principatum ceu quiddam necessarium ac providente Deo manifeste institutum agnoscimus; nec declarare dubitamus, in præsenti rerum humanarum statu, ipsum hunc principatum civilem pro bono ac libero Ecclesiæ animarumve regimine omnino requiri."

649. 5. *Qui, quovis sub prætextu, invadunt vel violant dominium temporale sanctæ Sedis non solum injustitiæ sed etiam sacrilegii rei fiunt.* Rei fiunt injustitiæ, quia violant dominium juste ac legitime acquisitum. Rei fiunt sacrilegii, quia violant rem Deo et Ecclesiæ dicatam ideoque rem sacram. Licet enim principatus civilis Romani Pontificis in se sit quid temporale, nihilominus tum propter factum justæ acquisitionis ac possessionis, Dei speciali Providentia ordinatum in commodum et subsidium exercendi primatus spiritualis, tum propter ipsius nexum utilitatis et aliqualis necessitatis cum primatu spiritualem induit indolem meritoque dicitur principatus sacer. Hinc etiam dicit *Pius IX* in Litt. Apost. 26 Martii 1860: „Principatus Ecclesiæ Romanæ, licet suapte natura temporalem rem sapiat, spiritualem tamen induit indolem, vi sacræ quam habet destinationis, et arctissimi illius vinculi, quo cum maximis Rei christianæ rationibus conjungitur."

6. *Romanus Pontifex non potest libere suum principatum vel partem illius abdicare.* Cum enim temporale dominium Sedi Romanæ, disponente divina Providentia, in bonum totius Ecclesiæ fuerit collatum, Summus Pontifex ex gravissimo sui muneris officio et solemni juramento pro viribus illud tueri integrumque servare tenetur. Quapropter S. Pontifex *Pius VII* suasionibus ac minis respondebat: „absit ut tradam Patrum meorum hereditatem, quam coram Deo et Ecclesia obstringor intactam ad meos successores transmittere."

Corollarium. Ex dictis liquet, in *Syllabo* errorum merito notatas esse has propositiones, 75: „De temporalis regni cum spirituali compatibilitate disputant inter se christianæ et catholicæ Ecclesiæ filii." Et 76: „Abrogatio civilis imperii, quo Apostolica Sedes potitur, ad Ecclesiæ libertatem felicitatemque vel maxime conduceret."

CAPUT IV.

DE INFALLIBILITATE ROMANI PONTIFICIS. (1)

650. I. **Exponitur doctrina.** Infallibilitas Romani Pontificis est *dogma fidei.* Hoc dogma solemniter definivit *Concilium Vaticanum,* Sess. IV. cap. 4, his verbis: „Docemus et divinitus revelatum dogma esse definimus: Romanum Pontificem, cum ex cathedra loquitur, id est, cum omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua Apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam, ipsi in beato Petro promissam ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit; ideoque ejusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiæ irreformabiles esse. Si quis autem huic Nostræ definitioni contradicere, quod Deus avertat, præsumpserit, anathema sit. His verbis ipsa vis doctrinæ de infallibilitate Romani Pontificis clare explicatur. In illa definitione quatuor decernuntur ac credenda proponuntur: 1) Romanum Pontificem *esse infallibilem* cum *ex cathedra loquitur;* 2) eum esse infallibilem per *assistentiam divinam;* 3) illum *ea infallibilitate* pollere, *qua gaudet Ecclesia;* 4) definitiones ex cathedra *ex sese,* non ex consensu Ecclesiæ, *esse irreformabiles.*

Ad doctrinam de infallibilitate Romani Pontificis penitius intelligendam et ad excludendas præposteras notiones atque ad præcavendas plures difficultates, illa quatuor puncta paucis declarare præstat.

651. 1. Romanus Pontifex est infallibilis cum *ex cathedra loquitur.* Quid autem sit locutio seu definitio ex cathedra, distincte exponit ipsum Concilium, quatuor ad eam exigens conditiones: *a)* ex parte *Pontificis*, ut doceat non qua theologus, qua doctus etc., sed *qua doctor et pastor omnium christianorum* pro *suprema* sua auctoritate; *b)* ex parte *materiæ,* ut doceat

(1) Cf. *Bellarminus,* de Rom. Pontif. l. 4. c. 1 sqq.; *Mazzella,* disp. 5. art. 6; *Palmieri,* de Rom. Pontif. th. 25 sqq.; *Jansen,* § 88 sqq.; *De Groot,* q. 15. art. 5 sq.; *Hurter,* n. 407 sqq.; *Scheeben,* Kathol. Dogm. t. 1. § 32; *Heinrich,* Dogm. Theol. t. 2. § 92 sqq.; *Pesch,* n. 507 sqq.; *Tanquerey,* n. 176 sqq.

doctrinam *de fide* vel *moribus; c)* ex parte *formæ,* ut *definiat,* ut definitivam sententiam ferat cum intentione manifestata obligandi ad consensum; *d)* ex parte *termini,* ut ad consensum obliget *universam* Ecclesiam. Hæ conditiones requiruntur et sufficiunt ad definitionem ex cathedra. Neque enim *cathedra apostolica* aliud est, quam suprema auctoritas docendi, cujus definitiva sententia doctrinalis obligat universam Ecclesiam ad consensum. Hinc Pontifex non est infallibilis, quando mere ut doctor privatus librum scribit, quemadmodum Benedictus XIV scripsit opus „De Synodo diæcesana." Neque infallibilis est, cum concionem vel catechesim habet, licet tunc fungatur munere episcopali. Neque ex cathedra loquitur Pontifex, cum e. g. ab episcopo de re dubia rogatus ex officio supremi Pastoris quidem respondet, ast non pro plenitudine suæ auctoritatis ad obligandam universam Ecclesiam. Neque Pontifex censendus est velle definire ex cathedra omnes quæstiones doctrinales, quas tractat in encyclicis missis ad universam Ecclesiam; sed hæc intentio dogmatice definiendi ex ipsis verbis debet certo manifestari. Animadvertatur demum quoad *formam externam* definitionis ex cathedra, nullam esse formulam determinatam, qua Pontifex uti *debeat* ad suam voluntatem definiendi manifestandam. Licet enim sint aliquæ formulæ solemnes, quæ ex praxi cognoscantur exprimere locutionem ex cathedra, et quibus proinde Pontifex numquam utatur nisi loquendo ex cathedra (quales e. g. sunt Bullæ seu Constitutiones dogmaticæ); hæc tamen forma non est essentialis et exclusiva, sed potest Pontifex in definitione ex cathedra alia uti formula, dummodo hæc certo manifestet ipsius voluntatem definiendi, seu dummodo habeat supra laudatas quatuor conditiones, solas necessarias atque sufficientes ad definitionem ex cathedra.

2. Romanus Pontifex est infallibilis *per assistentiam divinam:* quo indicatur causa efficiens infallibilitatis. Quid importet hæc Spiritus Sancti assistentia, diximus supra agentes de infallibilitate Ecclesiæ.

3. Summus Pontifex *ea infallibilitate pollet, qua instructa est Ecclesia:* his verbis præsertim indicatur, *idem esse objectum* seu eamdem esse extensionem infallibilitatis Romani Pontificis et Ecclesiæ docentis. Recolantur itaque quæ supra statuimus

de objecto infallibilitatis Ecclesiæ. Est igitur *fide* certa Romani Pontificis infallibilitas in objecto *directo;* et *saltem theologice certa* ejusdem infallibilitas in objecto *indirecto.*

652. 4. Romani Pontificis definitiones ex cathedra *ex sese, non autem ex consensu Ecclesiæ, irreformabiles sunt:* quibus verbis definitur intrinseca vis definitionis pontificiæ independens a subsequente vel prævertente vel concomitante consensu Ecclesiæ. Hoc definitum est contra Gallicanos, qui (a. 4 decl. gallic.) asseruerunt, judicia Romani Pontificis non esse irreformabilia, nec proinde infallibilia, nisi Ecclesiæ consensus accesserit. „Consensus Ecclesiæ *antecedens*, scribit *Franzelin* (de Trad. et Script.), potest quidem esse objectivum medium, quo Pontifex perveniat in cognitionem doctrinæ ut definibilis: sed non est per se et ex natura rei unicum et necessarium medium cognitionis; possunt enim doctrinæ de fide vel moribus etiam ex aliis fontibus ac mediis cognosci definibiles, et possunt definiri quæstiones etiam intra fines Ecclesiæ hactenus dubiæ et controversæ. Nullo autem modo hujusmodi Ecclesiæ seu Episcoporum consensus sive antecedens aut concomitans sive subsequens necessarius est *per modum judicii authentici concurrentis cum judicio seu definitione Pontificis.* Gallicana sententia hunc consensum Ecclesiæ postulans velut necessarium ad infallibilitatem definitionum Pontificis ita, ut subjectum unicum infallibilitatis esset corpus Ecclesiæ docentis, Pontifex nempe cum Episcopis, jam hæresis est directe et explicite damnata a Concilio Vaticano. Consensus tamen subsequens totius Ecclesiæ semper est *effectus* definitionis Pontificis."

Notetur, aliud esse Romanum Pontificem *ex cathedra* loquentem non posse hæresim docere; aliud eum non posse in hæresim incidere, seu ut personam privatam hæreticum fieri. De hac altera quæstione nihil definivit Concilium Vaticanum nec concordes loquuntur theologi. Vix necesse erit monere, infallibilitatem non confundi debere cum *impeccabilitate:* infallibilitas enim est immunitas ab *errore* non a peccato.

653. Si demum quæritur, quo sensu infallibilitas Romani Pontificis dicatur *personalis*, respondendum est: eam non eo sensu esse personalem, quasi Pontifici ut personæ privatæ in

propriam utilitatem data sit, cum ipsi ut personæ publicæ in utilitatem totius Ecclesiæ collata sit, neque quasi ipse propria virtute et non per assistentiam divinam sit infallibilis. Sed personalis est tum quatenus non potest alteri communicari; tum quatenus non tantum Sedi seu Cathedræ Romanæ vel seriei Pontificum, sed ipsi personæ singuli Pontificis competit; tum quatenus independens est a consensu Ecclesiæ. His præstitutis jam demonstrandum est dogma catholicum.

654. II. **Statuitur doctrina.**

Thesis. Romanus Pontifex ex cathedra loquens est ex sese infallibilis.

Prob. I ex *S. Scriptura:* ex iisdem nempe testimoniis, quibus probavimus primatum, et quæ ipsum etiam Concilium Vaticanum indicat. Et quidem

1. *Ex Matth.* XVI, 18. *a)* Vi verborum Christi Petrus cum suis successoribus, in quibus vivere pergit, constituitur petra seu fundamentum universalis Ecclesiæ, et quidem ratione fidei; Ecclesia enim essentialiter est regnum veritatis, est schola Christi, quæ in fide fundatur et fide regitur. Est igitur Petrus per suam fidem fundamentum fidei Ecclesiæ, seu principium efficiens unitatis ac stabilitatis fidei Ecclesiæ: ideoque soliditas ac immobilitas fidei Ecclesiæ pendet a fide Petri. Atqui fides Ecclesiæ universæ est prorsus immobilis atque infallibilis; ergo fides Petri, utpote principium efficiens illius, et ipsa immobilis atque infallibilis sit oportet. Porro Petrus est infallibilis ut fundamentum Ecclesiæ i. e. cum docet universam Ecclesiam ut supremus Doctor: et infallibilis est ex sese, independenter a consensu Ecclesiæ, nam fundamentum non accipit firmitatem ab ædificio, sed e converso ædificium firmatur a fundamento. Igitur Romanus Pontifex est infallibilis, cum sit successor Petri.

b) Et sane ideo portæ inferi non prævalebunt adversus Ecclesiam, quia fundata est super Petrum ejusque successorem Romanum Pontificem. Atqui portæ inferi sunt potissimum hæreses et schismata. Ergo hæreses non prævalebunt adversus Ecclesiam, quia non prævalebunt adversus eum, qui est petra et firmitas universæ Ecclesiæ. Ille igitur qui est petra Ecclesiæ, nempe Romanus Pontifex, in fide errare non potest seu est infallibilis.

c) Romanus Pontifex in Petro accepit claves regni Christi in terris i. e. plenam, supremam et independentem potestatem; cum autem regnum Christi sit regnum veritatis, hæc potestas complectitur etiam plenum, supremum ac independens magisterium. Atqui hoc supremum magisterium in Ecclesia, quæ in fide est indefectibilis, necessario est infallibile. Ergo.

Hanc interpretationem, qua verbis Christi „Tu es Petrus etc." intelligitur promissa infallibilitas Romani Pontificis, esse catholicam et ab omnibus catholicis indubie tenendam, liquet ex formula fidei præscripta ab Hormisda episcopis orientalibus et ab Hadriano II Patribus Concilii œcumenici VIII, et ab iisdem omnibus subscripta.

655. 2. *Ex Luc.* XXII, 31 sqq.: *„ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua et tu aliquando conversus confirma fratres tuos."* Hæc verba diserte continent infallibilitatem supremi Pastoris. Jam antea vidimus, his verbis promitti Petro infallibile magisterium, quo confirmare debeat universam Ecclesiam in fide. Atqui hoc ita promittitur Petro, ut debeat etiam transire in ejus perpetuos *successores.* Ergo illis verbis promittitur Petri successoribus, seu Romanis Pontificibus infallibilitas in docendo.

Prob. min. Præterquam quod verba Christi ad nullum determinatum tempus restringuntur sed illimitate patent, illis *a)* committitur Petro, qui jam designatus est petra Ecclesiæ contra portas inferi (Matth. XVI), munus confirmandi Ecclesiam in fide contra oppugnationes Satanæ: quod munus confirmandi in fide est præcipuum munus petræ Ecclesiæ: et ut hoc munere confirmatoris rite fungi possit, ipsi promittitur infallibilitas in fide. Atqui officium petræ manere debet in Petri successoribus; ergo et munus confirmatoris, consequenter etiam infallibilitas Petro propter munus confirmandi Ecclesiam promissa. *b)* Munus confirmandi fratres sponte sua consequitur primatum et proinde cum primatu in Petri successores transire debet. Ergo etiam charisma infallibilitatis, quod Christus Petro impetravit ad rite exercendum munus confirmatoris, in Petri successores transire debet. *c)* Oppugnatio Satanæ contra fratres Petri, cui opponitur fides firma ac stabilis Petri, futura est perpetua. *d)* Hæc interpretatio confirmatur sensu traditionali.

656. 3. *Ex Joan.* XXI, 15 sqq. Petrus et quilibet ejus successor constitutus est Pastor supremus et universalis omnium fidelium. Romanus itaque Pontifex jus et officium habet pascendi omnes, quotquot sunt in Ecclesia, fideles et episcopos: et huic juri ac officio respondet in omnibus obligatio sequendi et obediendi. Quando igitur Romanus Pontifex tamquam supremus Pastor Ecclesiam doctrina pascit, universa Ecclesia sequi tenetur. Atqui si Romanus Pontifex ut supremus Pastor docens Ecclesiam erraret in fide, necessario secum traheret in errorem universam Ecclesiam. Jam vero repugnat, universam Ecclesiam errare in fide; ergo etiam fieri nequit ut Romanus Pontifex docens universam Ecclesiam, a quo fides Ecclesiæ necessario pendet, umquam erret in fide: hæc autem impossibilitas errandi in fide est infallibilitas. Ergo.

657. *Prob. II. Ex Traditione,* seu ex perpetua et constanti testificatione universalis Ecclesiæ tam theoretica quam practica. Hæc traditio constat

1. *ex testimoniis Patrum et Theologorum.* Imprimis audiatur præclarum testimonium *S. Irenæi* (Adv. hær. III, 3): „Ad hanc enim Ecclesiam (Romanam) propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est, qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea quæ est ab Apostolis traditio." Et continuo enumeratis Romanis Pontificibus usque ad Eleutherium, dicit fidem Ecclesiæ Romanæ esse „plenissimam ostensionem" fidei apostolicæ. Porro cum his verbis asseratur *necessarius consensus omnium ecclesiarum cum Ecclesia Romana* et quidem ideo, *quia in ea est inconcussa firmitas fidei,* et cum inde inferatur *fidem Ecclesiæ Romanæ esse plenissimam ostensionem fidei apostolicæ,* manifeste asseritur Ecclesiæ Romanæ seu Pontificis Romani infallibilitas. Irenæo plane concinit *Optatus* (l. 2) docens „unam esse et singularem cathedram in Ecclesia, quæ est cathedra Petri, in qua unitas ab omnibus servanda sit." *S. Cyprianus* (ep. 59) docet Petri cathedram et Ecclesiam Romanam esse principium unitatis sacerdotalis, et ad eam non posse accessum habere *perfidiam* i. e. hæresim et schisma: hisce utique clare significatur sedis Romanæ infallibilitas. *S. Hieronymus* (ep. 15) ad Damasum Papam scribens: „apud vos solos incorrupta Patrum servatur

hereditas", intelligit fidem incorrupte servatam a Petri successoribus. Et, ut alia omittamus, *S. Augustinus* (serm. 131) de causa Pelagii ait: „Inde (Roma) rescripta venerunt: *causa finita est:* utinam aliquando finiatur error."

Quod ad *theologos* scholæ attinet, hi jam multis sæculis ante Concilium Vaticanum infallibilitatem Romani Pontificis longe communissima sententia docebant. Omnium nomine audiatur princeps scholæ *S. Thomas* (2. 2. q. 1. a. 10): „Ad illius auctoritatem pertinet finaliter determinare ea, quæ sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur. Hoc autem pertinet ad auctoritatem Summi Pontificis, ad quem majores et difficiliores Ecclesiæ quæstiones referuntur."

658. 2. *Ex solemnibus professionibus fidei,* quibus universa Ecclesia infallibilitatem Romani Pontificis professa est. Sufficiat afferre *formulam Hormisdæ,* cui subscripserunt episcopi circiter 2500: jam initio sæc. VI episcopi quotquot a schismate Acaciano ad unitatem catholicam redibant, et postea Patres Concilii œcumenici VIII tam græci quam latini. Formula ita habet: „Prima salus est regulam rectæ fidei custodire et a constitutis patrum nullatenus deviare. Et quia non potest Domini nostri Jesu Christi prætermitti sententia dicentis: Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, hæc quæ dicta sunt rerum probantur effectibus, *quia in Sede Apostolica immaculata est semper catholica servata religio.* Ab hujus ergo fide et doctrina separari minime cupientes . . . . . sequentes in omnibus Apostolicam Sedem et prædicantes ejus omnia constituta, spero, ut in una communione vobiscum, quam Sedes Apostolica prædicat, esse merear, *in qua est integra et verax christianæ religionis soliditas."* Hæc formula constituit testimonium luculentissimum universalis fidei in infallibilitatem Romani Pontificis. Nam ab una parte hæc formula habebatur ut tessera orthodoxiæ et qua talis subscripta fuit ab ingenti numero episcoporum. Ab altera parte in ea plenissime continetur doctrina de infallibilitate Summi Pontificis: etenim *a*) in ea asseritur *factum* infallibilitatis: „in Sede Apostolica immaculata est *semper* catholica servata religio." *b)* Hujus facti *ratio* redditur verbis Domini ad Petrum: *Tu es Petrus* etc. quæ cum *semper* vera sint et ad omnes spectent Petri successores, similem *semper* effectum habent. *c)* Hujus

divini consilii indicatur finis: „in qua est integra et verax christianæ religionis soliditas;" ad hanc enim soliditatem obtinendam firmata est cathedra Petri quæ est Ecclesiæ fundamentum. *d*) Hinc infertur dissensum a Sede Apostolica separare a communione Ecclesiæ catholicæ.

659. 3. *Ex sensu practico totius antiquitatis.* Ut pauca tantum attingamus: *a*) Tot consultationes undique Sedi Apostolicæ propositæ supponebant, omnibus persuasum fuisse, inde fluere puros fontes doctrinæ apostolicæ.

b) Fides Sedis Apostolicæ semper habebatur tuta norma orthodoxiæ. Ideo qui communione jungebatur Romano Pontifici, verus censebatur catholicus.

c) Sententia Summi Pontificis in quæstionibus fidei habebatur peremptoria ac definitiva.

d) Plures hæreses solius Romani Pontificis sententia damnatæ sunt. Abstinemus ab aliis proferendis. Cf. *Palmieri*, De Rom. Pont. th. 25; et *Hurter*, Comp. Theol. Dogm. tom. I, n. 418 sqq.

Hoc unicum juvat addere, quod scribit ipse *Tournely* (De Rom. Pont. q. 5. a. 3), cui propter „libertates Gallicanas" non licebat infallibilitatem Romani Pontificis defendere: „Non dissimulandum, ait, difficile esse, in tanta testimoniorum mole, quæ Bellarminus et alii congerunt, non recognoscere Apostolicæ Sedis seu Romanæ Ecclesiæ certam et infallibilem auctoritatem; at longe difficilius esse ea conciliare cum declaratione cleri Gallicani, a qua recedere nobis non permittitur."

660. III. *Solvuntur objectiones.* Non vacat respondere omnibus objectionibus, quæ ab osoribus infallibilitatis Romani Pontificis contra dogma catholicum fiunt. Ceterum quædam tam inanes sunt, ut peculiari solutione non indigeant; quædam vero in tradita notione et demonstratione dogmatis jam præoccupatæ sunt vel ex ea facile diluuntur. Quare nonnullas præcipuas difficultates hic peculiariter proponere et breviter expendere sufficiet.

Obj. I. Argumenta, quæ ex Scriptura et Traditione afferuntur pro infallibilitate Romani Pontificis, probant tantum Sedem Romanam non vero Pontificem Romanum esse infallibilem; nam, ut ait *Leo M.* (Ep. 106, n. 5), „aliud sunt sedes, aliud præsidentes." Ergo. Ita cum *Launoio* Gallicani.

Resp. Nego antec. et *nego consequens.* Quoad confirmationem ex verbis S. Leonis *dist.:* S. Leo distinguit inter sedem et sedentem sensu gallicano, *nego;* sensu alio, *conc.* Hæc objectio nititur falsa et absurda Gallicanorum distinctione inter sedem et sedentem, quasi variæ prærogativæ, nominatim infallibilitas, pertinerent ad sedem apostolicam non vero ad sedentem in ea seu Romanum Pontificem. Quæ ut melius intelligantur, juverit paucis exponere, quo sensu distinctio inter sedem et sedentem admitti possit, quo autem sensu ea omnino rejicienda sit. Itaque

1. *Recte distinguitur sedens a sede a) quatenus prærogativæ et jura sedis non pendent a personalibus meritis vel demeritis sedentis* pro tempore: hoc sensu dixit S. Leo: „aliud enim sunt sedes, aliud præsidentes." *b) Quatenus sedes perpetuo durat, sedens vero moritur.* Defuncto enim Pontifice manet sedes, sed *vacans,* qua formula ipsa significatur, deesse subjectum auctoritatis sedis.

2. *Falso autem et absurde distinguitur sedens a sede quatenus essent prærogativæ quæ competerent quidem Sedi Romanæ, non vero Pontifici Romano.* Enim vero subjectum omnium jurium et prærogativarum Sedis Romanæ esse ipsam personam Romani Pontificis, ex institutione Christi manifestum est. Sane Christus contulit uni homini, nempe Petro, primatum cum omnibus juribus et prærogativis opportunis; voluitque, ut hæc institutio perpetuo in Ecclesia maneret, utque adeo primatus cum omnibus juribus et prærogativis in ejus successores transiret. Atqui successores Petri sunt Romani Pontifices, et quidem pro quolibet tempore est unus tantum, sicut primitus unus erat Petrus primas Ecclesiæ. Ergo unicuique Pontifici, in Sede Romana pro tempore sedenti, et non toti seriei Pontificum simul sumptæ, inest primatus cum omnibus prærogativis, adeoque et infallibilitas. Quare in Conciliis *Florentino* et *Vaticano* definitum est, Romanum Pontificem esse successorem B. Petri, ipsique in persona Petri traditam esse supremam et plenam potestatem pascendi et regendi Ecclesiam.

Ex dictis liquet, falsum prorsus esse quod docet *Bossuet* (Defensio l. 10, c. 5), totam quidem seriem Romanorum Pontificum, non vero singulum Pontificem esse infallibilem.

661. *Obj. II.* Quæ infallibiliter definita sunt non debent

iterum examinari; atqui definitiones Pontificum haud semel in Conciliis œcumenicis iterum examinatæ et non nisi post accuratum examen confirmatæ sunt; ergo definitiones Pontificum non censebantur infallibiles.

Resp. Dist. Maj.: definitio infallibilis non debet iterum examinari examine *dubitativo,* in ordine ad assensum vel dissensum, *conc.;* examine *confirmativo, nego. Contradist. min.:* definitiones Pontificum in Conciliis œcumenicis iterum examinatæ sunt examine *dubitativo, nego;* examine *confirmativo, conc. Nego itaque consequens.* Sane fas non est, doctrinam infallibiliter definitam retractare et examinare eo fine ut constet, utrum sit certo tenenda nec ne, cum talis doctrina propter infallibilem definitionem sit ab omnibus certo et firmiter tenenda. Ast nihil obstat, quominus hujusmodi doctrina iterum examinetur, ut, sicut ait *S. Leo* (Ep. 120 ad Theodoretum n. 1) „ipsa veritas clarius renitescat et fortius retineatur," ut nempe melius intelligatur, novis argumentis ex revelatione præsertim desumptis confirmetur et contra hæreticos vindicetur ac defendatur. Hoc modo Concilia œcumenica non semel examini subjecerunt decreta dogmatica Conciliorum antecedentium. Sic e. g. Concilium Florentinum, ex consensu Summi Pontificis, iterum examinavit solemnes definitiones Conc. Lugdunensis II de processione Spiritus S. et de primatu Romani Pontificis. Hoc modo theologi de dogmatibus catholicis examen instituunt.

Instabis. Definitiones Romanorum Pontificum non censebantur infallibiles, ne ab ipsis quidem Pontificibus, nisi postquam a Conciliis confirmatæ essent. Id patet e. g. ex iis quæ scribit *S. Leo* ad Theodoretum, post peractum Conc. Chalcedonense, in quo suam epistolam dogmaticam retractari permiserat, aiens: „Quæ nostro prius ministerio definierat (Deus), universæ fraternitatis *irretractabili firmavit assensu;*" et subdens: „sic summorum servatur auctoritas, *ut in nullo inferiorum putetur imminuta libertas.*" Ergo.

Resp. Nego antec. et *nego consequens.* Ad probationem: illud *irretractabili assensu* Leonis non afficit definitionem pontificiam, ita ut sensus esset ipsam definitionem tantum per consensum episcoporum evasisse irreformabilem; sed afficit ipsum consensum episcoporum, quem Leo dicit „irretractabilem"

propter illorum definitioni pontificiæ adhæsionem. Id constat tum *a*) quia ipse Leo Imperatorem ante Concilium monuerat (Ep. 82), „ne cujusquam procaci impudentique versutia, *quasi de incerto* quid sentiendum sit, sineret inquiri, nec cujusmodi sit fides tenenda esse tractandum;" et (Ep. 90) eidem inculcavit, ne pateretur fidem *quasi dubiam* in synodo retractari. Tum *b*) quia ipsi Patres Concilii Chalcedonensis arbitrati sunt, sibi fas non esse a Leonis epistola dissentire, quam ideo in sessione secunda summo cum plausu receperunt et initio sessionis quartæ ut regulam fidei acclamarunt. Tum *c*) quia hoc ostendunt ipsa verba objecta: „Quæ (*Deus*) nostro prius ministerio definierat;" secus absurde dici deberet, posse reformari quæ ab ipso Deo definita sint. Hinc liquet etiam, libertatem inferiorum episcoporum a S. Leone agnitam fuisse libertatem *examinandi* non vero *dissentiendi*.

662. *Obj. III.* Dicunt adversarii, infallibilitatem Romani Pontificis nullatenus posse admitti, cum ex historia constet plures Pontifices in errores turpissime lapsos esse.

Ad has objectiones primo *generatim* notamus, adversarios hujusmodi facta congerendo nihil contra infallibilitatem efficere, nisi *certo* probent aliquem Pontificem *in definitione ex cathedra* revera *errasse*. Jamvero hujusmodi factum certum hucusque nondum allatum est. Non possumus omnia examinare facta, quæ ab adversariis afferuntur, quorum tamen numerus decursu temporis jam valde est imminutus. Sufficiet pro nostro instituto breviter expendere unum vel alterum, cui maxime confidunt osores infallibilitatis pontificiæ, pro aliis remittentes ad auctores, nominatim historicos, qui de hisce fusius agunt. (1)

663. A. *Liberius* Papa dicitur formulæ Sirmiensi arianæ vel semi-arianæ subscripsisse.

Resp. 1. *Non certo constat, Liberium ulli formulæ Sirmiensi subscripsisse.* De genuinitate enim testimoniorum SS. Hieronymi, Hilarii et Athanasii, quæ ad probandum factum afferuntur, disputatur; imo fragmenta Hilarii, ad quæ maxime provocant adversarii, ab optimis criticis etiam ex adversa parte censentur documenta spuria.

2. Si Liberius alicui formulæ Sirmiensi subscripserit *certo*

(1) Conferri inter alios possunt *Bellarminus,* de Rom. Pontif.; *Denziger,* Enchir.; *Hefele,* Conciliengesch.; *Jungmann,* Dissert. in hist. eccles.

non subcripsit formulæ secundæ, quæ sola erat aperte hæretica; hanc enim damnavit, ut constat ex *Sozomeno* (Hist. eccl. l. 4, c. 15). Tres enim vel quatuor sunt formulæ Sirmienses, quarum sola secunda est hæretica; aliæ autem sensu catholico intelligi possunt, licet non totam veritatem de consubstantialitate Verbi tradant, cum vocem „consubstantialem" non contineant. Liberium non subscripsisse secundæ formulæ arianæ, contrariæ fidei Nicænæ, constat etiam ex eo, quod semper postulavit, ut Ariani, qui cum Ecclesia reconciliari vellent, symbolo Nicæno subscriberent.

3. Etiamsi Liberius formulæ hæreticæ subscripsisset, hæc subscriptio utpote vi et fraude extorta fuisset quidem peccatum, *nullatenus tamen definitio ex cathedra* adeoque infallibilitati pontificiæ nullo modo officeret. (1)

664. B. *Honorius* Papa dicitur docuisse hæresim monotheleticam in duabus epistolis ad Sergium Patriarcham Constantinopolitanum, et idcirco in Concilio œcumenico VI ut hæreticus damnatus esse.

Resp. 1. *Certum est, Honorium in istis epistolis nullam edidisse definitionem ex cathedra.* Etenim *a*) Sergius non rogaverat Honorium definitionem fidei, sed quæstionem *practicam* de usu vocabulorum unius vel duplicis operationis in Christo proposuerat et tantum approbationem *prudentis silentii* quoad hæc vocabula petierat. *b*) Ipsa Honorii verba omnem definitionem dogmaticam manifeste excludunt: „Utrum autem, ait in prima epistola, propter opera divinitatis et humanitatis *una an geminæ operationes* debeant derivatæ dici vel intelligi, *ad nos ista pertinere non debent, relinquentes ea grammaticis;*" et in secunda scribit: „*Non nos oportet* unam vel duas operationes *definientes* prædicare." Quare Honorius in suis ad Sergium litteris nullibi præcipit, sed solum *hortatur* et, prout postulaverat Sergius, consulit abstinendum esse a *vocabulo* unius vel geminæ voluntatis. *c*) Epistolæ Honorii non fuerunt promulgatæ, sed usque ad ejus mortem ignotæ manserunt, quod sane cum definitione ex cathedra ab universa Ecclesia tenenda nullatenus componi potest.

2. *Honorius in suis ad Sergium epistolis non docuit hæresim*

(1) De lapsu Liberii conferri possunt *Stilting,* Boll. Acta Sanct. t. 46, p. 572 sqq.; *Hefele,* op. cit. (ed. 2) 1. p. 682 sqq.; *Jungmann,* op. cit. t. 2. p 31 sqq.

monotheleticam. Nam *a*) doctrinam catholicam aperte profitetur. Sic in secunda epistola scribit: „Quantum ad dogma ecclesiasticum attinet... non unam vel duas operationes in Mediatore Dei et hominum definire, sed *utrasque naturas in uno Christo unitate naturali copulatas, cum alterius communione operantes atque operatrices, confiteri debemus, et divinam quidem, quæ Dei sunt, operantem et humanam, quæ carnis sunt, exsequentem*, non divise neque confuse aut convertibiliter Dei naturam in hominem et humanam in Deum conversam edocentes, sed naturarum differentias integras confitentes." Sane qui profitetur in Christo esse *duas naturas* indivise, inconfuse, inconvertibiliter *propria operantes,* is manifeste etiam profitetur in Christo esse duas distinctas voluntates et operationes, divinam et humanam. *b*) Quando nihilominus Honorius fatetur *unam voluntatem* Christi, non negat duas voluntates distinctas, sed excludit in natura humana Christi voluntatem *contrariam* voluntati divinæ, et significat in Christo duas voluntates esse *moraliter unam* sine ulla rebellione ex parte voluntatis humanæ. Id manifestum est ex ipsis verbis Honorii in prima epistola scribentis: „Unde et unam voluntatem fatemur D. N. J. Christi, *quia* profecto a divinitate assumpta est nostra natura, *non culpa:* illa profecto, quæ ante peccatum creata est, non quæ post prævaricationem vitiata... Non est itaque assumpta a Salvatore vitiata natura, *quæ repugnaret legi mentis ejus.*" *c*) Id confirmatur authentica interpretatione *Joannis IV,* Honorii secundi successoris, qui in sua pro Honorio apologia scribit: „Prædictus ergo decessor meus (Honorius) docens de mysterio incarnationis Christi dicebat, non fuisse in eo, sicut in nobis peccatoribus, *mentis et carnis contrarias voluntates:* quod quidam ad proprium sensum convertentes, divinitatis ejus et humanitatis unam eum voluntatem docuisse suspicati sunt, quod veritati omnimodis est contrarium." Eodem sensu Honorii verba explicant duo alii testes coævi, *S. Maximus* (in Disp. cum Pyrrho) et *Joannes Abbas,* cujus ministerio in scribendis epistolis usus est Honorius.

3. Quod ad Honorii damnationem attinet, Honorius a Concilio œcumenico VI damnatus fuit *non quia hæresim docuit* aut definivit; sed quia a Sergio deceptus, omittendo definitionem et inopportunum silentium commendando *hæresi*

favit. Quidquid enim est de sensu, quo Patres concilii hanc Honorii damnationem intenderint, certum est prædictam concilii damnationem non nisi sensu a nobis indicato a Romano Pontifice esse approbatam, a qua approbatione omnis ejus efficacia pendet. Id patet *a*) ex ipsa epistola, qua *Leo II* Papa Concilium VI approbat: in hac enim ceteros a concilio damnatos vocat *novi erroris inventores;* de Honorio omnino aliter loquitur scribens: „necnon et Honorium, qui hanc apostolicam Ecclesiam *non* apostolicæ traditionis doctrina *lustravit,* sed profana proditione immaculatam maculari *permisit.*" *b*) Ex ejusdem Leonis II epistola ad episcopos Hispaniæ, in qua scribit: „Aeterna damnatione mulctati sunt Theodorus, Cyrus ... cum Honorio, qui flammam hæretici dogmatis non, ut decuit apostolicam auctoritatem, incipientem extinxit, sed *negligendo* confovit." (1)

665. C. *Judicium latum in causa Galilæi* multo minus pertinet ad quæstionem de infallibilitate Romani Pontificis, cum illud ne speciem quidem habeat definitionis ex cathedra. Illud enim judicium latum est a SS. Congregationibus Indicis et Inquisitionis (per decreta 5 Martii 1616 et 22 Jun. 1633). Jamvero omnes norunt, decisiones Congregationum, etiam a S. Pontifice approbatas et ejus nomine editas, non esse infallibiles, nisi S. Pontifex eas suas faciat proprioque nomine edat cum conditionibus ad definitionem ex cathedra requisitis; hoc autem quoad decreta in causa Galilæi edita factum non esse certissime constat. Etiamsi ergo ista decreta habeantur non ut mere disciplinaria, sed ut doctrinalia, etiamsi insuper censeantur jussu et cum approbatione S. Pontificis edita, ex iis nihil contra infallibilitatem pontificiam inferri posse in propatulo est.

666. *Obj. IV.* Si S. Pontifex dicitur infallibilis, ejus auctoritas, aiunt, est vere despotica, omnemque cogitandi libertatem perimit.

Resp. Retenta genuina ac catholica notione infallibilitatis pontificiæ liquet, auctoritatem infallibilem Romani Pontificis

---

(1) De causa Honorii consuli possunt inter alios *Ballerini,* de vi et ratione Primatus c. 15, § 9; *Hefele,* op. cit. B. III; *Jungmann,* op. cit. p. 383 sqq.; *Bottemanne,* de Honorii P. epist. corruptione.

non magis despoticam esse et cogitandi libertatem perimere quam infallibilem auctoritatem ipsius verbi Dei, cujus authenticam interpretationem tradit. Cum autem vera libertas cogitandi non consistat in facultate errandi, sed in facultate non impedita amplectendi veritatem cognitam, auctoritas certo ac tuto nobis monstrans veritatem, nedum libertati cogitandi noceat, eam potius auget et promovet. Neque magis minuitur libertas investigandi per definitiones infallibiles Pontificis quam per progressum scientiæ, quo jam plures veritates ut certo cognitæ habentur. Ceterum, ut ait *Leo XIII* (Encycl. *Libertas,* 20 Jun. 1888): „Prætereundum non est, immensum patere campum, in quo hominum excurrere industria, seseque exercere ingenia libere queant: res scilicet quæ cum doctrina fidei morumque christianorum non habent necessariam cognationem, vel de quibus Ecclesia, nulla adhibita sua auctoritate, judicium eruditorum relinquit integrum ac liberum."

667. **Scholion I.** *Utrum unum an duplex sit subjectum infallibilis magisterii ecclesiastici?* Ut sensus hujus quæstionis rite intelligatur, animadvertendum est, non quæri, utrum coetus Episcoporum cum Romano Pontifice ut suo capite docens sit infallibilis: hoc enim omnes catholici concordes docent. Sed quæritur, utrum episcopi eatenus tantum sint infallibiles, quatenus infallibilitas Summi Pontificis in alios episcopos derivetur; an etiam collegio Episcoporum cum Romano Pontifice ut suo capite qua tali immediate conveniat infallibilitas, quæ sit independens ab infallibilitate Summi Pontificis ex cathedra loquentis et quæ immediate sit a Spiritu Sancto assistente ipsi cœtui sic considerato. Quæritur itaque, utrum tantum unum sit subjectum immediatum infallibilitatis, nempe Romanus Pontifex; an sit duplex, scilicet et Romanus Pontifex solus ex cathedra loquens, et cœtus Episcoporum cum Romano Pontifice ut suo capite docens. Circa hanc quæstionem non conveniunt theologi. Sententiam asserentem, unum tantum esse subjectum immediatum auctoritatis infallibilis, nempe Romanum Pontificem, strenue propugnat *Palmieri,* De Rom. Pont. th. 26. Altera sententia, quam ex recentioribus inter alios tuentur *Franzelin, Scheemann, Pesch*, admittit duo subjecta immediata auctoritatis infallibilis inadæquate distincta. Ita e. g. *Franzelin* (De div. trad. et Script. ed. 2.

p. 117): „*Subjectum infallibilitatis*.... non est duplex adæquate distinctum; sed est tum visibile caput Ecclesiæ per se spectatum, tum hoc ipsum visibile caput velut componens et informans corpus Ecclesiæ docentis, quæ ipsamet sic *constituta* (corpus cum capite) est infallibilis per assistentiam Spiritus veritatis." Nam ut antea (p. 73) dixerat, „corpus Ecclesiæ docentis non est simpliciter Ecclesia docens, cui promissa est assistentia veritatis et tutela Christi in docendo, nisi quatenus suo visibili capite velut informatur, ut sit simpliciter Ecclesia docens." Huic ultimæ sententiæ videtur favere tum *a)* duplex distincta promissio divina infallibilitatis: una facta soli Petro (Matth. XVI, Luc. XXII, Joann. XXI), altera facta cœtui Episcoporum, Petro utique ut capiti adunatorum (Matth. XXVIII, 20, Joann. XIV); tum *b)* doctrina Concilii Vaticani comparantis infallibilitatem Romani Pontificis ex cathedra loquentis cum infallibilitate Ecclesiæ docentis, et declarantis utriusque eamdem esse; tum *c)* modus diversus quo ante definitionem Vaticanam in Ecclesia tenebatur infallibilitas Romani Pontificis et infallibilitas concilii œcumenici.

668. **Scholion II.** *De auctoritate Syllabi.* (1) *Syllabus Pii IX* est elenchus errorum, qui nomine Pontificis a cardinali Antonelli ad omnes episcopos catholicos missus est. Titulus hujus documenti est: „Syllabus complectens præcipuos nostræ ætatis errores, qui notantur in Allocutionibus consistorialibus, in Encyclicis aliisque apostolicis Litteris Sanctissimi Domini Nostri Pii Papæ IX." Jam vero *Syllabo competit auctoritas infallibilis,* saltem eo sensu, quod omnes propositiones in Syllabo contentæ sunt infallibili judicio damnatæ. Licet enim nonnulli dubitaverint, utrum ipse Syllabus per se sit definitio ex cathedra; tamen propositiones, quarum Syllabus est authentica collectio, tum aliis documentis, tum encyclica „Quanta cura" a Summo Pontifice damnatæ sunt cum manifesta voluntate obligandi universam Ecclesiam ad eas rejiciendas. Hoc ceteroquin etiam constat ex consensu omnium episcoporum catholicorum, cum hodie jam nulli catholico permittatur

(1) Cf. *Mazzella,* disp. 5. art. 6 in nota ad n. 1052; *De Groot,* q. 15. art. 6. pag. 152 sqq.; *Pesch,* n. 520; *Hurter,* n. 513.

propositiones Syllabi defendere. Hinc ab omnibus catholicis *tenendum est assensu indubio,* propositiones in Syllabo contentas esse *reprobandas* et cavendas.

Quæ vero nota singulis propositionibus conveniat, et quo sensu singulæ sint damnatæ, discendum est partim ex documentis, unde illæ propositiones desumptæ sunt, partim ex subjecta materia.

TRACTATUS IV.

DE FIDE DIVINA.

Prænotanda. Tractatus nexus cum præcedentibus, momentum et divisio.

669. I. **Nexus cum præcedentibus.** In tribus prioribus tractatibus demonstravimus existere revelationem, universamque doctrinam revelatam, depositam in S. Scriptura et Traditione, concreditam esse Ecclesiæ, infallibili auctoritate præditæ, custodiendam, docendam, et proponendam. Hanc doctrinam a Deo revelatam ab Ecclesia ex Scriptura et Traditione propositam omnes homines amplecti tenentur. Actus autem, quo singuli homines veritatem revelatam amplectuntur, est *fides*. Priusquam igitur de singulis veritatibus revelatis, ab Ecclesia propositis, agamus, de fide disserere, ejusque naturam inquirere necesse est.

670. II. **Momentum.** Quanti momenti sit hæc disputatio, liquet ex fidei dignitate et excellentia. Est enim fides, ut quædam tantum innuamus, 1. *Ecclesiæ fundamentum,* ita ut hæc in fide firmissime fundata existat arx inexpugnabilis veritatis, atque institutum salutis; 2. *„humanæ salutis initium,* fundamentum et radix justificationis, sine qua impossibile est placere Deo et ad filiorum ejus consortium pervenire" *(Conc. Tridentinum,* Sess. VI. c. 8); 3. *novum lumen* rationis lumini superadditum, *tuta pharus* in tot errorum ac dubiorum caligine, *robur et solatium* in hujus vitæ molestiis ac miseriis, ideoque *speciale Dei donum;* 4. *aurora ac prælibatio visionis beatificæ,* nam *hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum et quem misisti Jesum Christum* (Joan. XVII, 3), modo obscure per fidem, in altera vita clare per visionem; 5. *præstantissimum obsequium,* quo homo nobilissimas suas facultates, intellectum et voluntatem, divinæ auctoritati subjicit ac immolat. (Cf. *Hurter,* Theol. Dogm. Compend. t. 1. n. 454).

671. III. **Tractatus divisio.** Ut doctrinam de Fide ex ordine proponamus, tractatum in quatuor dispescimus capita. 1mum erit *de natura fidei;* 2dum *de actu fidei;* 3um *de proprietatibus fidei;* 4um *de regula fidei deque fidei ad rationem habitudine.*

CAPUT I.

DE NATURA FIDEI.

672. Ad dignoscendam naturam fidei maxime considerandum venit ejus objectum tum materiale tum formale. Præmissis igitur notione ac divisionibus fidei, de utroque ejus objecto in hoc capite distincte disseremus. Agemus itaque totidem distinctis articulis 1. de notione et divisionibus; 2. de objecto materiali; 3. de objecto formali seu motivo fidei.

Art. I. **Notio et divisiones fidei.** (1)

673. **Notio generica fidei.** Ad nomen ipsum quod spectat, vocabulum *fides* tum apud profanos, tum apud sacros auctores plures significationes obtinuit. Usurpatur ad significandam tam perfectionem *voluntatis,* quam perfectionem *intellectus.*

1. Prout refertur ad *voluntatem* significat *a) fidelitatem* in servandis promissis. „numquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit?" (Rom. III, 3); *b) promissionem ipsam:* „primam fidem (i. e. promissionem castitatis) irritam fecerunt" (1 Tim. V, 12); *c) fiduciam,* quam generat fidelitas in promissis: „modicæ fidei, quare dubitasti?" (Matth. XIV, 31); *d) constantiam* in implendo suo munere: „euge serve bone et *fidelis*" (Matth. XXV, 21).

2. Ut refertur ad *intellectum* fides significat *a) quemlibet assensum* intellectus, ad unam partem determinatum: ita potest intelligi illud *Augustini* (de Prædest. Sanct. c. 2): „credere est cum assensione cogitare;" *b) conscientiam:* „omne

(1) Cf. *Suarez,* de Fide, disp. 1. s. 1; *Mazella,* de virt. infus. disp. 2. art. 1; *Scheeben,* kathol. Dogm. t. 1. n. 617 sqq.; *Heinrich,* Dogm. Theol. t. 1. § 55 sq.; *Jansen,* Theol. fundam. § 104 sq.; *Brouwer,* Dissert. de Fide divina, cap. 1; *Tanquerey,* de Fide, n. 1 sqq.

quod non est ex fide, peccatum est" (Rom. XIV, 23); *c) communissime et proprie significat assensum testimonio fundatum.*

Fides itaque sensu *stricto* ac *proprio* accepta est *assensus intellectus in veritatem propter auctoritatem testantis.* Est igitur fides proprie actus intellectus, qui nititur non instrinseca rei veritate perspecta sed testimonio alterius, et quo *fidentes* scientiæ ac veracitati seu auctoritati dicentis, propter hanc, assensum præstamus illis, quæ dicit. Porro hæc fides proprio sensu accepta distinguitur in *humanam* et *divinam,* prout testimonio vel humano vel divino nititur. Hæc duo itaque comprehenduntur sub eodem genere tamquam duæ species essentialiter distinctæ. Nam licet fides divina in notione generica cum fide humana conveniat, specifice tamen et essentialiter ab ea differt, præsertim ratione motivi seu objecti formalis. De fide autem divina hoc tractatu agimus.

674. II. **Notio fidei divinæ.** Veram fidei divinæ seu theologicæ notionem ac indolem dilucide declarat *Conc. Vaticanum* (Const. Dogm. *de Fide,* c. 3). Inculcata prius fidei necessitate contra Rationalistas, ad exponendam notionem fidei divinæ progrediens eam ita definit: „Hanc vero fidem, quæ humanæ salutis initium est, Ecclesia catholica profitetur, *virtutem esse supernaturalem, qua Dei aspirante et adjuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest.*" Hisce Concilii verbis fides divina distincte definitur, tum quatenus est habitus seu virtus theologica, tum quatenus est actus. Ut autem hæc vera ac catholica notio fidei plenius intelligatur et ut inde ab initio præ oculis habeatur catholica doctrina in hac disputatione exponenda, juverit paucis indicare essentialia elementa ac proprietates fidei, quæ hac authentica definitione enuntiantur, vel ex ea deducuntur et in decursu memorati capitis ab ipso Concilio declarantur. Itaque

1. Fides divina est *formaliter actus intellectus* assentientis veritati, fide enim a Deo „revelata *vera* esse credimus."

2. Est actus intellectus *imperatus a voluntate,* nam intellectus assentitur veritati revelatæ „non propter intrinsecam

rerum veritatem perspectam," ideoque a voluntate ad assensum est determinandus. Hinc fide *voluntatis* quoque obsequium Deo præstamus.

3. *Objectum materiale* fidei divinæ, seu illud quod credimus, sunt veritates a Deo revelatæ. *Objectum vero formale,* seu motivum propter quod credimus veritates revelatas, est „*auctoritas Dei revelantis,* qui nec falli nec fallere potest."

4. Fides divina est *supernaturalis,* est enim fides virtus supernaturalis ejusque actus elicitur „Dei aspirante et adjuvante gratia."

5. Fides divina est essentialiter *libera,* est enim assensus præstitus veritatibus revelatis non propter intrinsecam rerum evidentiam, sed propter medium extrinsecum, auctoritatem scil. Dei revelantis, ex imperio liberæ voluntatis. Hinc Concilium can. 5 explicite damnat eos, qui dicunt „assensum fidei christianæ non esse liberum."

6. Fides divina est assensus *firmissimus, super omnia,* talem enim postulat motivum auctoritatis Dei revelantis atque elicit intellectus lumine supernaturali illustratus ac roboratus. Est etiam assensus *simpliciter certus* et *absolute verus,* utpote elicitus propter auctoritatem Dei infallibilem et sub influxu gratiæ, ideoque etiam *irrevocabilis.*

Sua dogmatica definitione Conc. Vaticanum nihil aliud præstitit, quam distincte exhibere illam fidei divinæ et salutaris notionem, quam expressam invenimus in *SS. Litteris,* nominatim in loco classico (Hebr. XI, 1), ad quem ipsum appellat Conc. suæ definitioni continuo subjungens: „est enim fides, testante Apostolo, *sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium,*" et quam constanter tradidit ac docuit Ecclesia, uti videre est in omnibus fidei divinæ definitionibus, in anterioribus Ecclesiæ documentis, apud SS. Patres et Theologos scholæ occurrentibus. Cf. *Brouwer,* de Fide divina dissert. Dogm. C. I. art. 2.

675. III. **Notiones falsæ.** Ex dictis liquet, falsas esse omnes illas fidei christianæ notiones, quæ ab exposita unice vera ac genuina notione abludant. Quare falsam fidei notionem tradunt, qui sive cum Protestantibus fidem justificantem dicunt esse *fiduciam* in misericordia Dei (quæ est actus voluntatis, non vero intellectus), sive cum Pietistis et Sentimentalistis

fidem in *interiore animi sensu* ac *instinctu quodam religioso* constituunt. Pariter notionem fidei pervertunt illi, qui „scientiam humanam et fidem divinam perperam commiscentes" docent, vel cum Hermes *omnem firmam persuasionem ex rationibus cogentibus theoreticis vel practicis* esse fidem, vel cum Gunther *omnem cognitionem mediatam,* sive hæc nitatur testimonio, sive sit conclusio ex effectibus (scientia a posteriori), fidem dicendam esse.

676. IV. **Divisiones fidei.** 1. Fides divina dupliciter sumitur: vel pro *fide objectiva*, *quæ* creditur (objectum fidei); vel pro fide *subjectiva, qua* creditur. Hæc fides subjectiva, de qua hic proprie agimus, et cujus notionem supra definivimus, iterum varie distinguitur.

2. Dividitur in fidem *habitualem* et *actualem.* Fides *habitualis* est ipse habitus supernaturalis fidei, seu virtus theologica per se infusa, qua actus fidei, cum auxilio gratiæ actualis, eliciuntur; fides *actualis* est ipse actus credendi seu actus, quo, Dei aspirante et adjuvante gratia, intellectus ex imperio voluntatis firmiter assentitur veritati revelatæ propter auctoritatem Dei revelantis.

3. Distinguitur in fidem *formatam* et *informem.* Fides *formata* illa dicitur, quæ annexam habet caritatem, qua, tamquam forma extrinseca, perficitur; *informis* vero, quæ sine caritate existit; hæc tamen etiam est vera fides et donum Dei. Cum hac distinctione fere coincidit altera: in fidem *vivam,* quam scl. observatio mandatorum comitatur, seu quæ „per caritatem operatur"; et *mortuam,* quæ est sine mandatorum observatione.

4. Dispescitur in fidem *explicitam,* qua creditur veritas, in seipsa et in propriis terminis cognita; et *implicitam,* qua creditur veritas ut contenta in alia, quæ explicite creditur.

5. Dividitur in fidem simpliciter *divinam,* qua creditur veritas revelata, non sufficienter ut revelata ab Ecclesia proposita; et *divino-catholicam* seu *catholicam,* qua creditur veritas revelata et qua talis ab Ecclesia omnibus credenda proposita. Cum hoc discrimen desumatur ex modo, quo divina revelatio homini certo innotescat, patet illud tantum accidentale esse; omnis fides catholica est etiam divina seu theologica, sed non omnis fides divina est catholica. Ab utraque probe distinguenda

est fides *ecclesiastica,* qua tenetur aliquid ab Ecclesia non ut revelatum sed ut verum propositum: hæc vocatur etiam *mediate divina,* quia auctoritas infallibilis Ecclesiæ, quæ est motivum talis assensus, est a Deo revelata. Ab hisce omnibus demum distingui debet *assensus theologicus,* qui præstatur veritati, virtualiter tantum revelatæ et ope rationalis discursus ex revelatione deductæ ac nondum ut veræ ab Ecclesia definitæ; theologicus assensus etiam vocatur ille, qui veritati formaliter quidem revelatæ præstatur, non tamen quatenus hæc creditur propter auctoritatem Dei revelantis, sed quatenus cognoscitur ut conclusio per demonstrationem ex præmissis revelatis deducta.

6. Demum pro diverso respectu, quo unus idemque actus fidei refertur ad Deum, ut ad suum objectum *materiale,* et *formale,* atque suum *finem ultimum,* dicimur per actum fidei divinæ: *credere Deum, credere Deo, credere in Deum.*

Art. II. **De objecto materiali fidei.** (1)

677. I. **Exponitur quæstio.** „Cujuslibet habitus objectum, ait *S. Thomas* (2. 2. q. 1. a. 1), duo habet, scilicet id quod materialiter cognoscitur, quod est sicut materiale objectum; et id per quod cognoscitur, quod est formalis ratio objecti.... In fide si consideremus formalem rationem objecti, nihil est aliud quam veritas prima. Unde ipsi veritati divinæ fides innititur tamquam medio. Si vero consideremus materialiter ea, quibus fides assentit, non solum est ipse Deus, sed etiam multa alia." Duplex itaque est fidei objectum *materiale* et *formale. Objectum materiale* est id quod creditur, materia circa quam fides versatur. *Objectum formale* est ratio qua objectum materiale menti innotescit et sub qua ab intellectu attingitur; quod etiam recte vocatur *motivum* fidei seu objectum *propter quod,* quia est illud quod intellectum ad assensum movet. Hic art. de objecto materiali fidei agit.

678. Ut doctrina de objecto materiali fidei rite intelligatur, hæc sunt notanda: 1. Aliquid potest esse objectum fidei

(1) Cf. *Suarez,* disp. 2 coll. disp. 3. s. 11; *de Lugo,* de virt. fidei div. disp. 1. s. 13; *Scheeben,* n. 702 sqq.; *Heinrich,* § 57; *Mazzella,* disp. 2. art. 5 sqq.; *Jansen,* § 106; *Brouwer,* c. 2. art. 2; *Tanquerey,* n. 27 sqq.

tantum *quoad se,* vel etiam *quoad nos.* Ut enim sit *quoad se* objectum fidei, sufficit ut sit a Deo revelatum; ut vero etiam *quoad nos* sit objectum fidei, requiritur insuper ut ejus revelatio nobis sufficienter innotescat. Hinc fieri potest, ut aliqua veritas, quæ semper fuit objectum fidei quoad se, sit objectum fidei quoad unum, et non quoad alios; item ut quoad unum eumdemque hominem aliqua veritas sit nunc de fide, quæ antea non erat de fide, utique explicita. Unde fides explicita decursu temporis crescere potest, et nunc jam plura explicite sunt credenda quam anterioribus temporibus. Hic proprie tantum quærimus, quid sit de fide *quoad se.*

2. Potest aliquid esse revelatum *explicite* vel *implicite. Explicite* revelatum est illud, quod totidem verbis propriisque terminis in locutione divina enuntiatur; *implicite* revelatum, quod in explicite revelato continetur.

3. Porro in explicite revelato potest aliquid contineri dupliciter: *formaliter* vel *virtualiter. Formaliter implicite* revelatum est illud, quod tum *realiter,* quoad objectivam realitatem, tum insuper *formaliter*, quoad formalem conceptum, cum explicite revelato identificatur. Ita e. g. sapientia et omnipotentia Dei secundum rem idem sunt, non vero secundum formalem conceptum, quare revelata Dei sapientia, nondum in illa formaliter revelatur ejus omnipotentia; econtra in explicite revelata veritate: Christus est homo formaliter revelata est hæc altera: Christus est animal rationale. *Virtualiter* revelatum est illud, quod cum explicite revelato necessario nexu cohæret, ita ut ex illo ope ratiocinii deduci possit, quin tamen juxta communem hominum acceptionem in illo proprie et formaliter *enuntietur.* Quando aliquid in explicite revelato continetur *tantum objective,* a parte rei, non vero *logice,* quia nulla rationali deductione ex revelato colligi, sed solum nova revelatione innotescere potest, tunc illud nullatenus nequidem virtualiter revelatum est. Sic e. g. in revelata veri Dei existentia *objective* continetur trinitas personarum, ast non continetur in ea *logice,* quia ex Dei existentia trinitatem personarum sine nova revelatione colligere non possumus. Quibus prænotatis jam quæritur, quodnam generatim sit objectum fidei?

679. II. **Solvitur quæstio.**

Thesis I. Objectum materiale fidei divinæ sunt omnes et solæ veritates revelatæ.

Prob. 1. *Solæ* veritates revelatæ sunt objectum fidei. Nihil fide divina credi posse, quod non sit a Deo revelatum, ex ipsa notione fidei divinæ, quæ est assensus propter auctoritatem Dei revelantis, tam manifestum est, ut peculiari demonstratione non indigeat.

2. *Omnes* veritates revelatas ad salutem consequendam credendas esse, adeoque esse objectum fidei divinæ et salutaris, abunde liquet

a) Ex disertis Christi verbis: „Euntes ergo docete omnes gentes . . . docentes eos servare *omnia, quæcumque mandavi vobis*" (Matth. XXVIII, 19 sq.); „Prædicate *evangelium* omni creaturæ. Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit; qui vero non crediderit condemnabitur" (Marc. XVI, 15 sq.). Hisce verbis mittuntur Apostoli in mundum universum ad annuntiandum *integram doctrinam revelatam, totum evangelium,* et eo ipso, imo etiam explicite et quidem sub discrimine æternæ salutis injungitur omnibus officium illas omnes veritates credendi.

b) Idem colligitur *ex notione fidei divinæ.* Quia enim fides divina est assensus in veritatem propter auctoritatem Dei revelantis, ut aliqua veritas credi possit ac debeat, adeoque sit objectum fidei, profecto requiritur et sufficit, ut sit a Deo revelata. Quare *Conc. Vaticanum* docet, nos per fidem vera esse credere *quæ a Deo revelata sunt.*

Cum autem, uti supra notavimus, aliqua veritas possit esse vel explicite vel tantum implicite revelata, ad objectum fidei accuratius et in specie determinandum sit

680. **Thesis II.** Ad objectum fidei pertinent omnes veritates sive explicite, sive formaliter implicite revelatæ; non vero eæ, quæ tantum virtualiter in verbo Dei continentur.

Probatur 1. Explicite revelata esse objectum fidei nemo est qui neget, estque hoc ex demonstratione primæ theseos manifestum. Ad objectum fidei quoque pertinere veritates *formaliter implicite* revelatas, certum etiam est. Etenim *a)* illud est objectum fidei, quod cadit sub testimonio Dei revelantis, quod

a Deo vere dicitur; atqui veritas formaliter implicite revelata a Deo vere dicitur, cum a Deo proponatur non quidem propriis terminis, sed æquivalenter et quoad sensum. *b)* Deus ad homines loquitur more humano, et ejus verba ex communi hominum sensu sunt intelligenda; atqui secundum communem æstimationem ille qui aliquid explicite enuntiat, eo ipso censetur etiam dicere illud, quod cum enuntiato realiter et formaliter idem est, seu quod in hoc formaliter continetur.

681. 2. *Virtualiter tantum revelata* non esse objecta fidei inde facile colligitur, quod hæc proprie a Deo *non dicantur,* sed ex verbo Dei *deducantur,* adeoque admitti nequeant unice propter auctoritatem Dei loquentis, sed simul propter rationalem deductionem. Tales veritates virtualiter tantum revelatæ proprie vocantur *conclusiones theologicæ,* quibus præstatur non assensus fidei divinæ, sed assensus *theologicus,* et accedente definitione Ecclesiæ assensus *fidei ecclesiasticæ.*

682. Hæc ita generatim dicta plana esse videntur et communiter a theologis admittuntur. Ast haud parva oritur difficultas in accurate determinando, quid formaliter, quid vero tantum virtualiter in explicite revelato contineatur. Quapropter mirandum non est, penes theologos occurrere quamdam opinionum varietatem, quando quæritur, utrum aliqua particularis veritas sit objectum fidei nec ne. Ut igitur quæ nobis dicenda videntur paucis complectamur, et ut objectum fidei magis in particulari definiamus, quærimus ulterius: *quænam formaliter implicite revelata censeri debeant?*

Respondetur: Formaliter implicite revelata ideoque objecta fidei sunt: *a) Definitio*, revelato definito, sic e. g. in propositione: „Christus est homo" formaliter continetur hæc altera: Christus est animal rationale. *b) Correlatum* alterum, revelato uno correlato, ita in revelata propositione: „Zebedæus est pater Joannis" formaliter continetur: Joannes est filius Zebedæi: *c) Partes essentiales,* revelato toto, *et essentialia attributa* objecti revelati, sic revelato: „Christus est homo," revelatum quoque censeri debet: Christum habere corpus et animam, eum habere voluntatem humanam. *d) Propositiones particulares,* quæ sub universalibus revelatis *immediate* continentur. Censemus itaque, licet non omnes hoc admittant, formaliter revelatas atque ideo objecta fidei esse has propositiones par-

ticulares: SS. D. N. Leo XIII est infallibilis, Conc. Vaticanum est infallibile, hic infans rite baptizatus est justificatus, et similes. Juxta communem enim usum loquendi, qui dicit: omnes successores Petri et omnia concilia œcumenica gaudere infallibilitate, omnes infantes rite baptizatos esse justificatos, idem de singularibus sub universali propositione certo et immediate comprehensis dicere censetur. Ut talis propositio particularis sit etiam objectum fidei *quoad nos*, requiritur, uti patet, ut *certo* cognoscatur tamquam immediate comprehensa in universali revelata. *e) Conclusio* ex *duabus* præmissis revelatis deducta, quia legitima conclusio semper formaliter continetur in præmissis, ita in duabus veritatibus revelatis: „Deus est omnipotens" et „Christus est Deus" formaliter continetur hæc altera: Christus est omnipotens. *f) Conclusio* deducta ex *una* præmissa revelata et altera non revelata potest esse objectum fidei vel non. Si enim in præmissa revelata immediate continetur conclusio ita, ut altera præmissa non revelata solum inserviat ad *manifestandam* comprehensionem conclusionis in veritate revelata, conclusio est objectum fidei, e. g. conclusio: Petrus est mortalis deducta ex præmissa revelata: „omnis homo est mortalis" et præmissa naturaliter nota: Petrus est homo. Si vero conclusio non immediate continetur in *sola* revelata, sed etiam ex altera non revelata *deducitur,* non potest dici formaliter implicite, sed tantum virtualiter revelata, adeoque non est objectum fidei sed solum assensus theologici. *g)* Veritas non explicite revelata, *quam Ecclesia definit ut fide divina credendam.* Hoc addimus non quod possit Ecclesia veritatem non revelatam proponere ut revelatam et fide divina credendam, sed quia talis definitio utpote infallibilis manifestat illam veritatem formaliter contineri in verbo Dei et vere revelatam esse.

Ad quæstionem quod spectat: utrum ad constituendum objectum fidei divinæ sufficiat *revelatio privata,* certum est, illam sufficere. Recolantur quæ de revelationibus privatis diximus supra n. 353 sqq.

683. **Scholion I.** *Objectum fidei quoad nos. Revelatione,* sive immediata sive mediata, constituitur aliqua veritas objectum fidei divinæ *quoad se;* ut autem sit objectum fidei etiam *quoad nos* ideoque actuali fide credi possit, insuper requiritur

ut nobis tamquam divinitus revelata *certo innotescat.* Ad hoc autem requiritur, ut veritas nobis tamquam revelata sufficienter *proponatur.* Licet propositio Ecclesiæ necessaria quidem sit ad credendam veritatem revelatam fide *catholica,* ea tamen non est absolute necessaria ad credendam veritatem revelatam fide simpliciter *divina.* Hoc communiter docent theologi contra aliquos, qui tamquam conditionem necessariam ad credendum fide divina postularunt propositionem revelationis per Ecclesiam. Hæc communis sententia videtur omnino vera et certa esse, nam assensus fidei divinæ qua talis non pendet a diverso modo, quo veritas revelata proponatur, sed unice nititur auctoritate Dei revelantis; ideoque ubi revelatio alicujus veritatis certo innotescit, potest homo ope gratiæ eam fide divina et salutari credere. Hinc intelligitur, quomodo hæretici materiales, i. e. illi qui sine sua culpa in hæresi versantur, veram fidem divinam habere possint; quomodo infideles, inculpabiliter ignorantes religionem revelatam et Ecclesiam Christi, fide salutari credere et salutem consequi possint, quando Deus illis privata revelatione necessaria salutis manifestat. Est tamen infallibilis propositio Ecclesiæ non tantum ex natura sua medium aptissimum, sed etiam ex institutione Christi in hoc ordine providentiæ medium unicum et absolute necessarium, quo veritates revelatæ omnibus hominibus certo innotescant et omnes in unitate ejusdem fidei contineantur.

684. **Scholion II.** *Utrum objectum fidei decursu temporis creverit.* 1. *Ab Adamo usque ad Christum crevit objectum fidei per novas revelationes cursu temporis factas,* donec per Christum et Spiritum S. in Apostolis fuerit completum et absolutum. Quod docet *S. Thomas* (2. 2. q. 1. a. 7), quoad *substantiam* scilicet articulorum fidei non esse factum augmentum, et tantum quoad *explicationem* numerum articulorum crevisse, nostro reponso non adversatur. Constat enim ex ipsa explicatione S. Doctoris, ipsum non negare in V. T. augmentum articulorum fidei per novas revelationes. Docet nempe Angelicus, inde a primordiis generis humani explicite revelata fuisse prima credibilia, nominatim veritates de Dei existentia ejusque providentia generali, quæ substantia fidei vocari possunt et in quibus omnes veritates tam Patriarchis et Profetis, quam per Christum revelatæ, objective continentur. Dici itaque

potest, non crevisse objectum fidei quoad substantiam, sed tantum per explicationem eorum, quæ in istis primis credibilibus jam continebantur; ast cum hæc comprehensio sit tantum objectiva, ita ut implicite contenta in primis credibilibus sine nova revelatione inde erui non potuerint, incrementum per explicationem S. Thomas intelligit incrementum per novas revelationes. Ergo etiam secundum Aquinatem ab Adamo usque ad Christum crevit objectum fidei per novas revelationes.

2. *Post tempora Apostolorum objectum fidei non crevit simpliciter, sed tantum secundum quid,* i. e. secundum explicationem et intelligentiam, quæ explicatio fit sine nova revelatione. Hoc incrementum secundum quid seu hic progressus explicationis et intelligentiæ fit triplici præsertim modo: *explicita propositione* eorum quæ antea implicite tradebantur et credebantur; *distincta prædicatione* eorum quæ obscure in deposito revelationis comprehendebantur; *instanti prædicatione* eorum quæ antea tantum obiter proponebantur. Recolantur dicta supra n. 346 sqq.

Art. III. **De objecto formali seu motivo fidei.** (1)

685. I. **Exponitur quæstio.** 1. Quæstio de objecto formali fidei divinæ est præcipua hujus tractatus, quia ab objecto formali pendent tum intima fidei divinæ natura ejusque ab omni alio assensu intellectuali essentiale discrimen, tum essentiales ejus proprietates. Objectum formale fidei intelligitur id *propter quod immediate* assentimur veritatibus revelatis, ideo vocatur etiam *motivum* fidei, quia est ratio quæ proxime et immediate movet intellectum ad assentiendum. A *motivo fidei* probe distinguenda sunt *motiva credibilitatis,* quibus nititur non ipsa fides, sed judicium prærequisitum ad actum fidei de auctoritate Dei et existentia revelationis adeoque de evidenti credibilitate et credenditate revelationis, quæque proinde non immediate movent ad credendum, sed hominem ad credendum

(1) Cf. *Suarez,* disp. 3; *de Lugo,* disp. 1; *Scheeben,* n. 667 sqq.; *Heinrich* § 58; *Mazzella,* disp. 2. art. 3 sq.; *Jansen,* § 107; *Brouwer,* c. 2. art. 3; *Pesch,* Prael. dogm. t. 8. n. 196 sqq.

tantum *disponunt* et remote impellunt. Quæritur itaque, *quodnam sit objectum formale seu motivum fidei?*

2. *Certum* est, objectum formale seu motivum fidei divinæ esse *auctoritatem Dei revelantis.* Id expresse docet *Conc. Vaticanum,* in fidei definitione supra relata dicens: nos a Deo revelata vera esse credere *„propter auctoritatem Dei revelantis,* qui nec falli nec fallere potest." Hæc autem auctoritas Dei, propter quam credimus, est in eo, quod Deus est *prima veritas in cognoscendo et dicendo.* Id post Conc. Vaticanum pariter certum est, licet olim aliqui de hoc aliter senserint, quia diserte docet Concilium: nos credere „propter auctoritatem Dei, *qui nec falli nec fallere potest.*"

3. Cum auctoritas Dei revelantis sit motivum fidei, patet non solum auctoritatem Dei, sed etiam *divinam revelationem* necessariam esse ad credendum. Id uno ore fatentur omnes theologi. Ast theologi inter se dissentiunt quoad quæstionem, *qua ratione revelatio necessaria dicenda sit ad credendum.* Utrum revelatio sit tantum *conditio* sine qua non, an vero *partiale motivum* actus fidei. Plures theologi, præsertim Scotistæ, censent, revelationem minime esse partem essentialem motivi fidei, sed *meram conditionem*, qua motivum jam completum, nempe scientia et veracitas Dei, credenti applicetur. Communius tamen et, ut videtur, verisimilius tenent alii, revelationem esse *partiale motivum* fidei divinæ, ita ut hujus objectum formale completum et adæquatum constituatur duplici elemento: auctoritate scl. Dei et divina revelatione. Hoc etiam conformius videtur *Conc. Vaticano,* quod, licet rem non definierit, insinuare tamen videtur, revelationem esse partiale motivum, dicendo nos credere „propter auctoritatem Dei *revelantis.*" Quibus notatis

686. II. **Solvitur quæstio.**

Thesis I. Objectum formale seu motivum fidei est auctoritas Dei i. e. infallibilis Dei scientia et veracitas.

Prob. I. Ex S. Scriptura, quæ docet per fidem nos *credere Deo: „Credidit Abraham Deo,* et reputatum est illi ad justitiam" (Gen. XV, 6); quod repetens Apostolus (Rom. IV, 3) dicit (v. 24) „scriptum propter nos." Fidem urget appellando ad *testimonium Dei* ab omnibus admittendum: „Si testimonium

hominum accipimus, *testimonium Dei majus est*" (1 Joan. V, 9). „Accepistis illud non ut verbum hominum, sed, sicut est vere, *verbum Dei*" (1 Thess. II, 13). Ad excitandam fidem provocat ad Dei *scientiam* et *veracitatem*. Sic Christus dicit Nicodemo: „Amen, amen dico tibi, quia quod *scimus* loquimur, et *quod vidimus* testamur" (Joan. III, 11); alibi addit: „Qui me misit *verax* est, et ego quæ audivi ab eo, hæc loquor in mundo" (Joan. VIII, 26). Patet ergo secundum Scripturam motivum fidei esse Dei auctoritatem i. e. infallibilem scientiam et veracitatem.

687. *Prob. II. Ex Traditione.* 1. *SS. Patres* diserte auctoritatem Dei proponunt tamquam motivum fidei, atque ad eam provocando fideles contra omnem dubitationem roborant. Sic e. g. S. Joannes *Chrysostomus* (hom. 36 in Gen. XV) ex definitione fidei tradita a S. Paulo concludit, fidem divinam esse „quando illis credimus quæ non videntur, dum mentem intendimus ad *auctoritatem ejus qui illa annuntiavit.*" Et *S. Leo M.* (De Nativ. Serm. 7. c. 1): „*Divina est auctoritas*, cui credimus."

2. *Theologi* communiter docent, fidem divinam in *auctoritate Dei revelantis,* in *testimonio primæ veritatis,* in *prima veritate revelante* etc., tamquam unico motivo fundari, et ex hoc præcipue ostendunt, fidem esse virtutem *theologicam*.

3. Tandem *Conc. Vaticanum* diserte auctoritatem Dei revelantis proponit ut motivum fidei divinæ, docens nos credere revelata *„propter auctoritatem Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest."*

688. *Prob. III. Ex ipsa natura fidei.* Fides universim est assensus mentis propter auctoritatem testis. Auctoritas autem testis, seu ratio propter quam illi fidere possumus est ejus scientia et veracitas, unde quo magis his gaudet, eo magis est fide dignus. Ergo sicut fides humana est assensus propter auctoritatem hominis loquentis, ita fides divina est assensus propter auctoritatem Dei revelantis.

689. **Corollarium.** Cum auctoritas Dei revelantis, constituta ex infallibili ejus scientia et veracitate, sit unicum motivum fidei divinæ, quod solum indicat Conc. Vaticanum, sequitur, eamdem auctoritatem etiam unicum motivum esse, propter quod credamus *revelationes promissorias* Dei. Quare admitti

nequit, quod nonnulli dicunt, ad credendas promissiones Dei præter scientiam et veracitatem ut partiale motivum concurrere etiam *fidelitatem* Dei. (Cf. *Wirceburgenses,* De fide theol. n. 145).

690. **Thesis II.** Revelatio divina est partiale motivum fidei divinæ, ita ut simul cum auctoritate Dei constituat unum adæquatum motivum credendi.

Probatur. Concedimus, sententiam thesi enuntiatam non posse efficaciter probari neque ex Scriptura neque ex Traditione, ideoque satisfieri doctrinæ catholicæ, sive quis dicat revelationem esse conditionem sine qua non, sive esse motivum partiale fidei, dummodo admittat necessitatem revelationis ad credendum. Nihilominus censemus, melius et aptius dici revelationem partiale motivum fidei. Etenim

1. Hæc sententia videtur *melius consonare Scripturæ et Patribus,* cum nativam verborum vim plenius et facilius servet. Nam Scriptura et Patres passim docent, nos credere propter testimonium Dei, vel testimonio Dei, vel quia Deus revelavit.

2. *Favet ratio intrinseca.* „Valde communis ratio, inquit *Pesch* (Prælect. Dogm. t. 8, De fide n. 226), est hæc: Revelatio est unio veracitatis divinæ cum objecto revelato. Atqui hæc unio objecti revelati cum veracitate divina non minus movet ad assensum fidei quam consequentia syllogismi movet ad assensum scientiæ circa conclusionem. Ergo est verum motivum fidei, non pura conditio, quia pura conditio non movet neque ullum positivum influxum in actum habet (Cf. *Suarez,* De fide disp. 3, sect. 2, n. 4)." Ideo etiam *S. Thomas* (De Veritate, q. 14. a. 8. ad 16) fide divina *credibile* dicit „illud solum, de quo veritas divina *testificatur.*"

691. **Corollarium.** Cum auctoritas Dei revelantis unicum sit et adæquatum motivum fidei, sequitur *propositionem Ecclesiæ nullo modo pertinere ad motivum fidei divinæ.* Et sane propositio Ecclesiæ non est nisi medium, quo infallibiliter nobis innotescat, quid sit a Deo revelatum ideoque credendum propter auctoritatem Dei revelantis. Imo licet propositio Ecclesiæ sit quidem absolute necessaria ad fidem catholicam, non tamen est conditio absolute necessaria ad omnem actum fidei divinæ.

Ut enim quis possit credere aliquam veritatem fide divina, requiritur et sufficit ut certo noverit illam veritatem esse a Deo revelatam; hanc autem certam cognitionem etiam per alia media quam per propositionem Ecclesiæ habere potest. Nihilominus, uti supra diximus, in hoc ordine providentiæ, ex institutione Dei, propositio Ecclesiæ est medium *ordinarium* pro hominibus ad cognoscendas veritates revelatas, estque medium *absolute necessarium* ad integrum servandum depositum fidei.

CAPUT II.

DE ACTU FIDEI DEQUE VIA AD ILLUM.

692. Quæ præcedente capite exposuimus tum ad habitum tum ad actum fidei spectant et utriusque naturam sufficienter manifestant, cum hæc ab objecto formali maxime pendeat. Præstat tamen adhuc specialiter agere de *actu* fidei, ut ejus natura penitius intelligatur ejusque genuinus conceptus a falsis notionibus plenius vindicetur. Ut autem natura actus fidei patescat, consideranda veniunt, præter ejus objectum, principia subjectiva quæ ad actum fidei efficiendum concurrere debent, quæ sunt *intellectus, voluntas* et *gratia*. De objecto actus fidei jam diximus capite præcedente; restat igitur, ut hoc capite agamus de principiis subjectivis actus fidei, seu ut actum fidei consideremus ex parte subjecti. Porro cum ad actum fidei quidam actus prærequirantur, qui ad eum proxime disponant ideoque sint velut *inchoatio* et *via* ad illum, de his ad actum fidei prærequisitis hic quoque est dicendum. Demum consideratis causis fidei et conditionibus requisitis, institui potest *analysis* actus fidei, seu logica fidei in sua principia resolutio, qua omnia elementa ad actum fidei concurrentia sub unico conspectu ponuntur, et per quam proinde natura actus fidei plene patescit. Quare hoc caput dividimus in tres articulos, quorum 1mo de natura actus fidei; 2do de prærequisitis ad actum fidei; 3^tio^ de analysi actus fidei agemus.

ART. I. De natura actus fidei.

693. Naturam actus fidei, ut monuimus, hic declaramus considerando eum ex parte subjecti, seu considerando principia subjectiva, quibus actus fidei producitur. Tria autem sunt principia subjectiva actus fidei: *intellectus* a quo elicitur, *voluntas* a qua imperatur et a qua habet ut sit actus *liber*, *gratia* quæ cum utraque facultate ad illum producendum concurrere debet et a qua habet ut sit actus *supernaturalis*. Ut hæc ex ordine exponamus, de hisce tribus totidem distinctis paragraphis agemus.

§ 1. FIDES EST FORMALITER ACTUS INTELLECTUS. (1)

694. **Thesis.** Actus fidei divinæ est 1. formaliter actus intellectus et quidem 2. assensus intellectualis.

Pars 1ma. Fides est actus intellectus.

Prob. I. Ex S. Scriptura. Nam *a*) objectum fidei justificantis sunt veritates tum omnes tum singulæ: „Euntes prædicate *evangelium*, qui *crediderit* et baptizatus fuerit salvus erit" (Marc. XVI, 16); „*Credere* enim oportet accedentem ad Deum, *quia est*" (Hebr. XI, 6); „Hæc scripta sunt, ut credatis, *quia Jesus est Christus Filius Dei*" (Joan. XX, 31). Atqui veritates sunt objectum actus intellectus. Ergo fides justificans est actus intellectus.

b) Per fidem captivus ducitur intellectus in obsequium Christi: „in captivitatem redigentes omnem *intellectum* in obsequium Christi" (2 Cor. X, 5).

c) Imo etiam diserte definitur ac describitur fides ut actus intellectus: „Est autem fides sperandarum substantia rerum, *argumentum* (i. e. convictio, firmus assensus) *non apparentium*" (Hebr. XI, 1); „Fide *intelligimus* aptata esse sæcula verbo Dei" (ibid. v. 3).

695. *Prob. 2. Ex Traditione.* In traditione exhiberi fidem divinam et salutarem ut actum intellectus, ex omnibus fere

(1) Cf. *S. Thomas*, 2. 2. q. 2. a. 1; *Suarez*, disp. 6. s. 1; *Mazzella*, disp. 3. art. 1; *Pesch*, n. 124 sqq.

traditionis monumentis manifeste constat. Nominatim hoc abunde liquet

a) Ex Ecclesiæ *symbolis,* quæ sunt veluti fidei expressio, in quibus proponuntur credendæ veritates, quæ sunt objectum intellectus.

b) Ex solemni *definitione Conc. Vaticani,* qua docemur per fidem nos credere *vera esse* quæ a Deo revelata sunt.

c) Ex lucidissimis *Patrum testimoniis,* quæ videri possunt apud *Bellarminum* (De Justificatione, l. 1. c. 9).

d) Ex unanimi et constanti *doctrina theologorum,* quæ patet tum ex definitionibus fidei ab eis traditis, tum ex eo quod fidem habitualem virtutem *intellectualem* esse dicunt. Omnium nomine audiatur eorum princeps *S. Thomas* (2. 2. q. 4. a. 2): „credere immediate est *actus intellectus,* quia objectum hujus actus est *verum,* quod proprie pertinet ad intellectum. Et ideo necesse est quod fides, quæ est proprium principium hujus actus, sit in intellectu sicut in subjecto."

696. *Pars 2da Fides est assensus intellectualis.*

Prænotandum. Duplex distinguendus est actus intellectus: *apprehensio* et *assensus.* Apprehensio seu perceptio veritatis *numquam est immediate libera,* quia voluntas intellectui imperare nequit ut aliquid percipiat; sed *tantum mediate* potest esse in hominis libera potestate, quatenus libere potest adhibere vel non adhibere conatum ad aliquid capiendum. Assensus vero aliquando est *necessarius*, quando perceptio veritatis est immediate evidens; aliquando *liber,* quando verum non ita evidenter apparet.

His prænotatis *propositio evidenter probatur.* Nam actus fidei est actus immediate liber, uti paragrapho sequente demonstrabimus. Atqui unicus actus intellectus liber est assensus. Ergo fides est assensus intellectualis. Hinc *S. Augustinus* (De spir. et lit. c. 31. n. 54) dicit: „Quid est credere, nisi *consentire* verum esse, quod dicitur?"

697. **Corollarium.** Ergo actus fidei in se spectatus non est perspicientia seu notitia veritatis, sed assensus ei præstitus propter auctoritatem Dei revelantis, seu judicium quo a Deo revelata vera esse affirmamus. Neque tamen fides est assensus cæcus, quia ei necessario *præsupponitur* notitia credibilitatis objecti. Si actus fidei sumitur non formaliter in se, sed pro

toto processu fidei cum omnibus prærequisitis et consequentiis, ut sæpe de fide loquuntur S. Scriptura et Patres, multiplex notitia per fidem habetur, ut patet ex theologia, quæ est scientia fidei. (Cf. *Pesch,* n. 129 sqq.).

§ 2. De fidei libertate. (1)

698. **Prænotandum.** Jam sæpius diximus, assensum fidei elici quidem ab intellectu, sed imperari a voluntate. Quia intellectus determinatur seu movetur ad assensum fidei per voluntatem, assensus fidei est *liber.* Dupliciter autem intelligi potest, voluntatem movere intellectum ad actum fidei. 1) Tantum *remote,* quatenus intellectum applicat ut cogitet de objecto fidei, ut consideret vel non consideret motiva credibilitatis, sibique objectum fidei proponat ut credibile aut non credibile. 2) *Immediate* et proxime, ita ut sufficienter proposito objecto fidei, voluntas immediate applicet et determinet intellectum ad assentiendum vel dissentiendum. Jamvero actum fidei *remote* pendere a libero voluntatis imperio, plane evidens est; ast id ad tuendam fidei libertatem non sufficit, cum vel ipse assensus scientiæ sit *remote* liber. „In scientia, ait *S. Thomas* (S. Th. 2. 2. q. 2. a. 9), duo possunt considerari: scilicet ipse *assensus* scientiæ in rem scitam, et *consideratio* rei scitæ. Assensus autem scientiæ non subjicitur libero arbitrio; quia sciens cogitur ad assentiendum per efficaciam demonstrationis; et ideo assensus scientiæ non est meritorius. Sed consideratio actualis rei scitæ subjacet libero arbitrio; est enim in potestate hominis considerare vel non considerare. Et ideo consideratio scientiæ potest esse meritoria. . . . Sed in fide utrumque subjacet libero arbitrio; et ideo quantum ad utrumque actus fidei potest esse meritorius."

Tenendum itaque est, ipsum assensum fidei etiam liberum esse, seu actum fidei *immediate* et *proxime* liberum esse. Hæc fidei libertas est *dogma fidei,* solemniter definitum in *Conc. Vaticano* (Const. *Dei Filius,* can. 5): „Si quis dixerit, assensum fidei christianæ non esse liberum, sed argumentis

(1) Cf. *S. Thomas,* 2. 2. q. 1. a. 4; q. 2. art. 1 ad 3; q. 4. art. 5; *Suarez,* disp. 6. s. 6; *de Lugo,* disp. 10; *Scheeben,* n. 808 sqq.; *Mazzella,* disp. 3. art. 5; *Jansen,* § 111; *Brouwer,* c. 3. art. 2; *Pesch,* n. 136 sqq.; *Tanquerey,* n. 115 et 133 sqq.

humanæ rationis necessario produci . . . anathema sit." Quibus notatis, sit

699. **Thesis.** Fides divina est assensus liber.

Prob. I. Ex S. Scriptura. 1. Docet Scriptura, posita prædicatione evangelii, in hominum potestate positum adeoque eis liberum esse credere et non credere. „Prædicate evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, salvus erit: qui vero non crediderit condemnabitur" (Marc. XVI, 15 sq.).

2. In SS. Litteris actus fidei, sicut et actus aliarum virtutum, præcipitur, laudatur, præmio donatur; infidelitas vero prohibetur damnatur, punitur. „Hoc est mandatum ejus, ut credamus in nomine Filii ejus Jesu Christi" (1 Joan. III, 23). (1) Atqui præceptum, præmium, pœna etc. supponunt libertatem. Ergo actus fidei est liber.

3. Hinc fides describitur ut obedientia: „In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi" (2 Cor. X, 5).

700. *Prob. II. Ex Traditione.* 1. Luculentissima in hac re est doctrina *SS. Patrum*. Ita e. g. *Clemens Alex.* (Strom. l. 5. c. 1) fidem vocat „animæ *libero arbitrio* utentis rationalem assensionem." „Nam credere et obedire est in nostra potestate" (ibid. l. 7. c. 3). Et *S. Augustinus* (In Joan. tract. 26. n. 2): „Intrare quisquam ecclesiam potest nolens, accedere ad altare potest nolens, accipere sacramentum potest nolens, *credere non potest nisi volens.*"

2. *Theologi* unanimes sunt in asserenda fidei libertate. „Credere, ait *S. Thomas* (2. 2. q. 4. a. 2), est actus intellectus, secundum quod movetur a voluntate ad assentiendum." Et ibid. q. 2. a. 9. cf. supra.

3. *Concilia* idem diserte docent. Sic *Conc. Tridentinum* (Sess. VI, c. 6): „disponuntur ad ipsam justitiam dum excitati divina gratia et adjuti, fidem ex auditu concipientes, *libere* moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata et promissa sunt." Et *Conc. Vaticanum* (Const. *Dei Filius,* cap. 3.) et in definitione supra relata.

Prob. III. Ex ratione. Intellectus determinatur ad assensum vel ab intrinseca evidentia objecti vel a voluntate. Atqui

(1) Cf. Rom. IV, 3 sqq.; X, 9 sqq.; Joan. III, 15 sqq.; Marc. XVI, 16 etc.

assensus fidei præstatur non propter intrinsecam veritatis evidentiam, sed propter auctoritatem Dei extrincece *testificantis* veritatem. Ergo assensus fidei non determinatur ab objecto, sed a voluntate et consequenter est liber.

701. **Corollarium.** Ergo ad fidem requiritur bona dispositio voluntatis seu *pius credulitatis affectus,* voluntas credendi. Ut autem voluntas possit velle seu imperare fidem debet habere aliquod motivum, quod pro voluntate non potest esse nisi aliquod *bonum,* puta quia bonum et honestum est credere, quia per fidem obtinetur præmium æternum. Voluntas itaque propter bonum aliquod sibi conveniens imperat intellectui, ut credat propter auctoritatem Dei revelantis, quæ sola est pro intellectu motivum credendi. Quare sedulo distinguendum est *motivum volendi credere,* uti vocatur, ab ipso *motivo fidei*; hoc enim est auctoritas Dei revelantis, illud vero est aliquod bonum.

702. **Scholion.** Solent hic theologi quærere: *Utrum libertas fidei constare possit cum evidentia in attestante?* Quæstic procedit in hypothesi, quod evidens sit non solum auctoritas Dei, sed etiam factum revelationis divinæ sive generatim spectatæ sive consideratæ quoad aliquod particulare mysterium e. g. mysterium SS. Trinitatis. Ad factum quod attinet, imprimis iis, uti nobis, ad quos revelatio mediate tantum pervenit, factum revelationis plerumque saltem non est tam evidens, ut omnis dubitandi potestas excludatur. Utrum vero fuerint umquam homines, quibus factum revelationis evidenter innotuerit, non consentiunt theologi. Hypothesis saltem admitti potest et communiter admittitur. Jamvero in hac hypothesi quæritur: *Utrum actus fidei liber elici possit stante evidentia adæquati motivi fidei?*

Resp. Licet non pauci theologi, præsertim inde a sæc. XVI, duce Card. *de Lugo,* id negaverint, censemus tamen cum *communiori* sententia *affirmandum* esse. Quomodo libertas fidei stet cum evidentia revelationis, ita dilucide declarat *Ant. Mayr* (Theol. schol. de Fide, n. 468): „Stante evidentia in attestante voluntas adhuc est libera, non quidem simpliciter ad imperandum vel impediendum omnem assensum; nam evidentia saltem necessitat ad aliquem actum conclusionis theologicæ (i. e. assensum scientiæ ex ipsa evidentia oriun-

dum); sed est libera ad imperandum assensum non propter evidentiam, sed propter solum testimonium Dei, ita ut voluntas parata sit credere, etsi non haberet evidentiam, sed tantum evidentem credibilitatem. Verbo, voluntas est libera ad hunc actum: volo credere propter hanc revelationem divinam mihi hic et nunc evidenter propositam, ita tamen, ut etiam crederem, etsi non esset evidenter proposita. Posset enim voluntas alium actum elicere, scilicet: nollem credere, si mihi non esset evidenter proposita; qui esset actus infidelitatis". (Cf. *Pesch*, l. c. n. 143 sqq.).

§ 3. De supernaturalitate actus fidei. (1)

703. **Prænotandum.** Hic non loquimur de habitu fidei, qui in justificatione infunditur, quique est supernaturalis virtus theologica, de qua dicemus in tract. de gratia; sed loquimur de actu fidei. Jamvero hunc fidei actum *supernaturalem esse,* seu ad eum *requiri gratiam supernaturalem,* est *dogma fidei,* sæpius ab Ecclesia definitum.

Porro actus fidei, qui formaliter consistit in assensu intellectus, prærequirit voluntatem credendi a qua imperatur; hanc autem voluntatem credendi præcedere debet judicium credibilitatis, quia nulla potest esse volitio sine cognitione. Totus itaque subjectivus fidei processus complectitur tria: *judicium credibilitatis, pium credulitatis affectum, ipsum assensum fidei.* Tenendum est, hæc omnia esse supernaturalia adeoque ad hæc omnia requiri gratiam supernaturalem. Id *de fide* est quoad ipsum actum fidei et pium credulitatis affectum, uti constat ex definitionibus Ecclesiæ; quoad judicium credibilitatis id *certum* saltem est. Itaque

704. **Thesis.** Actus fidei est supernaturalis.

Cum in tract. de gratia data opera probemus necessitatem gratiæ ad singulos actus salutares, qualis certe est fides, imo ad initium etiam fidei et salutis, probationem theseos hic breviter absolvere possumus, pro ulteriori demonstratione remittentes ad dicenda in prædicto tract. de gratia.

---

(1) Cf. *S. Thomas,* 2. 2. q. 6; *Suarez,* de gratia l. 2. c. 4 sqq.; *de Lugo,* disp. 9; *Scheeben,* n. 778 sqq.; *Brouwer,* c. 3. art. 1; *Pesch,* n. 162 sqq.; *Hurtèr,* n. 480 sqq.

Prob. I. Ex S. Scriptura, quæ supposita etiam prædicatione externa ipsam fidem adscribit supernaturali Dei gratiæ. Nam Christus Judæis nolentibus credere dicit: „Nemo potest venire ad me (per fidem), nisi Pater, qui misit me, traxerit eum" (per gratiam Joan. VI, 44). Et Paulus: „*Gratia* enim salvati estis per *fidem,* et hoc non ex vobis; *Dei enim donum est*" (Ephes II, 8).

705. *Prob. II. Ex Traditione*, in qua hæc veritas luculentissime continetur, uti constat 1. Ex disertissima testificatione *SS. Patrum,* quorum imprimis *S. Augustinus* hanc doctrinam amplissime declarat ac defendit contra Pelagianos et Semipelagianos.

2. Ex unanimi sententia *Theologorum.*

3. *Ex solemnibus Ecclesiæ definitionibus.* Jam Conc. *Arausicanum II* (c. 5): „Si quis sicut augmentum, ita etiam initium fidei ipsumque credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui justificat impium, . . . *non per gratiæ donum,* i. e. per inspirationem Spiritus Sancti . . . sed naturaliter nobis inesse dicit, apostolicis dogmatibus adversarius approbatur." Et idem Conc. (c. 7): „Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare, ut expedit, aut eligere, sive salutari, i. e. evangelicæ prædicationi consentire posse confirmat absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati, hæretico fallitur spiritu." Cf. etiam supra allatæ definitiones Conc. *Tridentini* et *Vaticani.*

Art. II. **De prærequisitis ad actum fidei.** (1)

706. **Prænotanda.** 1. Jam ostendimus, formalem fidei assensum præcedere debere imperium voluntatis, seu pium credulitatis affectum. Nunc autem quæritur, quid prærequiratur, ut voluntas fidei assensum imperare possit. Jamvero secundum doctrinam catholicam prærequiritur *certa notitia auctoritatis Dei et facti revelationis.* Ubi autem certo constat, Deum infallibilem et summe veracem aliquid revelasse, certum quoque

(1) Cf. *Suarez,* disp. 6. s. 8 coll. disp. 4; *de Lugo,* disp. 11 coll. disp. 5; *Scheeben,* n. 719 sqq.; *Mazzella,* disp. 3. art. 8; *Brouwer,* c. 2. art. 3. § 2; *Hurter,* n. 461 sqq.; *Peseh,* n. 281 sqq.

est et evidens illud prudenter credi posse et debere. Quare idem etiam enuntiatur hoc modo: prærequiritur ad actum fidei *certum judicium credibilitatis revelationis.* Necessitas hujus certi judicii maxime respicit primum actum fidei, quo veritas aliqua revelata creditur; sed etiam postea fidelis in omni actu fidei sibi saltem in confuso conscius esse debet, se habere certam notitiam auctoritatis Dei revelantis. Non enim requiritur, ut fidelis ante quemlibet actum fidei formet novum judicium credibilitatis; nam ex actibus fidei sæpe repetitis relinquitur habitualis notitia auctoritatis Dei revelantis, quæ notitia confusa influit, quoties actus fidei elicitur.

707. 2. Primo auctoritatem (scientiam et veracitatem) Dei certo cognosci posse, facile liquet, cum ex ipsa Dei notione plane evidens sit, Deum infallibilem et infinite veracem esse. Factum etiam revelationis christianæ certo cognosci posse, amplissime constat ex tractatibus de vera Religione et de Ecclesia, in quibus vidimus revelationem tot ac tantis confirmari miraculis aliisque signis, ut recte illa perpendenti certa sit ejus existentia. Sufficiet itaque hic afferre *Conc. Vaticani* (Const. Dogm. *de Fide*, c. 3) verba: „Ut fidei nostræ obsequium rationi consentaneum esset, voluit Deus cum internis Spiritus Sancti auxiliis externa jungi revelationis suæ argumenta, facta scilicet divina, atque imprimis miracula et prophetias, quæ cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinæ revelationis signa sunt certissima et omnium intelligentiæ accommodata. . . . Quin etiam Ecclesia per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis fecunditatem, ob catholicam unitatem invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis, et divinæ suæ legationis testimonium irrefragabile. Quo fit, ut ipsa veluti signum levatum in nationes, et ad se invitet eos qui nondum crediderunt, et filios suos certiores faciat, firmissimo niti fundamento fidem, quam profitentur." Hæc argumenta seu signa, quibus certa redditur existentia revelationis christianæ, vocantur *motiva credibilitatis,* quia eo ipso, quod certe probant existentiam revelationis, etiam probant eam evidenter esse credibilem et credendam.

708. 3. Si ulterius quæratur, *cujusmodi certitudo* nominatim

de revelationis facto requiratur et sufficiat, ut quis prudenter credere possit et credere debeat, hæc teneantur. Non sufficit probabilitas tantum, sed requiritur *vera certitudo,* quæ excludat omne prudens dubium; sufficit tamen *certitudo moralis.* Demum non requiritur ut hæc certitudo sit *absoluta,* respondens scilicet omnium etiam doctiorum statui intellectuali; sed sufficit *certitudo respectiva* i. e. consentanea et proportione respondens captui singulorum.

His præstitutis, demonstranda jam est necessitas certi judicii nominatim de existentia revelationis, de quo maxime quæritur. Sit itaque

709. **Thesis.** Ante fidem prærequiritur certum judicium de existentia et credibilitate revelationis.

Prob. I. Ex S. Scriptura. 1. Christus multis miraculis et vaticiniis probavit suam divinam missionem, ad hæc opera appellavit ut suis verbis conciliaret fidem, et docuit infidelitatem Judæorum fore inculpabilem, si ipse suam missionem certissimis argumentis non probasset. „Opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me" (Joan. V, 36); „Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite" (Joan. X, 37 sq.); „Si opera non fecissem in iis, quæ nemo alius facit, peccatum non haberent" (Joan. XV, 24).

2. Ideo Evangelistæ tam sedulo narrant impletionem vaticiniorum messianicorum in Christo, ipsiusque Christi miracula, eaque se narrare dicunt, ut homines ad credendum adducantur. Ita e. g.: „Multa quidem et alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc autem scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei; et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus (Joan. XX, 30 sq.).

3. Apostoli, ad conciliandam hominum fidem appellant ad miracula et vaticinia tamquam ad argumenta, quibus divina christianæ religionis origo certo probetur. (Cf. Act. II, 14 sqq.; III, 12 sqq.; X, 37 sqq. etc.).

710. *Prob. II. Ex Traditione,* quæ constat 1. *ex consentiente SS. Patrum et Theologorum sententia.* Huc spectant *apologiæ,* quas primi Patres scripserunt, ut fidei christianæ

rationem redderent. Ideo dicebat *Tertullianus* (adv. Marc. l. 5. c. 1): „nihil temere credendum, temere porro credi, quodcumque *sine originis agnitione* creditur." Et *S. Augustinus* (De prædest. sanct. c. 2. n. 5): „Quis non videat prius esse cogitare quam credere? Nullus quippe credit, nisi prius cogitaverit esse credendum." Nomine theologorum audiatur *S. Thomas* (2. 2. q. 1. a. 4. ad 2): „Non enim (quis) crederet, nisi videret ea esse credenda vel propter evidentiam signorum vel propter aliquid hujusmodi."

2. *Ex solemnibus documentis Ecclesiæ.* Jam supra attulimus doctrinam *Conc. Vaticani.* Ab *Innocentio XI* damnata est hæc propositio 21: „Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat *cum notitia solum probabili revelationis,* imo cum formidine, qua quis formidat, ne non sit locutus Deus."

711. *Prob. III. Ex ratione.* Actus fidei est assensus, ex imperio voluntatis elicitus, firmus et irrevocabilis. Atqui talem assensum quis prudenter et honeste præstare non potest, quamdiu non excluditur prudens errandi formido; hæc autem non excluditur, quoties non certo cognoscitur existentia revelationis, ob quam est credendum. Ergo actus fidei, qui sane debet esse prudens et honestus, existere nequit sine prævio judicio certo de existentia revelationis.

In hoc itaque differt fides a *virtutibus moralibus,* quod ad illam requiratur judicium speculativum certum de veritate objecti formalis; ad has vero requiratur tantum judicium practicum de honestate actus ponendi non autem judicium speculativum certum de veritate objecti formalis. Ratio est, quia fides est virtus, qua intellectus affirmat aliquid ut verum; virtutes morales sunt illæ, per quas voluntas prosequitur bonum honestum. Sic honeste agit, qui dat eleemosynam illi, quem probabiliter judicat indigentem, cum hoc honestum esse certo judicare possit; e contra numquam honestum judicari potest, velle ut certum affirmare id, de quo quis dubitet.

712. **Scholion I.** *Quomodo nominatim rudes et pueri certam notitiam credibilitatis revelationis habere possint.* Religio christiana tot tantisque fulget motivis credibilitatis, quæ præcipue sunt miracula, vaticinia, notæ Ecclesiæ, ut attente ea perpendenti non possit non esse certa revelationis christianæ credibilitas. Ast hic modus acquirendi certitudinem de credi-

bilitate revelationis, utpote postulans excultum ingenium et studium, non omnibus est accommodatus et possibilis. Ut autem intelligatur, quomodo omnibus etiam pueris possibile sit illud certum judicium credibilitatis, quædam breviter adnotasse juvabit.

713. 1. Duplex imprimis distingui debet credibilitatis investigatio: una, quæ fit immediate examinando motiva credibilitatis, testimonia historica quibus nituntur, quæ est difficilis ideoque non omnibus possibilis; sed hæc non tam necessaria est ad credendum, quam ad rationem reddendam de fide eamque defendendam. Altera, quæ fit mediante fide humana, simpliciter accipiendo testimonium parentum, parochi etc., quæ obvia est et facilis etiam rudibus et pueris accommodata, et hæc sufficit ad credendum.

714. Sufficientem enim certitudinem de facto revelationis *mediante fide humana* acquiri posse, facile liquet vel ex eo, quod omnes homines, etiam doctissimi inter illos, pleraque discunt non investigando internas rerum naturas, sed per fidem humanam. Quod enim valet pro aliis cognitionibus acquirendis, non minus valet pro rebus religiosis; eo vel magis quod Deus ipse hanc viam acquirendi certitudinem de credibilitate revelationis instituit (cf. Malach. II, 7; Deut. XXXII, 7; Matth. XXIII, 2 sq.). Sic pueri a parentibus, parochis aliisque hominibus primam notitiam auctoritatis Dei et existentiæ revelationis accipiunt. Progrediente ætate vident cum illis alios consentire, fideles cum suis sacerdotibus, sacerdotes cum episcopo, catholicos diversarum regionum inter se et omnes totius orbis cum Summo Pontifice. Porro auctoritas parentum et sacerdotum, præsertim cum apprehensione saltem confusa prædicti consensus, pro pueris et rudibus, qui ignorant rationes dubitandi, quas doctiores forte habent, est sufficiens motivum ad certo judicandam credibilitatem revelationis. (1) Licet enim talis modus appre-

(1) Praestat hic subjicere praeclara verba theologorum in Conc. Vaticano (Coll. Lacencis, VII, col. 533): „Quamvis fideles rudiores motiva omnia credibilitatis distincte non noverint nec ipsi ea valeant explicare, noverunt tamen *modo ipsis accommodato* unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam, et in hac semper iis ob oculos versatur incommutabile, plene sufficiens et certum credibilitatis motivum, seu potius motivorum complexus, ut non jam, quasi cito credant, leves sint corde (Eccli. XIX, 4), sed fundamentis innitantur firmis-

hendendi rationes moventes ad assensum non sufficiat pro omnibus, nominatim non pro iis, qui magis exculti sunt, ideoque non sufficiat ad certitudinem absolutam; sufficit tamen pro pueris et rudibus ideoque sufficit ad certitudinem *respectivam,* quæ ante fidem prærequiritur et sufficit.

715. 3. Accedit *adjutorium divinæ gratiæ,* quo Deus juvat ad efformandum judicium credibilitatis, quodque supplet quidquid ex parte naturalis aptitudinis deest in iis, qui credere tenentur. Hæc gratia, licet non quidem efficiat ut motiva ex se insufficientia fiant sufficientia, facit tamen, ut motiva objective sufficientia meliori modo apprehendantur, et ut rationes dubitandi tollantur.

716. 4. Si quando fieret, ut aliquid quod non est revelatum proponeretur ut revelatum eo modo, qui videretur sufficiens ad certitudinem gignendam, et ita reapse subjectivam certitudinem produceret in homine audiente, hic, licet putaret se habere veram certitudinem et elicere actum fidei, neque haberet veram certitudinem neque actum fidei divinæ eliceret. Ad quæstionem autem facti, *utrum dari possit sufficiens propositio de revelatione non existente,* non eodem modo respondent theologi. *Suarez* (de Fide, disp. 3. sect. 13. n. 9) probabile censet „in re ipsa numquam dari sufficientem propositionem rei falsæ, quæ ad credendum per fidem infusam sufficiat;" quam opinionem rejicit et impugnat *de Lugo* cum aliis.

717. Modum, quo catholici solent, experientia teste, de facto acquirere certitudinem prærequisitam ad fidem, ita describit *Pesch,* n. 307:

---

simis ad plenam credibilitatis certitudinem, parati semper, quantum ad singulos pro eorum conditione spectat, ad satisfactionem, per Ecclesiam nempe et in Ecclesia, omni poscenti rationem de ea, quae in ipsis est, spe. Sicut namque in veritatibus quibusdam naturalibus, disponente Dei providentia naturali, totum genus humanum citra demonstrationem scientificam habet plenam certitudinem, quae inquisitione philosophica potest quidem in suis fundamentis amplius et distinctius explicari, sed nullis apparentibus rationibus labefactari; ita divina bonitas et sapientia in ordine providentiae supernaturalis disposuit Ecclesiam catholicam iis insignem characteribus, ut in ea citra scientificas inquisitiones, quibus longe maxima pars hominum idonea non est, etiam rudes habeant facile cognoscibile compendium motivorum credibilitatis ad plenam certitudinem, quae poterunt per disciplinas apologeticas distinctiori et ampliori explicatione confirmari; sed non potest rationibus oppositis induci prudens dubium ad illam certitudinem labefactandam."

„*a)* Ecclesia catholica cum sua unitate, sanctitate aliisque notis in se est motivum sufficiens pro omni intellectu ad formandum judicium credibilitatis.

b) Hoc motivum eatenus respectivam tantum certitudinem producit, quatenus non omnes totam vim hujus motivi perspiciunt neque omnes objectiones earumque solutiones noverunt. Hoc autem (quod non solum valet pro rudibus, sed etiam pro doctis) non impedit, quominus vera certitudo adsit.

c) Homines catholici solent actum fidei in hunc modum elicere: O mi Deus, credo omnia, quæ revelasti et per Ecclesiam catholicam credenda proponis, quia tu es æterna veritas, qui nec falli nec fallere potes. — In hoc actu non motivum fidei tantum, sed etiam motivum credibilitatis sufficiens et universale exprimitur.

d) Singulas veritates revelatas fideles explicite credunt, quatenus admittunt symbolum et doctrinam de sacramentis et alia quædam, quæ ab omnibus admitti etiam rudibus notum est.

e) Veritates magis reconditas et minus scitu necessarias plerumque non credunt explicite, sed implicite tantum. Si parochus tales res in concione proponit, non solent de his actum fidei elicere et dicere: O Deus, credo omnia, quæ parochus dixit — sed si volunt post concionem actum fidei elicere, redeunt ad illam universalem formulam.

f) Si per exceptionem accidit, ut ne veritates necessariæ quidem cum debitis motivis proponantur, Deus per gratiam quomodocumque supplebit, quod deest, dummodo homines ipsi officio suo non desint (Cf. *S. Thomas,* 2. 2. q. 8. a. 4. ad 1).

g) Si quis (quæ est sane in Ecclesia catholica rara admodum exceptio) vellet fide divina credere explicite aliquid, quod est falsum, Deus cum gratia sua non concurreret ad talem actum. Et ita verum est in omni actu fidei et in omni recto judicio credibilitatis nexum firmissimum inter actum subjectivum et veritatem objectivam esse auxilium supernaturale."

718. **Corollarium.** Fidei igitur præsupponitur necessario sufficiens usus rationis et debita instructio; si enim hæc desunt, deest necessaria conditio fidei theologicæ. Si recte excoluntur, etiam pueri et rudes facile certitudinem sibi convenientem credibililatis fidei acquirere possunt. Requiritur

itaque, ut parochi et eorum adjutores fideles, nominatim pueros, ita instruant, ut sufficienter apprehendere possint motivum, ex quo de credibilitate fidei certi reddantur. Expedit utique, ut fidelibus subinde magis distincte proponant et exponant motiva credibilitatis, præsertim notas Ecclesiæ; imo id aliquando necessarium esse potest, quando nempe fideles magis exponuntur periculo perversionis et eorum fides periclitatur, propter sparsas e. g. falsas doctrinas.

719. **Scholion II.** *Licet motiva credibilitatis efficiant, ut fides sit rationabilis, hominesque inducant ac disponant ad credendum, nullatenus tamen pertinent ad internum motivum fidei.* Ut homo *rationabiliter* credere possit aliquid fide divina, requiritur ut habeat rationem sufficientem certe judicandi, Deum summe veracem illud revelasse. Hanc autem rationem sufficientem præbent motiva credibilitatis seu argumenta quibus factum revelationis innotescit. His itaque motivis credibilitatis efficitur, ut fides sit, uti Conc. Vaticanum declaravit, „obsequium rationi consentaneum," et „nequaquam motus animi cæcus", et ut possimus, uti dicit S. Petrus, satisfacere omni poscenti nos rationem de ea, quæ in nobis est, spe, seu fide.

Hæc motiva etiam hominem movent, inducunt et disponunt ad fidem, quia eo ipso quod præbent certitudinem de facto revelationis, simul ostendunt prudenter credi posse et debere; ita ut homo, si bonæ sit voluntatis, præstet assensum fidei propter auctoritatem Dei revelantis. (1)

Nullatenus tamen pertinent motiva credibilitatis ad motivum formale seu intrinsecum fidei. Fides enim theologica est assensus firmissimus unice propter Deum, propter auctoritatem Dei revelantis, quod motivum specificat fidem ut obsequium intellectuale erga Deum et ut assensum firmissimum, quæ duo constituunt specificam naturam fidei divinæ, qua ab omnibus aliis actibus essentialiter distinguitur. Quamvis itaque motiva credibilitatis impellant ad fidem, tamquam *motivum externum,* ostendendo rationabile et necessarium esse credere revelata;

(1) „Itaque humana ratio, ita *Pius IX* (Encycl. 9 Nov. 1846), ex splendidissimis hisce aeque ac firmissimis argumentis clare aperteque cognoscens, Deum ejusdem fidei auctorem existere, ulterius progredi nequit, sed quavis difficultate ac dubitatione penitus abjecta atque remota, omne eidem fidei obsequium praebeat oportet, cum pro certo habeat, a Deo traditum esse, quidquid fides ipsa hominibus credendum et agendum proponit."

motivum tamen ipsius assensus fidei est et manet semper sola auctoritas Dei revelantis.

720. **Corollarium.** Ex dictis intelligitur, quo sensu damnata sit ab *Innocentio XI* hæc prop. 19: „Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium." Licet, uti patet, voluntas non possit intellectui imperare assensum firmiorem quam meretur auctoritas Dei revelantis, quæ est motivum formale internum, propter quod assensus est præstandus; potest tamen et debet imperare assensum firmiorem, quam meretur motivum externum et impellens, ut sunt motiva credibilitatis et auctoritas Ecclesiæ.

Art. III. De Analysi actus fidei.

721. I. Per analysim fidei intelligitur *logica fidei in sua principia seu causas resolutio.* Jamvero, uti ex hucusque disputatis liquet, principia actus fidei alia sunt *subjectiva,* quæ et *causæ effectivæ* vocantur, quibus actus fidei proprie efficitur; alia sunt *objectiva,* quæ et *causæ motivæ* dicuntur, quatenus causam efficientem ad actum fidei producendum movent.

Si spectentur principia subjectiva seu causæ efficientes, patet actum fidei resolvi in *intellectum,* qui elicit assensum fidei; in *voluntatem,* quæ illum assensum imperat; *in gratiam,* quæ intellectum et voluntatem elevat atque cum iis ad producendum actum fidei concurrit.

In quæstione autem de analysi fidei præsertim quæritur *de ultimis principiis objectivis,* quia hæc analysis maxime instituitur, ut respondeamus quæstioni, *cur credamus.* Cui quæstioni proprie respondemus assignando ultimas causas motivas, quæ nos ad credendum inducunt. Jamvero actus fidei potest spectari vel in se et *formaliter,* quatenus est ipse assensus præstitus veritati revelatæ propter auctoritatem Dei revelantis: actus fidei sic spectati causa motiva unica et ultima est auctoritas Dei revelantis; vel potest actus fidei spectari ut *complexus* omnium actuum qui ad credendum requiruntur, quique sunt judicium credibilitatis, pius voluntatis affectus et ipse actus credendi: hujus complexus causæ motivæ sunt diversa motiva diversorum istorum trium actuum, quæ

omnia, singula tamen modo diverso, ad fidem movent. Hinc si quæritur fidei analysis secundum suas causas objectivas, dici potest, fidem resolvi *dispositive* in motiva credibilitatis, quibus nititur judicium credibilitatis; *affective* in motiva, quibus nititur imperium voluntatis; *creditive* seu *formaliter* in ipsum motivum intrinsecum fidei, seu in auctoritatem Dei revelantis.

722. II. Hæc omnino plana sunt atque ab omnibus theologis admittuntur. Licet autem de his inter theologos conveniat, adhuc celebris agitur quæstio de analysi fidei, de qua acriter inter se disputant theologi, præsertim inde ab illo tempore, quo *Suarez* et *de Lugo* discrepantes hujus quæstionis solutiones proposuerunt, quarum duarum opinionum singula multos et graves nacta est patronos. Hæc *disceptatio* est de objecto formali et intrinseco ipsius actus fidei, de quo in analysi fidei potissimum quæritur. Certum quidem est, et a nullo theologo negatur, unicum et ultimum motivum formale fidei esse auctoritatem Dei revelantis; est enim fides virtus supernaturalis et theologica. In hac igitur disceptatione theologorum non quæritur, utrum motivum formale ipsius assensus fidei sit sola auctoritas Dei revelantis; sed quæritur, *quomodo assensus fidei ultimo resolvatur in suum objectum formale, quod est auctoritas Dei revelantis.* Ut enim possimus aliquam veritatem credere propter auctoritatem Dei revelantis, debemus cognoscere auctoritatem Dei et factum revelationis. Hæc autem novimus per argumenta humana et motiva credibilitatis. Ergo dum in actu fidei credimus veritates revelatas propter auctoritatem Dei revelantis, videmur auctoritatem Dei et factum revelationis admittere propter argumenta humana et motiva credibilitatis; sicque videtur fides ultimo niti non auctoritate Dei revelantis, sed argumentis humanis, quod sane nullatenus admitti potest.

723. Responsum ad hanc quæstionem vel difficultatem sufficienter continetur in iis, quæ supra, nominatim de judicio et motivis credibilitatis, diximus. Vidimus enim, illam cognitionem auctoritatis Dei et facti revelationis seu judicium credibilitatis nullatenus ingredi ipsum formalem actum fidei, sed esse tantum *conditionem prærequisitam* ad illum, ideoque et motiva credibilitatis, quibus illud judicium nititur, non esse motivum ipsius actus fidei, sed pariter tantum *conditionem*

prævium, in quam proinde actus fidei *non resolvatur tamquam in motivum intrinsecum.* Et re quidem vera cognitio motivi formalis seu auctoritatis Dei revelantis requiritur, ut totum objectum credendum præsens sistatur menti, et ut voluntas prælucente hac cognitione, qua actus fidei apparet rationabilis en honestus, possit et debeat imperare et intellectus elicere assensum in obsequium primæ veritatis. Assensus autem fidei non causatur a cognitione auctoritatis Dei revelantis, sed a voluntate adjuta per gratiam, et proinde firmitas assensus non commensuratur isti cognitioni, sed merito ipsius auctoritatis Dei in se spectatæ, cum voluntas imperet assensum unice præstandum in obsequium primæ veritatis, prout hæc in se meretur. Prædicta itaque cognitio tantum applicat motivum fidei estque solum conditio prærequisita, qua posita voluntas imperat intellectui ut firmissime assentiatur propter auctoritatem Dei, qui assensus proinde *objective* fit propter solam auctoritatem Dei revelantis et *subjective* causatur a voluntate aucta viribus gratiæ. Internum itaque motivum ipsius assensus fidei est sola auctoritas Dei revelantis, ejus autem causa externa imperans est voluntas. Hisce obvie et facile atque, ut nobis videtur, sufficienter solvitur proposita quæstio. Cf. *Mazzella* (de Virt. infus. edit. tertia, disp. 3 art. 9. § 5 sq.), qui explicationem a nobis traditam ita proponit ibid. § 6, Prop. XXXI: „Supposito judicio certo de existentia et credibilitate revelationis, quo totum objectum credendum fit menti præsens, immerito quæri, arbitramur, novam ex parte intellectus objectivam rationem, ob quam Dei revelantis auctoritati assentiamur: cum assensus in veritates revelatas unice in ejus obsequium præstitus, quem concomitatur, sed cujus non est causa cognitio (*S. Thomas,* Quæst. disp. q. 14 de Fide a. 1. ad 6), a voluntate determinetur (2. 2. q. 2. a. 1. ad 3); et illud cui assentitur intellectus non moveat intellectum ex propria virtute, sed ex inclinatione voluntatis (Quæst. disp. q. 14 de Fide a. 2. ad 13): unde quamvis illud quod est ex parte voluntatis possit dici accidentale intellectui, est tamen essentiale fidei (ibid. a. 3. ad 10.)" Addit idem auctor (ibid. n. 821): „Nullum mihi superest dubium, quin hæc sit D. Thomæ sententia," quod variis ex ipso S. Thoma adductis testimoniis probat. Cf. etiam *Pesch,* n. 319 sqq.

724. Plures theologi cum *Suarez* et Card. *de Lugo* quæstionem de analysi fidei insolubilem reddiderunt, eo quod in assensu fidei quærerent, quod in ipso non est nec esse debet. Censent enim non sufficere, ut cognitio motivi formalis tamquam conditio prævia præcedat formalem actum fidei, sed insuper requiri, ut in ipso assensu fidei objectum formale cognoscatur seu affirmetur. Dicunt itaque ipsum assensum fidei constare duplici actu saltem virtualiter distincto, uno, quo affirmetur objectum formale; altero, quo affirmetur objectum materiale seu veritas revelata. Ut autem auctoritas Dei revelantis maneat unicum motivum fidei, unica ratio objectiva in quam ultimatim resolvatur actus fidei, dicere debent et dicunt, illum assensum in motivum formale esse assensum immediatum et firmissimum, quo auctoritas Dei et revelatio propter se ipsas affirmentur. Jamvero quomodo possibilis sit *immediata* cognitio auctoritatis divinæ et facti diu præteriti revelationis, non intelligitur. Propter hanc et alias difficultates, quibus premitur sententia tum Suarezii tum Lugonis, et quarum solutionem non perspicimus, neutram admittere possumus. Cum tamen sententiæ Suarezii et Lugonis magnam obtinuerint celebritatem, cumque plerique posteriores theologi alterutri vel ex integro vel saltem ex parte adstipulati sint, eas breviter exponere juvabit.

725. *Sententia Card. de Lugo* (1) ad hæc breviter reduci potest. Motivum fidei i. e. auctoritas Dei revelantis in ipso actu fidei cognoscitur *immediate ex se ipsa cognitione supernaturali elicita ex habitu et gratia fidei.* Cognoscitur enim tum auctoritas Dei tum ipsa revelatio, prout sunt motivum fidei, immediate per seipsam; quia auctoritas Dei, saltem si ponitur conditionate: si Deus loquitur verum dicit, est per se nota seu ex ipsis terminis apprehenditur; et quia revelatio, quæ est alterum elementum objecti formalis, cognoscitur ex rationibus intrinsecis, characteribus nempe divinis, miraculis etc. simul cum verbis, quibus veritas credenda enuntiatur, unam Dei locutionem integram componentibus; locutio enim, constans verbis simul et factis divinis verba comitantibus, immediate ex seipsa, licet *obscure,* innotescit nobis ut locutio

(1) Op. cit. disp. 1. s. 6—8.

divina, ut revelatio. Hæc *immediata* et partim saltem *obscura* cognitio auctoritatis divinæ et facti revelationis, interna actui fidei, est *supernaturalis,* quia elicitur ab habitu et gratia fidei; est simul *firma super omnia,* quia elicitur a lumine fidei sub imperio voluntatis adjutæ per gratiam. Cum igitur cognitio, qua in actu fidei assentimur auctoritati Dei et revelationi, sit immediata, in hanc ultimo resolvitur actus fidei; cumque hæc cognitio desumatur ex ipsa auctoritate Dei et revelatione per se notis, actus fidei ultimo resolvitur in solam auctoritatem Dei revelantis, quippe quæ cognitione per seipsam et non per aliud attingitur. Juxta hanc itaque sententiam in actu fidei assentimur auctoritati divinæ revelanti propter seipsam quatenus est nobis nota ex terminis; proinde motivum formale fidei est *auctoritas divina revelans per seipsam cognita.*

726. *Sententia Suarezii* (1). Secundum Suarez in ipso actu fidei assentimur auctoritati Dei revelantis, assensu immediato et supernaturali *eam credendo propter seipsam.* Posita enim notitia divinæ auctoritatis ex principiis intrinsecis, posita etiam cognitione revelationis ex motivis credibilitatis, totum fidei objectum est præsens intellectui et voluntas potest imperare formalem fidei assensum; ast dum intellectus sub imperio voluntatis elicit ipsum assensum fidei, præscindendo ab instrinseca evidentia auctoritatis Dei et a motivis credibilitatis demonstrantibus revelationem, unice *credit* veritatem revelatam propter auctoritatem Dei revelantis et hanc propter seipsam. Hinc in hac sententia auctoritati Dei revelantis, prout ut motivum attingitur in ipso actu fidei, assentimur non qua cognitæ ex intrinsecis rationibus, sed non nisi quia est ipsa a Deo revelata, non quidem explicite et in actu signato, sed implicite et in actu exercito. Dum enim Deus revelat aliquam veritatem e. g. trinitatem, simul implicite et *in actu exercito* revelat se esse veracem et se revelare; ac proinde quando creditur auctoritas Dei revelantis, propter quam creditur trinitas, creditur auctoritas Dei revelantis ut revelata in actu exercito ideoque non per aliam distinctam revelationem, sed per eamdem qua revelatur trinitas

(1) Op. cit. disp. 3. s. 6 et 12.

seu *per seipsam.* Cum igitur assensus, quo in actu fidei assentimur auctoritati Dei revelantis, sit *immediatus,* quia creditur non propter aliud sed propter seipsam, in hoc assensu ultimatim sistit actus fidei; cumque iste assensus præstetur auctoritati Dei relevantis unice propter ipsam, actus fidei unice resolvitur in auctoritatem Dei revelantis. Est insuper iste assensus in motivum fidei *obscurus, supernaturalis* et *firmus super omnia* eo ipso, quod est assensus fidei divinæ. Juxta hanc igitur sententiam assentimur auctoritati Dei revelantis propter ipsam, quia eam credimus prout revelatam in actu exercito; ideoque objectum formale fidei est auctoritas Dei revelantis *per seipsam credita.* (1)

727. **Scholion.** *Utrum assensus fidei sit discursivus.* Hæc quæstio cohæret cum præcedente de analysi fidei. Imprimis admitti debere discursum seu ratiocinium in fide, si spectetur *totus processus fidei,* negari nequit, cum manifestum sit, cognitionem præviam auctoritatis Dei et revelationis esse fructum variorum discursuum seu ratiociniorum. De hoc itaque hic non quæritur, sed quæstio est, *utrum in ipso formali actu fidei sit discursus.* Si discursus in actu fidei omnino improprie sumitur et per illum nihil aliud intelligitur, nisi actum fidei esse assensum *mediatum,* quo credamus veritatem revelatam propter auctoritatem Dei revelantis præcognitam, sane sine perversione fidei negari nulllo modo potest. Ast sunt multi theologi, qui censeant actum fidei esse proprio sensu discursivum, autumantes connexionem inter objectum formale et materiale, seu bonitatem illationis ex auctoritate Dei revelantis in objectum revelatum ita immediate cognitam esse in ipso assensu fidei, ut sit partiale motivum credendi objectum revelatum. In nostra sententia, cum in actu fidei objectum formale ut objectum formale non affirmetur eadem specie consensus,

(1) Quoad uberiorem harum sententiarum expositionem et quoad argumenta, quae pro et contra illas proferuntur, consuli possunt inter alios: ***de Lugo,*** l. c.; ***Suarez,*** l. c.; *Wirceburgenses,* De Fide theol. n. 156 sqq.; *Kleutgen,* Theologie der Vorzeit, B. 4. n. 254–285 et „Beilagen"; *Franzelin,* De divina Traditione et Scriptura, ubi agit de habitudine rationis humanae ad fidem divinam cap. 4.; *Scheeben,* Handbuch der Kath. Dogm. t. 1. n. 667 sqq.; *Heinrich,* Dogmatische Theol. tom. 1. § 58; *Mazzella,* De virt. inf. edit. tertia, Disp. 3. art. 9; *Pesch,* Prael. Dogm. t. 8, De Fide, n. 333 sqq.; *Jansen,* Prael. Theol. fundam. § 109; *Brouwer,* Dissert. Dogm. de Fide divina c. 2. § 3.

quo affirmatur objectum materiale, cumque tota illa cognitio auctoritatis divinæ et revelationis tantum ut conditio præcedat ac comitetur assensum fidei, sed causa ipsius sit imperium voluntatis; patet, *assensum fidei nequaquam discursivum dici posse.* Præsupposita enim ista cognitione, variis discursibus acquisita, credimus veritatem revelatam eo assensu, quem meretur auctoritas Dei revelantis in seipsa, non quem meretur nostra cognitio vel affirmatio hujus auctoritatis. Censemus itaque, assensum fidei nullatenus proprie discursivum esse neque formaliter neque virtualiter. (1)

CAPUT III.

DE PROPRIETATIBUS FIDEI.

Cum jam supra dictum fuerit de fidei libertate et supernaturalitate, restat modo ut hoc capite agamus de ejus *certitudine* et *irrevocabilitate, obscuritate, universalitate* et *necessitate,* quod totidem distinctis articulis præstabimus.

ART. I. De fidei certitudine et irrevocabilitate.

§ 1. FIDEI CERTITUDO. (2)

728. **Prænotanda.** 1. Certitudo simpliciter dicta, de qua hic agimus, *est status mentis firmiter adhærentis vero.* Ad certitudinem igitur duo requiruntur: *a)* necessaria seu infallibilis connexio assensus cum veritate; *b)* firma adhæsio intellectus ad objectum. „Qualibet, inquit *de Lugo* (Disp. 6. n. 1), ex his duabus conditionibus deficiente, non dicitur cognitio certa; nam licet assensus probabilis de rationalitate hominis non possit esse falsus, non est certus, quia non adhæret

(1) De hac quaestione conferri possunt inter alios: *Suarez,* disp. 6. s. 4; *de Lugo,* disp. 7; *Mazzella,* disp. 3. art. 10; *Brouwer,* c. 2. art. 3. § 4; *Pesch,* n. 327 sqq.

(2) Cf. *Suarez,* disp. 6. s. 5. n. 6–13; *de Lugo,* disp. 6; *Scheeben,* n. 826 sqq.; *Heinrich,* § 61; *Mazzella,* disp. 3. art. 2; *Jansen,* § 110; *Brouwer,* c. 3. art. 3; *Hurter,* n. 486 sq.; *Pesch,* n. 355 sqq.

firmiter objecto, sed cum formidine: et e contra assensus erroneus, quo sine formidine adhæret firmiter aliquis suo errori, non est certus, quia non habet necessariam connexionem cum veritate." Firmus mentis assensus excludit necessario, uti patet, omnem actualem dubitationem et formidinem, non vero semper possibilitatem dubitationis, quæ ultima solum excluditur certitudine, quæ habetur ex manifestatione veri tam evidenti, ut intellectus ad assensum necessitetur.

729. 2. *Certitudo admittit gradus,* ita ut una alia major esse possit. Cum autem in quavis certitudine tria inveniantur: exclusio dubii, infallibilis connexio cum vero, firma adhæsio, liquet *certitudinem posse tripliciter esse majorem vel minorem:* ratione indubitabilitatis, ratione infallibilitatis, ratione adhæsionis.

a) Ratione indubitabilitatis eo major est certitudo, quo major est evidentia veri; nam evidentia et hæc sola excludit *possibilitatem* dubitationis. Hæc indubitabilitas invenitur in omni specie cognitionis, metaphysica, physica, morali.

b) Ratione infallibilitatis certitudo eo major est, quo major est infallibilitas connexionis cum veritate objectiva. Ita major est certitudo nitens testimonio divino quam illa, quæ nititur testimonio humano.

c) Ratione adhæsionis certitudo eo est major, quo firmior est adhæsio ad objectum. Licet autem certitudo ex evidentia etiam admittat gradus ratione adhæsionis; maxime tamen hoc obtinet in certitudine, quæ consistit in assensu libero, quia ubi voluntas imperat assensum, non solum potest firmius vel minus firme imperare assensum, sed etiam potest imperare assensum plus minusve firmum. Id testatur experientia, qua scimus homines difficillime dimoveri a tenenda sententia, quam veram esse valde cupiunt. (Cf. *Pesch,* l. c. n. 355 sq.).

His breviter prænotatis, quæritur 1. *Utrum assensus fidei sit certus,* excludens nempe omnem formidinem deliberatam, habens tum firmam adhæsionem, tum necessariam connexionem cum veritate? Quæritur 2. *Utrum certitudo fidei excedat aliam quamcumque certitudinem?*

730. I. Quoad primam quæstionem nemini dubium esse potest, assensum fidei esse certum veri nominis certitudine. Sit itaque

Thesis. Assensus fidei divinæ est certus.

Prob. I. Ex S. Script., quæ sæpe exigit aut indicat omnimodam certitudinem in actu fidei, fidem designat iis verbis, quæ firmum assensum ab omni hæsitatione alienum significant. Ita eunucho petenti Baptismum dixit Philippus: „Si credis *ex toto corde,* licet" (Act. VIII, 37); credere ex toto corde est firmissime credere sine hæsitatione. „*Certissime* sciat ergo omnis domus Israel, quia et Dominum eum, et Christum fecit Deus hunc Jesum, quem vos crucifixistis" (Act. II, 36). Apostolus dicit: „Scio cui credidi et *certus* sum" (2 Tim. I, 12). Ratio etiam indicatur, cur firmus requiratur assensus: „Si testimonium hominum accipimus, *testimonium Dei majus est*" (1 Joan. V, 9). Tandem S. Paulus fidem expresse definit tamquam firmam convictionem: „Est autem fides sperandarum substantia rerum, *argumentum* (i. e. convictio ex argumento proveniens) non apparentium" (Hebr. XI, 1).

731. *Prob. II. Ex Traditione.* 1. *SS. Patres* fidei omnimodam certitudinem luculenter docent. Ita e. g. *S. Joannes Chrys.* (hom. 21 in Hebr. n. 2): „Neque circa ea, quæ videntur, incredulitas locum habet; neque fides dici potest, nisi quis circa ea, quæ non videntur, amplius quam circa ea, quæ videntur, certitudinem habuerit." Et *S. Basilius* (Serm. de fide n. 1): „Fides est assensus haud hæsitans super iis, quæ audita sunt, veritatem eorum, quæ Dei munere prædicata sunt, persuasissimam habens." Certitudinem fidei præclare defendit *S. Bernardus* contra Abælardum, qui inter ceteros errores dicebat, fidem esse opinionem: „Fides, ait inter alia, est voluntaria quædam et certa prælibatio nondum propalatæ veritatis" (De Consid. l. 5. c. 3).

2. Ecclesia fidei certitudinem docet in *solemnibus fidei professionibus:* „Hæc est fides catholica, quam nisi quisque fideliter *firmiterque* crediderit, salvus esse non poterit" (Symb. Athanas.); in *conciliis œcumenicis: „Plenum* revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium præstare tenemur" (Conc. Vatic.).

732. *Prob. III. Ex Ratione.* Ratio intima, cur fides sit assensus tum firmissimus excludens omnem dubitationem et hæsitationem deliberatam, tum infallibiliter nexus cum veritate, ideoque certissimus, est quia objective nititur ipsa auctoritate

Dei revelantis, quæ nec falli nec fallere potest quæque postulat assensum firmissimum, et quia subjective procedit ab intellectu, imperante voluntate, auctis gratia, quæ gratia intrinsecam repugnantiam habet cum falsitate.

733. II. Ad secundam quæstionem de excessu certitudinis fidei præ alia qualibet certitudine breviter respondentes dicimus:

1. *Ratione indubitabilitatis certitudo fidei non est major quam certitudo naturalis, quæ est ex evidentia,* sed e contra hac minor est. Licet enim fides excludat omnem dubitationem voluntariam, non tamen excludit possibilitatem dubitationis, quam excludit evidentia. In voluntaria exclusione dubitationis consistit fidei meritum, in voluntaria dubitatione de rebus fidei consistit peccatum contra fidem, per quod fides amittitur.

Cum igitur fides non excludat possibilitatem dubitationis, patet *posse dubitationes circa veritates fidei oriri etiam in homine fideli.* „Non enim, ait *S. Thomas* (De Verit. q. 10. a. 16 ad 6), cognoscuntur certissime (quæ sunt fidei) secundum quod certitudo quietationem intellectus in re cognita importat. . . Et inde est, quod in his, quæ sunt fidei, potest motus dubitationis insurgere in credente." Hæ dubitationes, quamdiu manent involuntariæ, non nocent fidei, sed e contra ejus meritum augent.

734. 2. *Ratione infallibilitatis fides certior est quavis cognitione naturali.* Ratio manifesta est, quia tum causa objectiva seu motivum tum causa subjectiva assensus fidei magis pugnat cum falsitate quam causæ cujuscumque cognitionis naturalis. Etenim motivum fidei est summum, nempe auctoritas Dei seu prima veritas revelans, cui magis opponitur falsitas quam cuivis motivo creato. Causa subjectiva seu principium eliciens assensum fidei est intellectus, non sibi relictus, sed instructus et adjutus gratia; magis autem repugnat, hominem speciali gratia moveri ad assensum falsum, quam decipi in naturali cognitione. Ergo fides est assensus *essentialiter verus* et magis infallibilis quam quævis certitudo naturalis. Ideo *Conc. Trid.* declarat fidei divinæ *non posse subesse falsum* (Sess. VI, c. 9), et fidei certitudinem dicit *absolutam et infallibilem* (ibid. can. 16); et *Conc. Vatic.* definit „omnem assertionem illuminatæ fidei contrariam omnino falsam esse."

Si quis, erronee judicans aliquid a Deo revelatum esse quod de facto non est revelatum, conaretur elicere actum fidei circa id, quod non est revelatum imo quod falsum est, non eliceret actum fidei, tum quia deest motivum, nempe auctoritas Dei revelantis, tum præsertim quia Deus per suam gratiam ad talem assensum non concurreret. Talis itaque assensus foret mere naturalis, nec bonus nec meritorius. Pius tamen credulitatis affectus potest esse bonus et procedere ex gratia ideoque esse meritorius, si nempe homo ex inculpabili errore vult credere, quod non est revelatum.

735. 3. *Ratione adhæsionis fides est firmior et certior quam quævis cognitio naturalis.* Nam per fidem assentimur veritati eo assensu, quem meretur auctoritas Dei revelantis. Atqui auctoritas Dei revelantis, utpote motivum summum et superans quodvis aliud motivum, meretur assensum summum et firmiorem quam omne aliud motivum. Ergo assensus fidei est summus et firmior quovis assensu naturali.

Hæc tamen fidei firmitas non necessario importat assensum *intensive,* sed tantum *appretiative summum* seu firmiorem præ assensu naturali. Intensitas assensus sæpe pendet a naturali dispositione subjecti, a modo quo veritas percipitur et ab impressione quam in intellectu producit. Hinc frequenter fit, ut intellectus intensius assentiatur veritati, immediate præsertim evidenti, quam veritati fidei, non quia illam firmiori assensu dignam æstimat, sed quia eam vividius percipit. In fide sicut in aliis virtutibus non essentialiter requiritur certus gradus intensitatis, sed hæc potest continuo crescere et minuere. Sub hoc respectu intensitatis fides in S. Scriptura dicitur parva vel magna, languens vel vivida. Intensitas fidei præsertim consistit in majore vel minore fervore, facilitate, suavitate, frequentia, qua quis actus fidei elicit. Licet ad hanc intensitatem etiam concurrere possint causæ naturales, ea tamen maxime pendet a majori gratia, a frequentiori iteratione actus fidei, a vita pia et proba.

736. Quivis itaque assensus fidei divinæ, etiam minime intensus, debet esse *æstimative seu appretiative firmus super omnia,* i. e. credens debet auctoritatem Dei revelantis æstimare super omne aliud motivum assensus et illam præferre cuivis motivo in contrarium apparenti: et ex hac æstimatione paratus

esse debet, ut, quantum a libera voluntate pendet, tamquam falsa rejiciat quæcumque veritati revelatæ opposita comperiantur. Hinc qui ex infallibili propositione Ecclesiæ novit veritatem esse a Deo revelatam, tenetur incunctanter et firmissime illi assentiri, quotquot exsurgunt difficultates apparenter insolubiles; nec sufficit ut, interim revocato assensu, paratus sit denuo fidem præstare, quando rationum fallaciam detexerit; tali enim revocatione vel suspensione auctoritatem Dei rationi humanæ postponeret.

737. Sicut autem constat quædam certo revelata esse, ita etiam evidenter constat quædam esse naturaliter certa, de quibus dubitare ne possumus quidem, utpote quæ vere et manifeste evidentia sunt. Cum itaque impossibile sit tales veritates evidentes negare cumque pariter fieri nequeat, ut Deus contrarium iis revelet, summa fidei firmitas non importat, fidelem umquam teneri negare, aut etiam paratum esse ad negandas hujusmodi veritates evidentes, si Deus contrarium revelaret. Tales suppositiones sunt absurdæ et sæpe imprudentes, et ideo ab eis est abstinendum. Quare in eo, quod assensus fidei dicitur firmus super omnia, illud *super omnia* respicit tantum ea, quæ aliquo modo liberæ voluntati subsunt, non vero ea, quæ ita evidentia sunt ut intellectum ad assensum necessitent. (Cf. *Pesch,* l. c. n. 355 sqq.; *Brouwer*, Dissert. Dogm. de Fide divina, c. 3. art. 3.).

§ 2. Fidei irrevocabilitas. (1)

738. **Prænotanda.** Cum fidei certitudine, complectente summam firmitatem et infallibilem veritatem assensus fidei, nectitur fidei catholicæ irrevocabilitas, quam *Conc. Vaticanum* (Const. Dogm. de Fide c. 3) docet his verbis: *„Illi, qui fidem sub Ecclesiæ magisterio susceperunt, nullam umquam habere possunt justam causam mutandi aut in dubium fidem eamdem revocandi."* Huic catholicæ doctrinæ multi opponuntur *errores.*

1. Ne loquamur de naturalismi et rationalismi erroribus omnem revelationem et fidem e medio tollentibus, hic imprimis

(1) Cf. *Heinrich,* § 61. II; *Pesch,* n. 377 sqq.; *Brouwer,* c. 3. art. 3.

commemorandus est ille ex principiis rationalismi profluens error, qui revelationem et ordinem supernaturalem dicit ad summum esse merum privilegium, quod quisque pro lubitu aut acceptare aut respuere possit.

2. Hic notanda quoque est doctrina, jam in Conc. Tridentino damnata, qua dicitur, parvulos, licet baptizatos, cum actum fidei non habeant, non esse inter fideles computandos, sed cum adoleverint interrogandos esse, velintne ratum habere quod patrini eorum nomine polliciti sunt.

3. Recentiori ætate *Hermes,* quem pauci alii catholici secuti sunt, commendavit religionis doctoribus *universalem dubitationem,* docens ad demonstrandas scientifice veritates catholicas necesse esse de singulis positive ac serio dubitare, donec solutis omnibus dubiis et difficultatibus absoluta necessitas rationis illas veritates admittendi perspiciatur. Hunc præsertim Hermesii errorem damnavit *Conc. Vaticanum* verbis supra relatis et respondente hoc canone 6: „Si quis dixerit, parem esse conditionem fidelium atque eorum, qui ad fidem unice veram nondum pervenerunt, ita ut catholici justam causam habere possint fidem, quam sub Ecclesiæ magisterio jam susceperunt, assensu supenso in dubium vocandi, donec demonstrationem scientificam credibilitatis et veritatis fidei suæ absolverint; a. s." Quibus prænotatis sit

739. **Thesis.** Catholicus, qui sub magisterio Ecclesiæ fidem rite amplexus est, numquam habere potest rationem sufficientem hanc fidem mutandi vel in dubium revocandi.

Prob. Hujus doctrinæ duplicem rationem intrinsecam assignat ipsum Conc. Vaticanum: 1. *Objectivam* consistentem in eo, quod catholico *nunquam deest motivum objectivum fidei,* ejus intellectui accommodatum, *nempe Ecclesia catholica;* 2. *Subjectivam* positam in eo, *quod ei numquam deest gratia Dei,* quamdiu ipse gratiæ non deest. „Ad solam enim catholicam Ecclesiam, docet *Conc. Vatic.* (de Fide c. 3), ea pertinent omnia, quæ ad evidentem fidei credibilitatem tam multa et tam mira divinitus sunt disposita. Quin etiam Ecclesia per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis fecunditatem, ob catholicam unitatem invictamque stabilitatem

magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinæ suæ legationis testimonium irrefragabile. Quo fit, ut ipsa veluti signum levatum in nationes et ad se invitet eos qui nondum crediderunt, et filios suos certiores faciat firmissimo niti fundamento fidem, quam profitentur. Cui quidem testimonio efficax subsidium accedit ex superna virtute. Etenim benignissimus Dominus et errantes gratia sua excitat atque adjuvat, ut ad agnitionem veritatis venire possint, et eos, quos de tenebris transtulit in admirabile lumen suum, in hoc eodem lumine ut perseverent, gratia sua confirmat, non deserens, nisi deseratur." Quare catholicus, obortis dubiis et difficultatibus contra fidem, in sua Ecclesia, cujus magisterium facile adire potest, invenit semper motivum et firmissimum et suo intellectui accommodatum ad dubia spernenda et fidem firmiter retinendam; præterea interna illuminatio et motio Spiritus Sancti ipsum ad hoc potenter et suaviter juvat. (1)

740. Licet autem catholicus numquam rationem sufficientem habere possit deficiendi a fide, *non tamen constat talem mutationem fidei seu defectionem ab Ecclesia catholica numquam fieri posse sine peccato formali hæresis.* Id enim non fuit declaratum a Conc. Vaticano, ut patet ex iis, quæ theologi in explicatione schematis concilio propositi adnotarunt: „Neque, aiunt, in proposita declaratione doctrinæ et condemnatione erroris illud attingitur, quod aliqui veteres theologi concedere non dubitant, posse per accidens et in certis quibusdam adjunctis conscientiam rudis cujusdam hominis catholici ita induci in errorem invincibilem, ut sectam aliquam heterodoxam amplectatur sine peccato formali contra fidem, qua in hypothesi is fidem non amitteret, nec formalis, sed materialis hæreticus foret *(Tanner,* de Fide q. 2. dub. 5. n. 139; *Platelius,* de Fide n. 61). Hæc quidem nisi cautissime explicentur, periculose

(1) Hermesii errorem his verbis damnat Conc. Prov. *Coloniense* (tit. 1. c. 6): „Longissime vero aberrant qui hanc homini vindicant libertatem, ut fidem divinam abjiciat aut suspendat, scrutaturus interim argumenta quibus inductus sit ad credendum. Etenim credendi obligatio perpetua est, nec ullo umquam tempore ei se homo subducere debet; perpetuo etiam gratia sua nos Deus, ut credamus, movet et adjuvat, cui umquam resistere nefas est. Argumenta demum, quibus ad credendum homo inductus est, hujusmodi sunt, ut quo magis perpenduntur, eo clariora et graviora appareant; unde consequitur causam, cur homo, quasi illa non sufficiant, fidem suspendat, existere numquam posse."

disputantur, sed ab hæresi, quæ sacro concilio examinanda proponitur, sunt alienissima." Nullo modo tamen videtur concedendum, catholici defectionem a fide umquam sine ullo peccato fieri posse.

741. *Conc. Vatic.* definivit quoque, ut vidimus, *non parem esse conditionem catholicorum et hæreticorum.* Ratio hujus disparitatis est, *quia hæreticis qua hæreticis et vera motiva credibilitatis et gratia desunt.* Et sane „motiva credibilitatis pro fide catholica quo magis considerantur, eo magis persuadent et numquam prudentis dubii locum relinquunt; e contra quæ pro falsa religione allegantur certitudinem non tribuunt, quo magis considerantur eo debiliora apparent et si sedulo inspiciuntur, prorsus evanescunt. Gratia divina catholico dubia imprudentia spernenda imperat, et vires confert ad illa vincenda; e contra in acatholico dubia excitat, et ad quærendam veritatem suaviter monet. Unde dubium deliberatum in catholico infidelitati æquivalet; in acatholico est primus gressus in via veritatis" *(Brouwer,* l. c.). Ex his liquet, quam falsa et perversa sit illa indifferentismi sententia, quæ eodem loco habet defectionem catholici ad sectam hæreticam, et hæretici vel infidelis ad Ecclesiam catholicam conversionem.

Art. II. **De fidei obscuritate.** (1)

742. 1. *Fides christiana est essentialiter obscura.* Hoc explicite docet Apostolus: „Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum *non apparentium.*" Quæ verba expendens *S. Joannes Chrys.* (hom. 21 in Hebr. n. 2) ait: „Si fides est argumentum eorum, quæ non videntur, quid ea vultis videre, ut a fide excidatis?" Ideo fides tamquam visio per speculum et in ænigmate i. e. tamquam cognitio mediata et obscura opponitur visioni facie ad faciem i. e. visioni immediatæ in cœlis (1 Cor. XIII, 12; cf. 2 Cor. IV, 18; V, 7).

2. Ex his S. Scripturæ testimoniis non solum patet, fidem natura sua obscuram esse, sed etiam in quo illa obscuritas consistat colligitur. Fides enim *non est visio* i. e. non est assensus ex evidentia sive immediata sive mediata veritatis.

(1) Cf. *Suarez,* disp. 3. art. 7—9; *de Lugo,* disp. 2; *Mazzella,* disp. 3. art. 4: *Jansen,* § 110; *Brouwer,* c. 3. art. 2; *Pesch,* n. 394 sqq.

Nam fide, ait *Conc. Vatic.,* a Deo „revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem Dei revelantis." Per fidem igitur veritas non videtur, sed admittitur unice propter extrinsecam auctoritatem Dei revelantis, qui testatur quidem veritatem non tamen ejus internam perspicientiam tribuit. Imprimis itaque obscuritas fidei consistit in eo, quod fides formaliter non est visio, sed assensus sine perspicientia internæ veritatis, unice propter infallibile Dei testimonium præstitus.

743. Ast fides non solum distinguitur a visione, sed *etiam opponitur visioni Dei,* ita ut cum hac componi nequeat. Fides enim, testante Scriptura, cessat adveniente visione beatifica. Et re quidem vera fides, cujus proprium et principale objectum est Deus, est cognitio Dei obscura et imperfecta (ex parte), quæ necessario evacuatur per cognitionem Dei claram et perfectam, quæ habetur per visionem: „cum venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est" (1 Cor. XIII, 10). Hinc scribit *S. Thomas* (De Ver. q. 14. a. 3 ad 6): „Veritas prima non est objectum proprium fidei nisi sub hac ratione, prout est non apparens. Unde quando veritas prima præsto erit, amittet rationem objecti." Quare fidei theologicæ obscuritas consistit in eo, quod *per fidem veritates non videntur, sed unice propter externam auctoritatem Dei non visi creduntur.*

Illam obscuritatem, quam hucusque exposuimus, fidei essentialem esse, nullus est qui neget. Sunt tamen haud pauci theologi, qui plus ad eam requirant, nempe vel *inevidentiam objectorum materialium fidei,* vel *inevidentiam attestantis.* Cum de utroque multum disputetur inter theologos, juverit has duas quæstiones scholasticas proponere et quid nobis tenendum videatur breviter aperire.

744. Quær. I. *Utrum cum obscuritate fidei componi possit evidens cognitio objectorum materialium fidei?* Hæc quæstio etiam hoc modo proponi potest et solet: Utrum veritas *aliunde evidenter nota*, puta ex naturali demonstratione, possit etiam ut revelata credi fide divina; ac proinde, *utrum possint in eodem homine simul consistere fides et scientia de eodem objecto?*

Prima sententia, quam communiter sequuntur *Thomistæ* quamque similiter tenent *Scotus* et *Molina* (cf. *Suarez,* disp.

3. sect. 9), censet veritatem utcumque evidenter cognitam non posse esse objectum fidei divinæ. Ita e. g. qui scientifice cognoscit Dei existentiam, unitatem etc. non potest secundum hos theologos, easdem veritates licet revelatas fide divina credere. Unde veritates rationales simul et revelatæ non censentur objectum fidei pro omnibus, sed tantum pro indoctis, qui earum scientiam non habent.

745. *Altera sententia,* quam tenent *Albertus M., Alexander Alensis, Bonaventura, Valentia* (cf. *Suarez,* ibid.), *Suarez, de Lugo* et multi alii, docet fidem non pugnare cum scientia de eodem objecto et proinde affirmat generatim in eodem intellectu de eadem veritate simul esse posse fidem et scientiam. Et quidem, ut hoc distinctius definiatur, hæc sententia statuit in particulari de eadem veritate non solum simul existere posse *habitus* fidei et scientiæ, *habitum* fidei *et actum* scientiæ, *habitum* scientiæ *et actum* fidei, sed etiam *actum* fidei *et actum* scientiæ saltem *successive.*

746. *Hanc secundam sententiam, quæ nobis certa videtur, tenendam esse censemus.* Etenim 1. Secundum *S. Scripturam* et *solemnia Ecclesiæ documenta* omnes, tam docti quam indocti, tenentur credere plura, quæ a multis demonstrative seu scientifice cognoscuntur, e. g. existentiam Dei. Ita Apostolus (Hebr. XI, 6): „Credere oportet accedentem ad Deum, *quia est.*" *Conc. Vaticanum* (Const. Dogm. de Fide c. 1) docet: „Sancta, catholica, apostolica, romana Ecclesia credit et confitetur unum esse Deum verum et vivum. . ." Unde *omnes* jubentur dicere „Credo in unum Deum." Et tamen (ibid. c. 2) docet, eamdem veritatem „naturali humanæ rationis lumine e rebus creatis certo cognosci posse." Quod autem valet de existentia Dei, valet etiam de aliis veritatibus rationabilibus. Ideo idem Conc. (ibid. c. 4) ait: „Præter ea, ad quæ naturalis ratio pertingere potest, credenda nobis proponuntur mysteria in Deo abscondita." Porro ex declaratione ejusdem Conc. (c. 3) „fide divina et catholica ea *omnia* credenda sunt, quæ in verbo Dei scripto vel tradito continentur et ab Ecclesia . . . tamquam divinitus revelata proponuntur."

2. Nostra sententia hac *ratione* solide probatur. Quando una eademque veritas intellectui manifestatur duplici medio seu motivo, adæquate distincto, utroque sufficiente ad provo-

candum certum assensum, nempe demonstratione ex evidentia et divina testificatione, nihil obstat, quominus intellectus propter duplex distinctum motivum eidem veritati assentiatur duplici actu distincto saltem successivo scientiæ et fidei, hocque eo minus obstat, quia assensus fidei superat scientiam certitudine et utpote supernaturalis præ illa habet meritum virtutis.

747. Quær. II. *Utrum obscuritas fidei et proinde fides consistere possit cum evidentia attestantis?*

Prima sententia negat. Hanc sententiam tenent non pauci theologi, inter quos *Gregorius de Valentia, Bannez, Wirceburgenses*, præsertim *de Lugo*, qui consequenter ad suam doctrinam de analysi et de discursu in actu fidei eam tuetur. „Probatur breviter, scribit de Lugo (de Fide disp. 2 sect. 1. n. 7), quia assensus genitus ex clara revelatione non posset non esse assensus evidens objecti revelati; assensus autem, ad quem ordinatur nostra fides, est assensus inevidens et obscurus; ergo nostra fides non posset elicere talem assensum, sed necessarius esset alius habitus clarus et scientificus supernaturalis."

748. *Altera sententia* affirmat. Hanc multi quoque graves theologi tenent, inter quos *Ripalda, Scotus, Vasquez,* ex recentioribus *Mazzella* et *Pesch*. Hanc alteram sententiam præferendam esse censemus. Et re quidem vera ratio, propter quam actus fidei non posset consistere cum evidentia *attestantis* veritatem credendam, esset, quia cum illo non posset componi assensus ita obscurus, ut liber maneret. Atqui evidentia attestantis non obstat, quominus assensus fidei libere eliciatur. Cf. ea, quæ n. 702 diximus de coexistentia libertatis fidei cum evidentia in attestante. „Eatenus enim, ait *Mazzella* (de Virtut. infusis n. 652), ea libertas periret, quatenus assensus eliceretur propter revelationem evidenter cognitam, ut evidenter cognitam, seu propter motiva quæ illam reddunt evidentem: atqui, supposita evidentia revelationis, possum veritati revelatæ assentiri propter revelationem non ut evidentem, seu non propter motiva quæ illam evidentem faciunt; sed ex imperio voluntatis assensum determinantis, quod proprie requiritur ad assensum fidei divinæ." Ergo actus fidei adeoque essentialis ejus obscuritas consistere potest cum evidentia in attestante.

Essentialis itaque obscuritas fidei manet illa, quam supra

ex S. Scriptura collegimus, quæque consistit in eo, quod tum principale objectum fidei est obscurum (sunt nempe mysteria in Deo abscondita), tum motivum assensus fidei est externa Dei testificatio, non interna veritatis revelatæ ratio. Obscuritas, quæ est in fide ex inevidentia sive objecti materialis sive objecti formalis, non est fidei essentialis adeoque sine ea fides esse potest, sed est tantum *accidentalis,* quæ solum auget fidei meritum. (1)

ART. III. De fidei universalitate et necessitate.

§ 1. DE FIDEI UNIVERSALITATE. (2)

749. *Per fidei universalitatem* intelligitur illa fidei divinæ necessaria proprietas, qua *debet se extendere ad omnes veritates a Deo revelatas. Fidem hoc sensu universalem esse debere* facile liquet ex eo, quod *motivum fidei ex natura sua unum est et universalissimum.* Sane unicum motivum fidei divinæ est auctoritas Dei revelantis, cui per fidem debitum voluntatis et intellectus obsequium præstatur. Atqui auctoritas Dei postulat et necessario postulat ab homine absolutum et plenum obsequium voluntatis et intellectus, quoties Deus illi aliquid revelare voluerit. Nam „cum homo, ait *Conc. Vatic.* (l. c. cap. 3), a Deo tamquam Creatore et Domino totus dependeat et ratio creata increatæ veritati penitus subjecta sit, plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium fide præstare tenemur." Ergo ut homo per fidem debitum Deo obsequium præstet, et ut proinde fide divina credat, requiritur, ut absolute et plene se subjiciat auctoritati Dei revelantis, adeoque paratus sit ad obsequendum Deo, quoties et quæcumque ille revelare voluerit. Fides igitur divina ex natura sua necessario est universalis.

750. *Quare is, qui spiritu haeretico negat vel in dubium revocat unam veritatem revelatam, non potest fide divina credere ullam veritatem revelatam,* ideoque nullo modo potest habere fidem divinam. Id autem contingere potest duplici modo.

(1) Quoad duas hic propositas quaestiones conferri possunt, si lubet, inter alios *Mazzella,* disp. 2. art. 6 et disp. 3. art. 4; *Pesch,* n. 402 sqq.; *Brouwer,* c. 3. art. 2. § 2.

(2) Cf. *Pesch,* n. 388 sqq.

1. Quando quis, dum aliqua veritas ut revelata sufficienter proposita est, ne illam credat, *mala voluntate studet sibi persuadere eam non esse a Deo revelatam.* Is enim propter malam illam voluntatem, qua studet evadere officium credendi, non potest habere fidem divinam, quia caret pio credulitatis affectu, sine quo fides divina existere nequit, fitque *formaliter hæreticus,* quia culpabiliter sibi reddit fidem impossibilem. (1) 2. *Quando quis negat vel in dubium revocat veritatem, quam a Deo revelatam esse admittit.* Is enim, negans infallibilem veritatem adeoque auctoritatem Dei, logice destruit motivum essentiale omnis actus fidei divinæ.

§ 2. De fidei necessitate. (2)

751. I. *Fides habitualis omnibus ad salutem necessaria est necessitate medii absoluta,* ita ut sine ea nemo salvari possit. Id sequitur evidenter ex inseparabili connexione habitus seu virtutis fidei cum justificatione. Sane sine justificatione seu sine gratia sanctificante nemo salvari potest. Atqui in justificatione cum gratia sanctificante simul infunditur virtus theologica fidei. Ergo sicut sine justificatione, ita sine habitu fidei nemo salvari potest. Deus positive disposuit, ut sicut gratia sanctificans, ita et fides sit dispositio absolute necessaria ad vitam æternam consequendam. Quare docet *Conc. Vatic.* (Const. Dogm. de Fide c. 3): „Quoniam sine fide impossibile est placere Deo et ad filiorum ejus consortium pervenire, *ideo nemini umquam sine illa contigit justificatio;* nec ullus, nisi in ea perseveraverit usque in finem, vitam æternam assequetur."

752. II. *Fides actualis* (i. e. actus fidei) *adultis peccato-*

(1) „Neque vero, aiunt theologi Concilii Vatic. (Coll. Lac. VII. col. 531), ut aliqui nunc falsissime et periculosissime dicunt, peccatum contra fidem in eo solummodo est, quod admisso facto revelationis Deo non credatur et ipse mendacii accusetur, cujusmodi monstrum inter homines vix occurrit; sed infidelitas, quae damnatur, etiam illa est, quod, dum veritas tamquam revelata sufficienter proposita est, illa revelata esse negatur, et ita fides in hac hypothesi propositionis sufficientis non praestatur. Hanc enim subjectionem rationalis creaturae et captivitatem omnis intellectus infinita majestas, veritas et sapientia, h. e. auctoritas Dei loquentis postulat."

(2) Cf. *S. Thomas,* 2. 2. q. 2. a. 3. 7. 8; *Suarez,* disp. 12; *de Lugo,* disp. 12; *Mazzella,* disp. 3. art. 12; *Pesch,* n. 426 sqq.

ribus ad salutem necessaria est necessitate medii. Hi enim sine fide actuali absolute nequeunt justificari nec consequenter salvari. Hæc absoluta fidei necessitas pro adultis justificandis ex fontibus revelationis invicte probatur. Etenim

1. *S. Scriptura* eam perspicue docet: *„Sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum"* (Hebr. XI, 6). In hoc textu sermonem esse de fide actuali tum ex ipso verbo *credere,* tum ex toto contextu liquet; in eo doceri hujus fidei necessitatem medii ex ipsis verbis manifestum est. Ideo secundum eumdem Apostolum quicumque justificatur vitam justitiæ ex fide accipit: *„Justus meus ex fide vivit"* (Hebr. X, 38); et *„Non justificatur homo* ex operibus legis *nisi per fidem Jesu Christi"* (Gal. II, 16). Eadem in epistolis S. Pauli ad Romanos et Galatas passim occurrunt. Similiter ipse Christus: „Prædicate evangelium omni creaturæ. *Qui crediderit* et baptizatus fuerit, *salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur"* (Marc. XVI, 15 sq.).

2. *Conc. Tridentinum* (sess. 6. c. 7) docet: „Sine ea (fide) nulli umquam contigit justificatio," quibus verbis manifeste docetur necessitas medii. Porro fides, qua adulti disponi debent ad justificationem, est fides actualis, nam eam esse dicit idem Conc. (ibid. c. 6), quam „ex auditu concipientes libere moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata et promissa sunt." Et (ibid. c. 8) dicit: „per fidem ideo justificari dicimur, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis." Eamdem doctrinam repetit et inculcat *Conc. Vaticanum.*

753. **Corollarium.** *Ergo ad justificationem consequendam non sufficit fides late dicta.* Aliqui præter fidem theologicam *stricte dictam,* quæ nititur auctoritate Dei revelantis, de qua in hoc tractatu agimus, statuunt aliam fidem *late dictam,* quæ est cognitio rerum divinarum et moralium, ex creaturis quidem, sed cum adjutorio Dei supernaturali comparata. Hanc cognitionem fidem vocant, quia nititur, ut aiunt, revelatione late dicta, quæ juxta ipsos consistit in eo, quod Deus seipsum hominibus manifestavit per creaturas, quippe quæ enarrant gloriam sui Creatoris. Hanc fidem late dictam nonnulli theologi ad justificationem sufficere dixerunt, quia putabant, cum necessitate medii actus fidei stricte et proprie dictæ non posse

componi possibilitatem salutis pro tot hominibus, qui nihil umquam de revelatione divina audierint. Explicare quomodo, non obstante prædicta necessitate, istis hominibus possibilis sit salus æterna, non est hujus loci; hoc in tractatu de gratia præstabimus. Hic tantum asserimus, fidem late dictam non sufficere ad justificationem, idque ex demonstratione facta consequi. Et re quidem vera *S. Scriptura,* docens necessitatem fidei ad justificationem, loquitur de fide simpliciter, quæ secundum definitionem Apostoli (Hebr. XI, 1) est „sperandarum substantia rerum;" hæc utique est fides theologica stricte dicta. Conc. *Tridentinum* et *Vaticanum* fidem, quam ad justificationem absolute necessariam dicunt, ita describunt, ut non possit intelligi nisi fides stricte dicta. Fidem late dictam non sufficere ad justificationem præterea certum est ex damnata ab *Innocentio XI* propositione. „Fides late dicta ex testimonio creaturarum similive motivo ad justificationem sufficit."

754. III. *Fides actualis non tam absolute necessaria est pro adultis justis, quam pro adultis peccatoribus.* Justus enim habet gratiam sanctificantem (cum virtutibus infusis), quam si conservat salutem consequitur; hanc autem non amittit nisi transgrediendo præceptum Dei peccet. Hinc theologi, ubi statuunt necessitatem actus fidei necessitate medii, loquuntur de justificandis adultis: „Quæstio, ita *de Lugo* (de Fide disp. 12. Sect. 1. n. 3), solum procedit de peccatore adulto, qui debet justificari, ut salvetur."

Nihilominus fides actualis necessaria est ad salutem etiam adultis justificatis. Et quidem 1. *necessitate præcepti,* quod sane a nemine negabitur, cum Deus præcepto positivo *omnibus adultis præcipiat* actum fidei.

Insuper 2. *aliqua necessitate medii.* Licet enim pro adulto justo actus fidei non sit medium necessarium ad acquirendam justificationem, neque immediate ad conservandam justitiam, cum hanc non amittat nisi per peccatum mortale; est tamen pro ipso medium necessarium ad varia officia christiana, præstanda ut in justitia perseveret et ad salutem perveniat. Nam ut homo in justitia usque ad finem perseveret, debet orare, præcepta implere, merita comparare, ad hæc autem necessaria est fides, quæ eorum omnium radix est. Pariter in sacramentis suscipiendis actus fidei requiritur ad debitam

dispositionem. Ergo dicendum est, fidem actualem etiam adultis justificatis necessariam esse ad salutem non solum necessitate præcepti, sed etiam aliqua necessitate medii. Cf. *Pesch* n. 434 sqq.

755. IV. *Quædam explicite sunt credenda.* Cum fides necessario debeat esse universalis, fides actualis adultis necessaria ad salutem se extendere debet ad omnes veritates divinitus revelatas; non tamen omnes explicite sunt credendæ. Et ex iis, quæ explicite sunt credendæ, aliæ sunt ita credendæ ex necessitate medii, aliæ tantum ex necessitate præcepti. Quia quæstio de explicite credendis ad salutem pertinet ad theologiam moralem, eam breviter expediemus.

1. *Ex necessitate medii duo articuli explicite credendi sunt: Deus existens et Deus remunerator.* Intelligitur autem Deus remunerator *in ordine supernaturali,* seu in quantum bene meritis dat præmium vitæ æternæ (cf. Rom. II, 6 sqq.). Necessitatem medii fidei explicitæ horum duorum articulorum diserte docet Apostolus (Hebr. XI, 6): „Accedentem ad Deum oportet credere, *quia est* et inquirentibus se *remunerator est.*" Utriusque veritatis necessitate medii requiri fidem explicitam, constat etiam ex damnata ab *Innocentio XI* propositione: „Non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita remuneratoris." Necessitas fidei explicitæ quoad hos duos articulos oritur quidem ex positiva ordinatione divina, consequitur tamen etiam ex ipsa veluti rei natura, quia sine cognitione et fide explicita harum veritatum homo non potest habere debitam conversionem ad Deum, finem suum supernaturalem. *„Quam convenienter,* inquit *Pesch,* n. 446, *hi duo articuli credendi sint necessitate medii,* facile intelligitur. Nam accessus hominis ad Deum incipere debet a cognitione. Objectum autem hujus cognitionis maxime necessarium est illud, quo dirigitur motus supernaturalis in debitum finem. Atqui finis noster est Deus ut institutor ordinis supernaturalis. Ergo ante omnia cognoscendus est ipse Deus et finis, quem nobis præstituit. In his duobus articulis omnia alia virtualiter includuntur. Nam qui fide divina credit Deum existere, implicite credit omnia attributa, quibus Deus intrinsecus constituitur. Et qui credit providentiam supernaturalem Dei remuneratoris, implicite credit auxilia interna et externa, quæ

ad ordinem supernaturalem pertinent. Ergo aptissime hi duo articuli maxime necessarii sunt."

Animadvertatur demum illa, quæ supra diximus de necessitate pro adultis fidei actualis universim, etiam valere de necessitate fidei explicitæ duorum prædictorum articulorum; quare hæc necessitas medii imprimis et absolute existit ad consequendam justificationem adeoque pro adultis peccatoribus, minori autem gradu pro adultis justis.

756. 2. *Probari nequit, fidem explicitam Christi Redemptoris et SS. Trinitatis necessariam esse necessitate medii ad salutem;* imo *probabilius* saltem est, eam, ne in nova quidem lege ita necessariam esse.

Fidem explicitam horum duorum articulorum adultis *christianis* necessariam esse *ex necessitate præcepti,* nemo est qui neget. Eam autem necessariam quoque esse necessitate medii, multi et magni theologi negant, et merito quidem. Hæc enim necessitas medii probari nequit neque ex natura rei, neque ex positiva institutione Dei. Non probatur *ex natura rei,* quia per se et ex natura rei ad justificationem sufficit cognitio et fides Dei et Remuneratoris, cum ex hac sola possit homo habere debitam conversionem ad Deum, seu elicere actum amicitiæ supernaturalis perfectum et justificantem. Neque probatur *ex positiva Dei ordinatione;* talem enim positivam ordinationem non existere, constat tum ex negatione tot et tantorum theologorum, tum præsertim ex eo quod Apostolus (Hebr. XI, 6), ubi tradit ea, quæ credenda sunt necessitate medii, hos duos articulos non commemorat. Quæ autem ex SS. Litteris afferuntur ad probandam necessitatem medii explicitæ fidei Christi (et consequenter Trinitatis), id non probant, quia unice docent vel necessitatem præcepti fidei Christi, vel fidem Christi esse causam salutis, et fidei supernaturalis efficaciam ad justificandum esse ex meritis Christi.

757. Adjicere juvabit, quæ addit *Pesch,* n. 451, postquam statuit probari non posse fidem explicitam horum duorum articulorum necessariam esse necessitate medii absoluta: „Ex altera tamen parte, ait, *concedenda est quædam necessitas fidei Christi in novo testamento,* et necessitas quidem major quam pura necessitas præcepti, quia fides explicita Christi est dispositio necessaria ad baptismum et ad ingressum Ecclesiæ.

Quamvis igitur possit aliquis justificari sine fide Christi re elicita, sicut justificari potest sine baptismo re suscepto, non tamen sine voto fidei, sicut neque sine voto baptismi. Itaque multa alia, quæ revelata sunt, post baptismum addisci possunt, sed articulus de Christo redemptore per se fide explicita credendus est ante baptismum, per accidens vero sufficit votum hujus fidei. Quare necessitas hujus fidei non est absoluta, sed dispensabilis *(Suarez* l. c. n. 18. 19. *Salmantic.,* De fide disp. 6, dub. 1. n. 82.)"

758. 3. *Explicita fides præcipuorum articulorum omnibus adultis necessaria est necessitate præcepti.* Quoad hanc necessitatem præcepti, et quoad uberiorem expositionem supra traditæ necessitatis medii, consulantur theologi morales.

CAPUT IV.

DE FIDEI REGULA, DEQUE FIDEI HABITUDINE AD RATIONEM.

759. Ex una parte fides divina complecti debet omnes veritates divinitus revelatas; et ex altera parte hæ veritates non immediate revelantur singulis, sed ante multa sæcula a Deo revelatæ, conservatæ sunt, et post longas generationum series ad nos pervenerunt. Quærendum igitur est, quonam medio nobis conservatæ sint veritates revelatæ, et a quonam accipiendæ. Hoc medium conservans et proponens adeoque determinans veritates revelatas, seu credendas, dicitur *regula fidei.* Licet hæc quæstio soluta jam sit in anterioribus tractatibus de Fontibus revelationis et de Ecclesia Christi; opportunum tamen ducimus, tum ad meliorem intelligentiam tum ad complementum doctrinæ de fide, ex ibidem demonstratis explicite deducere fidei regulam nominatim proximam, quæ est propositio Ecclesiæ, hancque paucis declarare. Cum autem fides, uti vidimus, sit rationabile obsequium; ratio humana suas quoque in fide habet partes, sive ut se ad eam suscipiendam præparet, sive ut illam suscipiat, sive ut eam susceptam conservet, excolat ac defendat. Inquirendum itaque est, quodnam

in re fidei sit munus rationis, et quænam ejus ad fidem habitudo. Id, pro ratione compendii, breviter præstabimus. Quare hoc caput duos complectitur articulos: primus de fidei regula, alter de fidei habitudine ad rationem agit.

Art. I. **De Fidei regula.** (1)

760. *Regula fidei remota sunt Scriptura et Traditio, regula autem proxima est Ecclesiæ propositio.* Illud medium vel principium, quo certo et tuto exhibentur et proponuntur veritates revelatæ ideoque credendæ, dicitur fidei regula, quia determinat quid a singulis sit credendum, sicque est norma, quæ dirigit singulos in fide et ad quam fides singulorum exigenda est. Quænam sit hæc regula docet *Conc. Vatic.* (Const. Dogm. de Fide c. 3) definiens: „Fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quæ *in verbo Dei scripto vel tradito* continentur, *et ab Ecclesia* sive solemni judicio sive ordinario et universali magisterio tamquam divinitus revelata *credenda proponuntur.*" Est itaque regula fidei tum Scriptura et Traditio tamquam principium continens omnia revelata, tum Ecclesia suo magisterio explicans et proponens quæ in Scriptura et Traditione comprehenduntur. Quare Scriptura et Traditio dicuntur regula fidei *remota;* propositio vero Ecclesiæ est regula fidei *proxima,* quia hæc ultimatim singulis applicat atque proponit quæ in regula remota habentur. Cf. quæ tradidimus supra n. 280.

761. Hanc fidei regulam tum remotam tum proximam antea sufficienter probavimus. Ad complenda tamen ibidem tradita quædam hic addenda sunt *de propositione Ecclesiæ.*

Ecclesia dogmata credenda proponit vel solemni judicio vel ordinario et universali magisterio. Hunc duplicem proponendi seu docendi modum indicat Conc. Vatic. verbis supra relatis. Unus modus est *solemnis* et *extraordinarius,* qui rarius et non nisi adjunctis cogentibus exercetur; alter est *ordinarius* et *quotidianus,* qui jugiter exercetur et in ipsa jugi prædicatione Ecclesiæ consistit. Solemnis modus docendi seu proponendi credenda habetur *a)* in *definitionibus dogmaticis Conciliorum*

(1) Cf. *Suarez,* disp. 5; *Mazzella,* disp. 4. art. 1; *Jansen,* § 124 sq.; *Hurter,* n. 498 sqq.; *Tanquerey,* de Eccl. Christi, n. 165 sqq.

œcumenicorum; b) in *definitionibus ex cathedra Romanorum Pontificum; c)* in *symbolis vel fidei professionibus ab Ecclesia editis vel approbatis; d)* in *definitionibus dogmaticis conciliorum particularium,* quando hæc sunt *vel a S. Pontifice approbata in forma solemni, vel recepta ab universa Ecclesia,* ut Conc. *Milevitanum II* adversus Pelagianos, *Arausicanum II* adversus Semipelagianos, etc. Modus ordinarius habetur quando Ecclesia aliquid tamquam revelatum credendum esse docet suo „ordinario et universali magisterio," quod jugi et consentiente pastorum prædicatione continetur. Hoc modo plura credenda proponi ab Ecclesia liquet ex verbis supra relatis Conc. Vaticani, et vel ex eo constat, quod secus primis Ecclesiæ sæculis fere nihil fuisset credendum. Quare *Pius IX.* (Litt. ad Archiep. Monacensem 21 Dec. 1863) docet: „Etiamsi ageretur de illa subjectione, quæ fidei divinæ actu est præstanda, limitanda non esset ad ea, quæ expressis œcumenicorum Conciliorum aut Romanorum Pontificum hujusque Apostolicæ Sedis decretis definita sunt, sed ad ea quoque extendenda, quæ ordinario totius Ecclesiæ per orbem dispersæ magisterio tamquam divinitus revelata traduntur, ideoque universali et constanti consensu a catholicis theologis ad fidem pertinere retinentur."

Quod spectat ad quæstionem, *quomodo cognoscatur Ecclesiæ propositio,* qua aliquid divinitus revelatum ideoque ab omnibus credendum esse doceatur: dicendum est imprimis eam multiplici modo, et plerumque quidem facile, cognosci. Et sane propositio illa *solemnis,* cujus quatuor modos indicavimus, plerumque per se facile innotescit. Animadvertendum tamen est, nec Concilium nec S. Pontificem in edendis definitionibus dogmaticis ulli certæ verborum formulæ adstringi. Sufficit et requiritur, ut iis utantur verbis, quæ clare significent *definitivam* in re fidei vel morum *sententiam,* quæ *universam Ecclesiam obliget* ad illam ut revelatam credendam. Non necessario igitur requiritur *canonis* forma. Quare errant illi, qui putant in solis canonibus Conc. *Tridentini* (et *Vaticani),* non vero in capitibus, dogmata credenda proponi. Quoties enim ex intentione et verbis Concilii vel S. Pontificis *certo* constat, definitivam ferri sententiam, toties habendum est ut dogma fidei catholicæ illud, in quod talis definitio *directe* et *immediate* cadit.

Propositio dogmatis catholici, quæ ab Ecclesia fit modo minus solemni per magisterium ordinarium et universale, innotescit ex consensu Patrum et theologorum, ex cultu et praxi Ecclesiæ, ex catechismis, instructionibus, præsertim ex decretis conciliorum particularium, quæ in variis mundi partibus habita sunt etc.

762. *Præter dogmata credenda, multa alia proponit Ecclesia ab omnibus tenenda.* Hucusque locuti sumus de ea Ecclesiæ propositione, quæ proprie est *regula credendi,* qua proponuntur veritates divinitus revelatæ fide divina et catholica credendæ. Hujusmodi *veritas revelata ut talis ab Ecclesia proposita* dicitur *dogma catholicum.* Præter dogmata autem, ab omnibus fidelibus fide divina et catholica credenda, Ecclesia multa alia docet, quæ quidem non sunt formaliter revelata, cum revelatis tamen ita nectuntur ut ipsa revelatio salva esse nequeat, nisi hæc in tuto sint, eaque docet vel *directe* statuendo ipsam doctrinam tenendam, vel *indirecte* ferendo *censuram* in doctrinam oppositam reprobandam. Hæc Ecclesia proponit non ut credenda, quia non sunt revelata, sed ut *tenenda* ab omnibus; ideoque hæc Ecclesiæ propositio (prædictorum) non quidem est norma credendi, est tamen *norma catholice sentiendi.* Duplex enim distingui debet acceptio *doctrinæ catholicæ,* una stricta, altera minus stricta. Doctrina catholica *stricte* dicta eadem est ac *fides catholica* et complectitur omnia dogmata fide divina et catholica credenda; qui ab hac pertinaciter deflectit fit *hæreticus.* Doctrina catholica *minus stricte* sumpta comprehendit præter dogmata multa alia, de quibus paulo supra diximus, quæ teneri debent, non quidem ut catholice credatur et hæresis vitetur, sed ut *catholice sentiatur* et quævis fidei læsio vitetur. (1) Quapropter in Encycl. *Quanta cura* dicit Pius IX: „Silentio præterire non possumus eorum audaciam, qui sanam non sustinentes doctrinam contendunt, illis Apostolicæ Sedis judiciis et decretis quorum objectum ad bonum generale Ecclesiæ, ejusdemque jura, ac disciplinam

(1) Ab hac doctrina catholica, quam omnes tenere debent, probe distinguenda est doctrina catholica *sensu latissimo* accepta, quae significat quamlibet doctrinam non adversantem doctrinae Ecclesiae, quam quilibet catholicus tuto complecti potest, non tamen tenetur. Hoc sensu duae opiniones oppositae, e. g. praedestinatio adultorum ante et post praevisa merita etc., *catholicae* dici possunt.

spectare declaratur, dummodo fidei morumque dogmata non attingat, posse assensum et obedientiam detrectari *absque peccato et absque ulla catholicæ professionis jactura.*" Ut autem determinetur, quousque se extendat hæc norma catholice sentiendi, attendendum est ad ea, quæ in tractatu de Ecclesia de objecto magisterii ecclesiastici tradidimus. Ne autem ibidem tradita repetamus, sufficiet hic quædam subjicere tum de censuris theologicis, tum de auctoritate Congregationum Romanarum. Itaque

763. *Quæritur I. Quid sit censura theologica et quænam sit ejus vis.* (1) 1. *Notio censuræ theologicæ.* Duplex distinguitur censura: *ecclesiastica,* quæ per se et directe afficit personas et a canonistis vel moralistis explicatur; et *theologica,* quæ directe refertur ad sententias seu doctrinam; de hac altera solum agimus. Censura theologica definiri solet: *judicium, seu sententia, qua nota prava et maligna cuidam inuritur doctrinæ tamquam fidei aliquo modo nocivæ.* Pro ratione ferentis censura theologica dicitur vel mere *doctrinalis,* quæ fertur a privatis theologis et solum vim habet judicii a peritis prolati; vel *judicialis,* quæ fertur a legitima auctoritate. Censuras pure doctrinales solebant olim ferre sacræ Universitatum facultates; prohibitum tamen est, ne privati theologi ullam censuram theologicam inurant opinionibus, quæ etiamnunc inter catholicos libere controvertuntur. Censuras judiciales ferre possunt illi, qui auctoritate authentice docendi gaudent in Ecclesia: singuli episcopi in propria diœcesi, concilia particularia in proprio territorio jurisdictionis; Congregationes Romanæ ferre possunt censuras universales, sed non infallibiles; Romanus Pontifex et Concilia œcumenica censuras universales et infallibiles. Porro duplici modo hæ censuræ feruntur: vel singulis propositionibus sua censura apponitur; vel multæ propositiones *in globo* damnantur, summatim pluribus indicatis censuris, quo in casu singulis propositionibus una ex indicatis censuris convenit, quæ vero in particulari, non significatur sed videndum

(1) *Suarez,* disp. 19. s. 2; *de Lugo,* disp. 20. s. 3; *Melch. Canus,* de locis theol. l. 12. c. 6—9; *Franzelin,* de div. Traditione, Schol. 1 et 2 ad th. 12; *Mazzella,* disp. 2. art. 8; *Jansen,* § 130; *De Groot,* q. 9. art. 5; *Vermeulen,* dissert. de Rom. Pontif. infall. in ferendis censuris; *Hurter,* n. 508 sqq.; *Pesch,* de Eccl. n. 554 sqq.; *Tanquerey,* n. 60 sqq.

est ex subjecta materia. A censura demum distinguenda est *prohibitio* doctrinæ vel propositionis, quæ interdum ob rationes prudentiæ fit, ut vitetur dissidium, scandalum etc. Hæc prohibitio est mera lex disciplinaris non vero judicium de qualitate doctrinæ, cujus tantum *usum* interdicit, non adstringit per se ad mentis assensum, nec de se perpetua est, sed cessare potest.

764. 2. *Auctoritas et vis censurarum.* Loquimur de censuris a S. Pontifice vel Concilio œcumenico latis. Ecclesiam habere jus et officium ferendi censuras, etiam hæresi inferiores, eamque in illis ferendis esse infallibilem ostendimus in tractatu de Ecclesia. Hujusmodi igitur censuræ infallibili Ecclesiæ judicio latæ sunt *irrevocabiles,* ideoque *numquam* licet propositiones hujusmodi censuris notatas ut veras defendere; ex quo ulterius deducitur illas propositiones esse objective falsas, licet hoc ipsa censura non expresse significetur, nam admitti nequit Ecclesiam posse in perpetuum prohibere, ne doctrina objective vera umquam ut vera proponatur. Excipiuntur illæ propositiones, quæ notantur non propter doctrinam enuntiatam, sed propter solum modum loquendi, quia modus loquendi variis temporibus varius esse potest.

Hisce censuris judicialibus, etiam hæresi inferioribus, ab omnibus fidelibus præbendus est internus et indubius mentis assensus. Id constat tum ex natura censuræ, quæ est *authenticum* Ecclesiæ judicium reprobans doctrinam fidei nocivam, cui intellectus subjiciendus est, quæque est judicium *infallibile,* cui indubius præstandus est assensus; tum ex declaratione ipsius Ecclesiæ postulantis talem assensum: ita e. g. *Clemens XI,* in Bulla *Unigenitus:* „Mandamus omnibus . . . ne de dictis propositionibus sentire, docere, prædicare aliter præsumant, quam in nostra constitutione continetur." Similiter declarant *Martinus V,* in Bulla *Inter cunctas,* et *Pius IX,* in Encycl. *Quanta cura.* Hinc *a*) tenentur fideles firmo mentis assensu propositiones censuratas eo sensu rejicere, quo notantur, seu admittere, propositionem eam mereri censuram, qua eamdem notet Ecclesia et, si propositiones in globo damnantur, nullam esse propositionem cui non aliqua ex adjectis censuris conveniat, et nullam esse censuram quæ non cadat in aliquam propositionem. *b*) Eo ipso quod tenentur respuere propositiones damnatas, tenentur quoque doctrinam doctrinis damnatis con-

tradictorie oppositam interne amplecti, non quidem ut dogma fidei nisi doctrina censurata damnata sit ut hæretica; sed ut doctrinam *sanam* et *veram,* quæ *tenenda* est assensu *fidei ecclesiasticæ* propter infallibilem Ecclesiæ in docendo auctoritatem. Animadvertendum autem est, *doctrinam sanam et veram* doctrinæ damnatæ oppositam non semper esse eam, quæ *propositioni* damnatæ contradictorie opponatur. Quare ad eam inveniendam sedulo videndum est, quo sensu aliqua propositio sit damnata, quod si ex inspecta ipsa propositione certo sciri nequeat, ad documenta authentica, in quibus censura lata est, et ad analogiam fidei est recurrendum.

Etiam censuris latis ab auctoritate non infallibili, puta ab episcopo vel a Congregatione Romana, *deberi internum mentis assensum, licet non absolute indubium,* eisque non satisfieri silentio obsequioso, liquebit ex iis, quæ statim dicemus de auctoritate Congregationum Romanarum.

765. 3. *Præcipuæ censuræ breviter explanantur.*

Propositio *hæretica* ea est quæ directe et immediate opponitur veritati revelatæ et ab Ecclesia propositæ, seu dogmati catholico.

Hæresi proxima dicitur propositio quæ opponitur doctrinæ *fidei proximæ* i. e. doctrinæ nondum ab Ecclesia definitæ, communiter tamen habitæ ut revelatæ.

Hæresim sapiens dicitur propositio quæ, licet absolute possit habere sensum orthodoxum, potius tamen præ se fert sensum hæreticum, præsertim spectatis circumstantiis personarum et temporum, ut si Lutheranus dicit: „Fides justificat." Si indicium sensus hæretici est minus grave, dicitur *suspecta de hæresi.*

Erronea dicitur propositio, quæ opponitur vel conclusioni theologicæ (i. e. veritati mediate revelatæ) ab Ecclesia propositæ; vel doctrinæ revelatæ, nondum tamen ab Ecclesia definitæ nec communi consensu ut revelatæ receptæ. Ex data notione propositionis hæresi proximæ, sapientis hæresim et suspectæ de hæresi intelligitur, quæ sit propositio *errori proxima, errorem sapiens,* vel *suspecta de errore.*

Temeraria dicitur propositio, quæ sine sufficienti fundamento recedit a communi Patrum et theologorum sententia. In hac censura intelligitur objective deesse fundamentum adeoque propositionem esse falsam. Nota temeritatis, prout est censura

theologica, significat temeritatem positivam et denotat propositionem pro quavis conditione fundamento carentem. Quare hæc censura non est confundenda cum nota *temeritatis negativæ,* quæ proprie non est censura theologica: sic si quis propositionem novam quidem, sed veram adstruit sine sufficienti ratione, talis propositio est negative temeraria.

Propositio *scandalosa* est ea, quæ per se dat occasionem ruinæ spiritualis, sive inclinando ad peccata, sive avertendo a virtutibus.

Schismatica dicitur propositio, quæ adversatur unitati Ecclesiæ et viam parat scissioni: si retrahit ab obedientia S. Pontifici debita negando ejus supremam auctoritatem est *hæretico-schismatica;* si tantum retrahit a dicta obedientia est simpliciter schismatica.

Seditiosa vocatur propositio, quæ retrahit ab obedientia principibus civilibus debita, aut ad tumultus in republica excitandos inducit.

Male sonans dicitur propositio, quæ verbis incongruis enuntiat sensum verum et propter verba incongrua facile male intelligi potest.

Piarum aurium offensiva est propositio, quæ modo loquendi reverentiam rebus sanctis debitam lædit.

Quid sit propositio blasphema, injuriosa, facile intelligitur.

Qui de censuris plura cupit, consulere potest, præter supra allatos, *Antonium de Panormo,* auctorem classicum in hac materia, in *Scrutinio doctrinarum; Montagne* de censuris seu notis theologicis (Migne, theol. cursus I).

766. *Quær. II. Quænam sit auctoritas Congregationum Romanarum?* (1) Inter Congregationes Romanas, quæ sunt collegia cardinalium certis negotiis ecclesiasticis dirigendis, discutiendis et decidendis præposita, præcipua est Sacra Congregatio inquisitionis hæreticæ pravitatis seu *S. Officii,* quæ est summum fidei tribunal, a cujus sententia appellatio non admittitur, cujus veluti vicaria est Congregatio *Indicis* librorum prohibitorum.

Hæ Congregationes potestate ordinaria, a S. Pontifice accepta, possunt in rebus fidei et morum *leges ferre pro*

(1) Cf. *Franzelin,* l. c.; *Mazella,* l. c. n. 454 sqq.; *De Groot,* q. 15. art. 7; *Pesch,* de Eccl. n. 521; *Tanquerey,* de font. theol. n. 32.

universa Ecclesia. Cum tamen S. Pontifex non possit cum aliis communicare suam infallibilitatem, decreta harum Congregationum *non sunt infallibilia*, etiamsi nomine et auctoritate S. Pontificis sint edita, imo etiamsi S. Pontifex ea sua suprema auctoritate confirmet. Hujusmodi decreta tunc tantum sunt infallibilia, quando S. Pontifex illa *sua* facit proprioque nomine edit cum illis adjunctis, quæ a Conc. Vaticano ad definitionem ex cathedra requiruntur: quo in casu Congregatio se habet non per modum judicantis, sed per modum consulentis.

767. Cum itaque decisiones doctrinales SS. Congregationum non sint infallibiles, quæritur, *quamnam obligationem inducant.*

Omnes concedunt hujusmodi decretis deberi obedientiam; hanc tamen aliqui restringunt ad *silentium obsequiosum,* adeoque mere ad omissionem actuum externorum. Ast non sufficere silentium obsequiosum cum interna mentis repugnantia, sed insuper *requiri internum mentis assensum* constat ex documentis Ecclesiæ. Ipse Pontifex *Pius IX* (Litt. ad Archiep. Monac. 21 Dec. 1863) ait: „Cum agatur de illa subjectione, qua ex conscientia ii omnes catholici adstringuntur, qui in contemplatrices scientias incumbunt, ut novas suis scriptis Ecclesiæ afferant utilitates, idcirco ejusdem conventus viri agnoscere debent, sapientibus catholicis haud satis esse, ut præfata dogmata (expresse ab Ecclesia definita) recipiant, verum etiam opus esse, ut se subjiciant tum decisionibus, *quæ ad doctrinam pertinentes a Pontificiis Congregationibus proferuntur,* tum" etc. Id liquet ex actis in causa Ontologismi, et ex subscriptione, quam S. C. Indicis exegit a *Bonetty,* a. 1855. Et re quidem vera legitimæ auctoritati docenti, seu præscribenti aliquam doctrinam sequendam vel non sequendam, per se debetur assensus intellectus. Nam „falsum est, uti ait *Franzelin* (de divina Trad. Schol. 1. post th. 12), auctoritatem propter quam debeatur assensus intellectus, solam esse auctoritatem Dei revelantis vel Ecclesiæ aut Pontificis infallibiliter definientis; sunt enim gradus assensus religiosi multiplices. In præsenti distinguendus est assensus *fidei proprie et immediate divinæ* propter auctoritatem Dei revelantis; assensus fidei *mediate divinæ* (seu fidei ecclesiasticæ) propter auctoritatem infallibiliter definientis doctrinam ut veram non tamen ut revelatam; assensus *religiosus* propter auctoritatem

universalis providentiæ ecclesiasticæ," seu propter auctoritatem sacram non infallibiliter docentem. Ergo decretis doctrinalibus SS. Congregationum *assentiendum est assensu religioso ex motivo sacræ auctoritatis* docentis, licet non infallibiliter; et quidem tamdiu iis assentiendum est, donec positive apparet Congregationes errasse. Quia autem decisiones SS. Congregationum non sunt infallibiles, assensus illis præstandus non est absolute indubius et irreformabilis, nec excludit omnem erroris formidinem; quare ubi adsunt motiva vere sufficientia dubitationis, licet formidare, conditionate consentire, imo et assensum suspendere. Conferri potest, si lubet, inter alios *Franzelin* l. c. Quæ diximus de assensu interno præstando decretis doctrinalibus SS. Congregationum applicanda quoque sunt tum decretis S. Pontificis, authentice quidem non tamen infallibiliter docentis seu ex cathedra definientis, tum, proportione servata, decretis doctrinalibus in rebus fidei et morum episcopi et concilii particularis.

Art. II. **De fidei habitudine ad rationem.** (1)

768. In statuendo rationis munere in re fidei, vitandus est tum error eorum, qui per *defectum* peccantes vires ac jura rationis in re fidei nimium deprimunt, tum error illorum, qui per *excessum* peccantes vires ac jura rationis nimium extollunt. Ut quæ tenenda sunt ex ordine proponamus, duo distincte quærimus: 1. quodnam sit rationis munus *ante fidem susceptam;* 2. quodnam sit ejus munus *post fidem susceptam,* cujus secundæ quæstionis solutione proprie determinatur habitus rationis ad fidem. Cum autem plura huc spectantia jam tradita sint vel in philosophia, vel supra in tractatibus de vera religione, de fontibus revelationis et de Ecclesia, vel ex disputatis in hoc ipso tractatu facile intelligantur, doctrinam hic exponendam, ad quædam puncta reducentes, breviter absolvemus.

(1) Cf. *Perrone,* de locis theol. p. 3; *Franzelin,* de Trad. et Script., de habit. rat. hum. ad fidem; *Mazzella,* disp. 4. art. 7—9; *Jansen,* de fide c. 3. art. 3; *Hurter,* n. 487 sqq.; *Tanquerey,* n. 148 sqq.

§ 1. Rationis munus ante fidem susceptam.

769. I. *Qui nondum ad fidem pervenerunt tenentur veram revelationem inquirere.* Ab hac obligatione inquirendi excusantur, uti patet, illi qui *penitus* ignorant revelationem, quamdiu hæc ignorantia permanet. Obligationem inquirendi veram revelationem perspicue docet recta ratio. Cum enim ex una parte quæstio de existentia revelationis pro homine sit summi momenti, utpote a qua æterna ejus salus pendeat; cumque ex altera parte ratio ipsa doceat, revelationem non solum possibilem, sed convenientissimam imo moraliter necessariam esse, cumque insuper existat religio christiana, latissime diffusa, quæ se dicat divinitus revelatam, manifeste sequitur hominem debere veritatem inquirere, ipsique nullatenus licere revelationem christianam sine ullo examine rejicere.

770. II. *Hæc investigatio facienda est, non tam examinando doctrinam propositam, quam inquirendo in factum revelationis ex legitimis testimoniis.* Et sane hæc revelationem investigandi ratio sola congruit tum indoli ipsius revelationis, quæ est factum quæque potest complecti mysteria, tum hominibus, quibus destinata est revelatio quique sunt omnes tam docti quam indocti. Recolantur dicta in tract. de vera religione.

Medium ordinarium cognoscendi revelationem christianam, ab ipso Christo institutum et ordinatum, est testimonium vivi magisterii ecclesiastici. Ecclesia, in quantum est medium acquirendi certitudinem ante fidem requisitam, consideratur ut factum historicum, quo revelatio hominibus certo cognoscibilis redditur. Etenim, ut ait *Conc. Vatic.*, „Ecclesia per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis fecunditatem, ob catholicam unitatem invictamque stabilitatem, *magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis,* et divinæ suæ legationis testimonium irrefragabile." In hoc autem, quod ex una parte Ecclesia dicitur esse medium ordinarium cognoscendi revelationem, et ex altera parte auctoritas Ecclesiæ dicitur cognosci ex revelatione, nullus est circulus vitiosus, nulla petitio principii. Nam Ecclesia prout est ante fidem medium cognoscendi existentiam revelationis non cognoscitur ex revelatione; auctoritas autem Ecclesiæ prouti cognoscitur ex revelatione est

auctoritas infallibilis, quæ est medium ac regula cognoscendi singulas veritates revelatas.

771. III. *Existentia revelationis certo cognita, gravissima obligatione tenetur homo revelationem acceptare.* „Quum homo, ita *Conc. Vatic.* (c. 3 de Fide), a Deo tamquam Creatore et Domino suo totus dependeat, et ratio creata increatæ veritati penitus subjecta sit, plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium fide præstare tenemur." Recolantur dicta n. 187 sqq. Hæc quoad munus rationis ante fidem, utpote alibi sufficienter exposita, paucis indicasse sufficiet.

§ 2. Habitus inter rationem et fidem.

772. Ad tramitem *Conc. Vatic.,* quod (Const. Dogm. *Dei Filius,* c. 4) totam doctrinam de hac re præclare tradit, hæc statuimus.

I. *Fides complectitur proprie dicta mysteria, quæ sua natura intellectum creatum ita excedunt, ut eorum existentiam sine revelatione cognoscere, et eorum intrinsecam rationem etiam post revelationem intelligere non valeamus.* Revelationem christianam comprehendere proprie dicta mysteria est *dogma fidei,* definitum a *Conc. Vatic.* l. c. can. 1: „Si quis dixerit in revelatione divina nulla vera et proprie dicta mysteria contineri, sed universa fidei dogmata posse per rationem rite excultam e naturalibus principiis intelligi et demonstrari, anathema sit."

1. Hoc dogma docetur *in SS. Litteris.* Nominatim 1 Cor. II data opera declaratur: „Sapientiam autem loquimur inter perfectos .... Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est ... quam nemo principum hujus sæculi cognovit.... Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum; Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei.... Quæ Dei sunt nemo cognovit nisi Spiritus Dei." Hæc profunda Dei, quorum cognitio soli Deo naturalis est, quæque proinde suapte natura omnibus, etiam principibus hujus sæculi i. e. sapientioribus, sunt abscondita, et non nisi revelatione innotescere possunt, profecto sunt mysteria proprie dicta; quare eorum cognitio ab ipso Paulo expresse vocatur „sapientia *in mysterio abscondita.*" Cf. Joan. I, 18; Matth. XI, 27; Rom. XI, 33; etc.

2. *SS. Patres* unanimi sententia docent ad objectum fidei pertinere mysteria, quæ licet revelata, mente capi non possint. Ita e. g. S. Joan. *Chrysostomus* (in 1 Cor. hom. 7 n. 5); „Fide indigent ea, quæ dicuntur, neque rationibus comprehendi possunt: eorum quippe magnitudo mentis nostræ vilitatem longo spatio superat." Et *S. Bernardus* (ep. 190 ad Innoc. II. n. 1) de Abælardo, qui mysteria fidei per rationem explicare volebat, dicit: „Dum paratus est de omnibus reddere rationem, etiam quæ sunt supra rationem, et contra rationem præsumit et contra fidem. Quid enim magis contra rationem, quam ratione rationem conari transcendere? et quid magis contra fidem, quam credere nolle, quidquid non possit ratione attingere?"

773. Tenendum est ergo, *duplicem existere ordinem veritatum, unum rationalium, alterum superrationalium,* et unum cum altero numquam confundi posse. „Hoc quoque, ita *Conc. Vatic.* l. c., perpetuus Ecclesiæ catholicæ consensus tenuit et tenet, duplicem esse ordinem cognitionis, non solum principio, sed objecto etiam distinctum: principio quidem, quia in altero naturali ratione, in altero fide divina cognoscimus; objecto autem, quia præter ea, ad quæ naturalis ratio pertingere potest, credenda nobis proponuntur mysteria, in Deo abscondita, quæ, nisi revelata divinitus, innotescere non possunt. . . . Divina (hæc) mysteria suapte natura intellectum creatum sic excedunt, ut etiam revelatione tradita et fide suscepta, ipsius tamen fidei velamine contecta et quadam quasi caligine obvoluta maneant, quamdiu in hac mortali vita perigrinamur a Domino."

774. II. *Licet fides rationem excedat, cum ea tamen nullatenus pugnat.* Ad hoc doctrinæ punctum declarandum sufficient præclara ipsius *Conc. Vatic.* (l. c.) verba: „Etsi fides sit supra rationem, nulla tamen umquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest: cum idem Deus, qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit; Deus autem negare seipsum non possit, nec verum vero umquam contradicere. Inanis autem hujus contradictionis species inde potissimum oritur, quod vel fidei dogmata ad mentem Ecclesiæ intellecta et exposita non fuerint, vel opinionum commenta pro rationis effatis habeantur. Omnem igitur assertionem veritati illuminatæ fidei contrariam omnino falsam esse definimus."

775. III. *Fides et ratio non solum sibi invicem non opponuntur, sed etiam amico fœdere consociantur et sibi mutuam opem ferunt.* Et sane 1. *Recta ratio multiplicem opem præstat fidei: a) Fidei fundamenta demonstrat,* ostendendo revelationis existentiam et credibilitatem adeoque fidei rationabilitatem, nec non investigando eam societatem, in qua et a qua revelatio sit acceptanda: sicque viam ad fidem quodammodo sternit et animos ad revelationem suscipiendam præparat. (1) *b) Veritates revelatas notionibus consentaneis apprehendit.* Nam, uti ait *S. Thomas* (2. 2. q. 8. a. 8 ad 2) „non posset homo assentire credendo aliquibus propositis, nisi ea aliqualiter intelligeret." *c)* Ratio fidei lumine illustrata *fidei scientiam excolit:* veritates revelatas ex fontibus revelationis probando, contra adversarios defendendo, ex eis conclusiones deducendo, easque apte disponendo et ad harmonicum ac scientificum systema revocando. *d)* Imo potest ratio *multiplici analogia vel ipsis mysteriis lucem affundere,* sicque sobria ac modesta inquisitione *aliqualem et quidem fructuosissimam mysteriorum intelligentiam acquirere.*

2. *Fides vicissim maxime juvat rationem: a) Rationem instruit multiplici cognitione.* Per revelationem enim homines discunt non solum veritates præter- et supernaturales, quas sine ea omnino ignorassent, sed etiam multas veritates rationales, quas sibi relicti non vel saltem non sufficienter cognovissent. Per revelationem veritates rationales religiosas et morales citius, securius, certius ac plenius cognoscit ratio. *b) Rationem liberat ab erroribus* et dubiis in rebus scitu maxime necessariis. Revelatio enim infallibiliter monstrans ac docens veritates, tamquam *stella rectrix* tuto ducit et dirigit rationem in suis investigationibus eique ostendit errores vitandos, in quos sibi relicta facile prolabitur. *c) Rationis exercitium promovet, ejus opes auget et facultatem explicat* eam excitando ad veritates revelatas rite intelligendas, ad ea quæ cum revelatis cohærent probanda, ad sententias cum fide pugnantes

(1) *Leo XIII* in Encycl. *Aeterni Patris* 4 Aug. 1879 dicit: „Primo quidem philosophia, si rite a sapientibus usurpetur, iter ad veram fidem quodammodo sternere et munire valet, suorumque alumnorum animos ad revelationem suscipiendam convenienter praeparare: quamobrem a veteribus modo *praevia ad christianam fidem institutio,* modo *christianismi praeludium et auxilium,* modo *ad Evangelium paedagogus* non immerito appellata est."

refellendas etc. (Cf. Encycl. *Aeterni Patris* 4 Aug. 1879). Hæc docet *Conc. Vatic.* l. c.: „Neque solum fides et ratio inter se dissidere numquam possunt, sed opem quoque sibi mutuam ferunt, cum recta ratio fidei fundamenta demonstret, ejusque lumine illustrata rerum divinarum scientiam excolat; fides vero rationem ab erroribus liberet ac tueatur, eamque multiplici cognitione instruat."

776. IV. *Hinc fides, nedum scientias humanas respuat, eas potius in subsidium sibi adsciscit.* Ut enim fidei fundamenta demonstrentur et vindicentur, ut fides per scientiam theologicam rite excolatur ac defendatur, adhibendæ sunt variæ scientiæ humanæ: imprimis philosophia, deinde historia, ars critica et hermeneutica, scientiæ linguarum, scientiæ naturales etc. Quare, teste historia, Ecclesia studium harum scientiarum maximopere commendat ac promovet, et doctores catholici sedula diligentia has scientias excolunt. Huc spectat monitum tum S. Pauli (Tit. I, 9): oportere amplecti eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit non solum exhortari in doctrina sana, sed etiam eos, qui contradicunt arguere; tum S. Petri (1 ep. III, 10): paratos nos esse debere ad satisfaciendum omni poscenti rationem de ea, quæ in nobis est, spe. Hæc sine auxilio scientiarum humanarum præstari non possunt.

777. V. *Licet scientiæ humanæ multiplex subsidium præstent fidei, ei tamen numquam dominari, sed e contra semper subordinari debent.* Hæc enim subordinatio manifeste sequitur ex præeminente dignitate et excellentia fidei ac theologiæ præ quibusvis cognitionibus naturalibus et scientiis humanis. Recolantur dicta n. 10. Hinc non licet scientias humanas excolere cum omnimoda a fide independentia, nec umquam licet habere pro legitimis harum scientiarum conclusionibus ea, quæ fidei adversantur; sed hæc potius pro totidem erroribus haberi debent. Quare docet *Conc. Vatic.* (l. c.): „Ecclesia, quæ, una cum apostolico munere docendi, mandatum accepit fidei depositum custodiendi, jus etiam et officium divinitus habet falsi nominis scientiam proscribendi, ne quis decipiatur per philosophiam, et inanem fallaciam. Quapropter omnes christiani fideles hujusmodi opiniones, quæ fidei doctrinæ contrariæ esse cognoscuntur, maxime si ab Ecclesia reprobatæ

fuerint, non solum prohibentur tamquam legitimas scientiæ conclusiones defendere, sed pro erroribus potius, qui fallacem veritatis speciem præ se ferant, habere tenentur omnino."

778. VI. *Hæc autem subjectio non solum non impedit scientiarum progressum, sed hunc potius multipliciter juvat ac promovet.* Hæc enim subordinatio non in eo consistit, ut scientiæ humanæ sua principia, suas conclusiones et suam methodum a fide et theologia accipiant; sed ut scientiæ *negative* nihil doceant fidei contrarium, et *positive* veritates revelatas normæ ac stellæ rectricis instar in suis investigationibus præ oculis habeant. Cum itaque ex una parte fides sinat scientias humanas in suo quamque ambitu propriis uti principiis et propria methodo, nullatenus derogat earum dignitati ac genuinæ libertati; cumque ex altera parte ostendendo veritatem eis præluceat, atque caveat ne in suis investigationibus errent, eis in investigando præclarum subsidium præstat, sicque earum progressum efficaciter promovet. Cum fides insuper, novas et quidem altissimas veritates menti ostendendo, novum eumque vastissimum investigationis campum aperiat, cumque efficacissime stimulet mentem eique vires addat, ut alacrius ac diligentius scientias humanas excolat in subsidium fidei, negari nequit, fidem mentem multum perficere atque scientiarum culturam ac progressum efficaciter promovere. Merito igitur docet *Conc. Vatic.* (l. c.): „Quapropter tantum abest, ut Ecclesia humanarum artium et disciplinarum culturæ obsistat, ut hanc multis modis juvet atque promoveat. Non enim commoda ab iis ad hominum vitam dimanantia aut ignorat aut despicit; fatemur imo, eas, quemadmodum a Deo, scientiarum Domino, profectæ sunt, ita si rite pertractentur, ad Deum, juvante ejus gratia, perducere. Nec sane ipsa vetat, ne hujusmodi disciplinæ in suo quæque ambitu propriis utantur principiis et propria methodo; sed justam hanc libertatem agnoscens, id sedulo cavet, ne divinæ doctrinæ repugnando errores in se suscipiant, aut fines proprios transgressæ, ea quæ sunt fidei, occupent et perturbent."

INDEX PARTIUM.

Prolegomena de Theologiæ notione.

		PAG.
ART. I.	De theologiæ definitione et objecto	1
ART. II.	Discrimen theologiam inter et fidem	4
ART. III.	De theologiæ dignitate et habitudine ad philosophiam	5
ART. IV.	De principiis objectivis theologiæ	7
ART. V.	De variis theologiæ partitionibus	8
ART. VI.	De modo addiscendi theologiam	12

Tractatus I.

DE VERA RELIGIONE.

CAPUT PRÆVIUM.

De Religione generatim.

ART. I.	Notio religionis	15
ART. II.	De necessitate religionis	16
§ 1.	De necessitate religionis pro homine	16
§ 2.	De necessitate religionis pro societate	19
Schol.	Religio interna et externa	21
ART. III.	De indifferentia in re religiosa	21
Schol.	De tolerantia politica	25
ART. IV.	Religio naturalis et supernaturalis	26

PARS I.

De Revelatione universim.

Caput I.	De divinæ revelationis possibilitate	31
Schol. I.	Rejicitur rationalistarum principium de rationis independentia	40
Schol. II.	Revelatio maxime utilis	43
Caput II.	De divinæ revelationis necessitate	43
ART. I.	Utrum revelatio sit necessaria	44
ART. II.	De progressu humanitario	52
Caput III.	De revelationis cognoscibilitate et criteriis	57
ART. I.	De revelationis criteriis generatim spectatis	57
ART. II.	De miraculis	61
§ 1.	Miraculi notio et divisio	61
§ 2.	De possibilitate miraculorum	64
§ 3.	De miraculorum cognoscibilitate et vi probandi	69
§ 4.	De miraculis latius dictis et generatim de mirabilibus spirituum, nec non de quibusdam naturæ et artis mirabilibus, deque eorum cum miraculis comparatione	74
ART. III.	De Prophetiis	83
Caput IV.	De officio suscipiendi revelationem	87

PARS II.

De divinae revelationis existentia.

PAG.

Præenotanda. Status quæstionis; probationis indoles et fontes; historica evangeliorum auctoritas 91
Schol. Facta Christi ab auctoribus etiam profanis commemorantur 98
Caput I. De divina Christi missione seu de divina religionis christianæ institutione 100
ART. I. Testimonium prophetarum V. T. de divina Christi missione 100
§ 1. Dantur in V. T. vera vaticinia messianica, quibus Messias promittebatur et magna adjunctorum varietate delineabatur 101
§ 2. Vaticinia messianica in Jesu Christo, et in eo solo impleta sunt 104
ART. II. Testimonium ipsius Christi de sua divina missione. 108
§ 1. Testimonium Christi de se 109
§ 2. Miracula Christi, nominatim gloriosa a mortuis resurrectio, ipsius divinam missionem invicte demonstrant 111
§ 3. Christus divinam suam missionem probavit etiam vaticiniis, eventu completis 120
Schol. Quædam alia argumenta indicantur 122
Caput II. De divina christianæ religionis confirmatione . . 123
ART. I. De mirabili religionis christianæ propagatione . 124
ART. II. De mirabili christianæ religionis conservatione . 127
ART. III. De mira religionis christianæ efficacia . . . 129
ART. IV. De admirabili innumerorum martyrum fortitudine . 131
Schol. De comparatione christianæ religionis cum aliis, nominatim cum Buddhismo et Mohammedanismo 135
Conclusio 139

Tractatus II.

DE FONTIBUS REVELATIONIS.

Introductio. Nexus doctrinæ; status quæstionis; divisio tractatus. 141

PARS I.

De divina traditione.

Prænotanda. Notio traditionis; disputationis methodus et divisio 144
Caput I. De divinæ traditionis existentia 147
ART. I. De medio divinitus instituto ad conservandam et propagandam doctrinam christianam . . . 148
Schol. I. Ratio incorruptæ conservationis doctrinæ traditæ . 154
Schol. II. Magisterii ecclesiastici secundum suum elementum visibile aptitudo ad conservandam integritatem doctrinæ revelatæ 154
ART. II. De proprio divinæ traditionis conceptu . . . 156

PAG.

Caput II. De monumentis et mediis conservandæ et agnoscendæ traditionis 157
Art. I. De monumentis traditionis universim spectatis . 158
Art. II. De quibusdam documentis traditionis in particulari 161
§ 1. De auctoritate SS. Patrum et Doctorum . . 161
Schol. De Patrum dissensu 165
§ 2. De auctoritate Theologorum Scholæ . . . 166
Schol. S. Thomæ auctoritas 167
Caput III. De relatione inter Traditionem et Scripturam . . 169
Art. I. Prædicatio ecclesiastica est suprema norma interpretationis S. Scripturæ 169
Art. II. Traditio multiplici ratione antecedit Scripturam . 171
Schol. S. Scriptura aliqua ratione etiam præstat traditioni 174
Art. III. De existentia divinarum traditionum, quæ in S. Scriptura non continentur 175
Caput IV. De explicatione doctrinæ catholicæ seu revelationis 179
Art. I. De revelatione in Apostolis completa . . . 180
Schol. De revelationibus privatis 183
Art. II. De progressu explicationis et intelligentiæ revelationis christianæ 185
Schol. I. et II. Errores cavendi, nominatim Guntheri . . 187

PARS II.

De Sacra Scriptura.

Caput I. De S. Scripturæ inspiratione 190
Art. I. De fide ac traditione Judæorum, a Christo et Apostolis confirmata, attestante divinam Scripturæ auctoritatem 191
Art. II. S. Scriptura est divinitus inspirata 193
Art. III. De inspirationis notione et extensione . . . 196
Caput II. De canone S. Scripturæ 205
Art. I. De criterio inspirationis 206
Art. II. Vindicatur catholicus Scripturarum canon a Conc. Tridentino sancitus 208
Schol. Distinctio librorum Scripturæ in protocanonicos et deuterocanonicos 211
Caput III. De authentia Vulgatæ 212
Schol. Authentia Vulgatæ declarata est in comparatione cum versionibus latinis 219
Caput IV. De habitudine Scripturæ ad Ecclesiam sive docentem sive discentem 220
Schol. De S. Scripturæ lectione 221

Tractatus III.

DE ECCLESIA CHRISTI.

Introductio. Nexus doctrinæ; tractatus momentum et divisio 222
Caput prævium. De significatione nominis „Ecclesia", de Ecclesia Dei generatim spectata, de Ecclesia Veteris Oeconomiæ 224

PAG.

PARS I.

De Ecclesia Christi generatim.

Caput I. De Ecclesiæ institutione 229
ART. I. Christus instituit Ecclesiam, eique veram ac certam societatis formam tribuit 229
Schol. I. Christus fundavit Ecclesiam a synagoga Judæorum distinctam ac diversam 236
Schol. II. Quandonam Christus Ecclesiam fundaverit . . 237
ART. II. De Ecclesiæ perennitate seu indefectibilitate . 237
ART. III. De Ecclesiæ visibilitate 241
Caput II. De Ecclesiæ natura et constitutione . . . 250
ART. I. De Ecclesiæ fine, supernaturalitate ac necessitate . 251
§ 1. De Ecclesiæ fine 251
§ 2. Ecclesiæ supernaturalitas, ejusque habitudines ad Christum 252
Schol. Corpus et anima Ecclesiæ 257
§ 3. De Ecclesiæ necessitate 258
Schol. Non licet de quolibet homine in concreto, qui extra visibilem communionem Ecclesiæ moriatur, certo affirmare, eum esse damnatum 262
ART. II. De Ecclesiæ potestate 263
§ 1. De existentia potestatis Ecclesiæ 264
Schol. I. Perennitas ministerii apostolici 269
Schol. II. Distinctio potestatis ordinis et jurisdictionis . 270
§ 2. De subjecto potestatis ecclesiasticæ 271
§ 3. De Hierarchia et gradibus hierarchicis 279
Schol. De gradibus hierarchicis ab Ecclesia institutis . 288
§ 4. De regiminis forma monarchica in Ecclesia . . 289
§ 5. Ecclesia est societas perfecta et a civili societate prorsus independens 292
Schol. I. Habitus inter Ecclesiam et civilem societatem . 295
Schol. II. Ecclesia est societas legalis 296
ART. III. De membris Ecclesiæ 297
Caput III. De Ecclesiæ proprietatibus et dotibus . . . 306
ART. I. De Ecclesiæ unitate 306
§ 1. Exponitur doctrina 306
§ 2. Statuitur Ecclesiæ unitas in fide 310
§ 3. Statuitur Ecclesiæ unitas socialis et ritualis . . 313
ART. II. De Ecclesiæ sanctitate 315
ART. III. De Ecclesiæ catholicitate 319
ART. IV. De Ecclesiæ apostolicitate 323
Schol. Rejicitur hypothesis extraordinariæ missionis a Novatoribus invecta 327
ART. V. De Ecclesiæ infallibilitate 327
§ 1. De existentia et subjecto infallibilitatis . . . 327
Schol. I. Infallibilitatis activæ subjectum 332
Schol. II. De infallibilitate Synagogæ 333
§ 2. De infallibilitatis extensione seu objecto . . 334
Caput IV. De notis Ecclesiæ, deque identitate Ecclesiæ Romanæ cum Ecclesia Christi 343

PAG.
ART. I. De notis Ecclesiæ Christi 343
ART. II. Quatuor notæ soli Ecclesiæ Romanæ competunt ideoque haec sola est vera Ecclesia Christi . . 347

PARS II.

De Primatu S. Petri et Romani Pontificis.

Caput I. De Institutione primatus in b. Petro . . . 355
Prænotanda. Exponitur doctrina 355
ART. I. Demonstratur primatus ex S. Scriptura . . . 357
ART. II. Probatur primatus ex traditione et rationibus theologicis 369
Schol. De habitu S. Petri ad ceteros Apostolos . . . 371
Caput II. De primatus perpetua duratione in b. Petri successoribus, Romanis Pontificibus 373
ART. I. De perpetuitate primatus 373
Schol. Quo sensu primatus sit prærogativa personalis . 374
ART. II. De successore Petri, seu de primatu Romani Pontificis 375
De inseparabilitate primatus a Sede Romana . . 380
Caput III. De vi ac ratione primatus Rom. Pontificis . . 384
Schol. I. Quid possit S. Pontifex circa jus divinum . . 389
Schol. II. De Conciliis œcumenicis 390
Schol. III. De principatu civili Rom. Pontificis . . . 393
Caput IV. De infallibilitate Romani Pontificis 396
Schol. I. Utrum unum an duplex sit subjectum infallibilis magisterii 410
Schol. II. De auctoritate Syllabi 411

Tractatus IV.

DE FIDE DIVINA.

Prænotanda. Tractatus nexus cum præcedentibus, momentum et divisio 413
Caput I. De natura fidei 414
ART. I. Notio et divisiones fidei 414
ART. II. De objecto materiali fidei 418
Schol. I. Objectum fidei quoad nos 422
Schol. II. Utrum objectum fidei decursu temporis creverit. 423
ART. III. De objecto formali seu motivo fidei 424
Caput II. De actu fidei deque via ad illum 428
ART. I. De natura actus fidei 429
§ 1. Fides est formaliter actus intellectus . . . 429
§ 2. De fidei libertate 431
Schol. Utrum libertas fidei constare possit cum evidentia in attestante 433
§ 3. De supernaturalitate actus fidei 434
ART. II. De prærequisitis ad actum fidei 435
Schol. I. Quomodo nominatim rudes et pueri certam notitiam credibilitatis revelationis habere possint . 438

PAG.

Schol. II. Motiva credibilitatis nullatenus pertinent ad internum motivum fidei 442
ART. III. De analysi actus fidei 443
Schol. Utrum assensus fidei sit discursivus . . . 448
Caput III. De proprietatibus fidei 449
ART. I. De fidei certitudine et irrevocabilitate . . . 449
§ 1. Fidei certitudo 449
§ 2. Fidei irrevocabilitas 454
ART. II. De fidei obscuritate 457
ART. III. De fidei universalitate et necessitate . . . 461
§ 1. De fidei universalitate 461
§ 2. De fidei necessitate 463
Caput IV. De fidei regula, deque fidei habitudine ad rationem 467
ART. I. De fidei regula 468
De censuris theologicis 471
De auctoritate Congregationum Romanarum . . 474
ART. II. De fidei habitudine ad rationem 476
§ I. Rationis munus ante fidem susceptam . . . 476
§ 2. Habitus inter fidem et rationem 478

210.2
M316
6152
MANNENS, P.
AUTHOR
Theologia Fundamentalis
TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME
	H. Ferretti
	Pundonel
	STORAGE

6152